NICOLAI NILLES

E SOC. JESU

COMMENTARIA IN CONCILIUM PLENARIUM BALTIMORENSE TERTIUM

EX PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS

EXCERPTA.

PARS I. — ACTA CONCILII.

EDITIO DOMESTICA,

PRIVATIS AUDITORUM USIBUS

ACCOMMODATA.

ŒNIPONTE.

EX OFFICINA F. RAUCH (C. PUSTET).

1888.

Documenta ad americanum sancti Petri apostolatum spectantia inferius sistentur in appendice p. 250.

INTRODUCTIO
sive
Disputatio praeambula
ad mentem veterum sacri juris interpretum in quinque partes divisa.

Vetus est glossae doctrina[1]), „in principio interpretationis cujusque libri quinque praecipue esse praenotanda, videlicet: quae sit intentio, quae materia, quae utilitas, quis modus agendi et quis libri titulus".

Sapiens hoc prudentis hodegetae consilium secuti, circa volumen „*actorum et decretorum concilii plenarii Baltimorensis tertii*" idem nobis praestandum censemus, de indicatis praeambulae disputationis capitibus pauca ex ordine praefati.

Quae sit intentio?

Intentio praesentis operis *triplex* fuisse dignoscitur; id enim editio libri spectavit, ut concilii decreta solemniter promulgarentur promulgataque, juxta ultimum concilii titulum (p. 184), statim observarentur; deinde ut manuali aliquo volumine omnia authentice exhiberentur collecta, quaecunque ad concilium spectantia legitime gesta literisque mandata sunt; tertio tandem ut potiora decretorum argumenta selectis quibusdam Sedis Apostolicae documentis in appendice propositis apertius explicarentur.

---

[1]) Ad prooem. Decretal. Gregorii PP. IX. et Bonifacii PP. VIII.

Quae materia?

Materia hujus codicis ipsa sunt gesta synodica, acta nimirum et decreta concilii, cum insigni, ut dictum est, authenticorum monumentorum accessione: ex quibus omnibus apte fabreque dispositis totius operis structura concinne exurgit.

Quae utilitas?

Utilitas collectionis legum, seu *causa finalis proxima*, inquit gl. cit., „est, ut his lectis et intellectis sciamus discernere inter aequum et iniquum, et unicuique reddere quod suum est". Quod eo magis in praesens opus accidit, quod cuncta fideliter contineat, quae, teste decreto recognitionis concilii (p. XV.), „indefesso Patrum labore tum ad ecclesiasticam disciplinam firmandam, tum ad abusus evellendos, tum ad catholicae juventutis sive laicae sive clericalis institutionem fovendam, tum ad episcoporum electionem ac rerum temporalium administrationem magis magisque ordinandam, tum denique ad fidem conservandam et dilatandam *valde utilia* sunt constituta"[1]. Quibus „omnibus legitimis arcanis uno hoc volumine reseratis", et ad genuinam ipsius concilii mentem sancte servatis, omnino eveniet, ut catholici foederatarum septentrionalis Americae ditionum „omni loco aevoque felices inveniantur"[2]: dum nimirum *causa finalis remota* (ita eadem gl. supremam utilitatem collectionis legum appellat) in plenum actum erumpit, omnibusque *aeternam beatitudinem* (quae ibidem vera *causa finalis remota* omnis decretorum compilationis esse dicitur) perfecte prosperat.

---

[1]) Iisdem ferme verborum formulis finem concilio praestituerat Leo PP. XIII. in solemnibus apostolicae delegationis literis ad archiepiscopum Baltimorensem datis (p. XIX.).

[2]) Ejusmodi ex jure civili (Prooem. π., praef. II., 2., §. 6) ad commendandam utilitatem collectionis canonum transfert gl. loco jam adducto.

Quis modus agendi?

Modus agendi a glossa repetitur ex propriis rationibus, quibus collectionem legum in libros ac titulos dividunt. Modum agendi eorum, qui nostrum hoc volumen „*actorum et decretorum*“ ediderunt, et nos ex operis in varias partes distributione colligemus: usi eo in labore imagine aliqua ex architectonica arte petita, quae attentum lectorem in totius structurae concinnitate contemplanda non mediocriter juvabit. Codex Baltimorensis quippe in eleganti sua forma splendidam refert speciem magnifici juris sacri palatii, in tres, quae in antiquis nobiliorum aedibus distingui solebant, partes cum symmetria et decore divisi, in propylaea, in domum habitationi destinatam et in parerga.

Propylaea (πρό, πύλη) ex ipsa vocis notatione quidem partes *ante januam* sunt; verum late sumpta denotant omnem locum sive extra domum sive intra aedes situm, per quem aditus accessusque ad eas aedium partes est, quae sunt habitationi privatisque usibus destinatae.

Sic accepta igitur propylaea bipartito distinguuntur, in *vestibulum* et in *atrium*.

Vestibulum locus est ante domus portam, inter ipsam domum et viam interjectus, dextra sinistraque porticibus ornatus, quibus domus juncta est viae publicae. Proprie loquendo pars aedium dici nequit, quum vacantis areae instar ante januam sit relictum. *Atrium* contra ad interiores aedium partes spectat, estque magna aliqua area, communibus usibus destinata, in quam exterior ac princeps domus porta infert. Eo in loco varia leguntur negotia agitata, conciones habitae, scholae celebratae, auctiones factitatae, aliaque communia exercitia data.

Ab *atrio* distinctae sunt aedium partes, quae proprie habitantur, continentes scilicet conclavia ac cubicula commorationi hominum apta variisque privatis

inhabitantium usibus inservientia, a Graecis identidem generali nomine *οἶκοι* appellatae. In iis proprie *sedem* habere dicuntur, qui aedes inhabitant.

Parerga tandem sunt variae aedificationum accessiones, principi domui utilitatis et ornatus causa adjectae, ex quibus splendor ac pretium aedium augetur.

Aedificii nomine ex l. 3. c. Theod. de conlat. donat. veniunt integrae aedes cum parergis, h. e., cum omnibus, quae iisdem connexa, juncta, fixa vinctaque sunt.

Ejusmodi ergo antiquitus erant partes ac membra nobiliorum aedium ad regulas architectonicas constructarum.

Atqui praesens hic codex „*actorum et decretorum Baltimorensium*" ad eandem omnino formam est designatus et dispositus, eademque architecturae arte adhibita conspicitur exstructus ac perfecti absolutique aedificii instar ad culmen perductus. Ex ordine quippe continet propylaea eaque bifariam divisa, in vestibulum et atrium; habet et *οἴκους* suos, h. e., proprias aedium partes ad id speciatim instructas, ut canones Baltimorae conditi ibidem veluti in propria sua sede collocati reperiantur; habet denique multiplicia parerga, delectationis doctrinaeque causa aedibus in forma appendicis adjuncta.

Propylaea explent priorem libri partem paginarum centum novem, romanis numerorum notis signatarum (I—CIX), ex quibus sexdecim ad *vestibulum* referuntur, reliquae vero ad *atrium* pertinent. Procul a via, inter vestibulum et atrium, constituta est major aedium janua, (p. XVII—XVIII), proprio titulo insignita, per quam domus atrium ingressi, non sine admiratione contuemur spatiosum illud theatrum, appensis Sanctorum iconibus, praelatorum imaginibus aliisque tabulis pictis ac signis apparatissime exornatum, in quo plenarium concilium est habitum. Pro singulis concilii deputationibus seu congregationibus particularibus pro-

prias suas exedras videmus ibidem constructas cum multis circumpositis sellis, in quibus episcopi, theologi, notarii reliquique omnes, qui rebus synodicis tractandis occupabantur, sedentes colloqui ac disputare poterant. Quibus omnibus in magna atrii aula circumspectis, ac lectis, quae in hac voluminis parte exhibentur, actis, ipsis solemnibus synodi consiliis nobis videmur interesse, patrum sermonibus, consultationibus, decretis per omnia participes.

Sequitur ipsum decretorum corpus, paginis centum octoginta duabus comprehensum, quae sub proprio titulo numeris arabicis notatae sunt (1—182). Est et alterius hujus partis dispositio sua praestans arte, indeque non immerito technica *οἴκου* sive *domus* appellatione vocata; in Graecorum libris sacris quippe *οἶκος*, *domus*, est opus literarium sive hymni genus in Dei vel sancti alicujus laudem ita constructum, ut quasi compagem, aedificium fabricamque virtutum ejus et gloriae videatur componere: ea ferme ratione, qua Itali quoque poëmatum suorum strophas *stanze*, h. e., *habitacula* sive *domus* nominant[1]). Atqui in altera hac voluminis sectione omnis tripartita juris canonici materia, quae nimirum est *de personis*, *de rebus*, *de judiciis*, ita titulis suis disposita exhibetur, ut perfecti absolutique *οἴκου* sive *aedificii* nomen mereatur: quemadmodum suo loco apertius ostendemus, quando propylaeis egressi decretorum sedem visemus.

Volumen ad extremum claudunt pretiosa *πάρεργα* praecedentibus partibus apte illustrandis in appendice adjecta a p. 193 ad p. 300. Ea in proprios titulos subdividere opus non erat, quum necessario ordinem illorum capitum, quibus explicandis inserviunt, sequi deberent.

---

[1]) Vide nostrum *Kalendarium utriusque ecclesiae*, t. 1., pp. LII—LIII et t. 2., pp. 164—165.

Quis libri titulus?

Quintum denique, quod monente gl. „initio cujusque operis attendere debet" interpres, est *libri titulus*.

Varias rationes nominis *tituli* corpus juris canonici glossatum tribus locis prosequitur, nimirum c. Consuetudo 1. C. XVI. q. 6, verb. *titulos imprimant;* c. Dudum ecclesia 54. X. de electione et electi potestate (I., 6), verb. *intitulatam ecclesiam;* c. Ut singulae 4. X. de officio archipresbyteri (I., 24), verb. *titulos minores*. Ex iis pauca haec fere enotasse suffecerit.

Titulus, inquiunt glossae citatae, *est signum*, h. e., inscriptio seu index, elogium, quo res dignoscitur, et cujus sit ac quid contineat, demonstratur. Hinc *rei titulum imprimere* can. Consuetudo cit. est rei alicui ceu propriae signum apponere sive tabulam scriptam ac signaculum affigere, eaque nota adhibita rem sibi jure ut propriam vindicare, quemadmodum vim tituli rei affixi expresse declarat s. Augustinus, *enarrat.* 2. *in psalm.* 21, §. 31[1]. Sic igitur titulos praediorum et aedificiorum tabulas praefixas dicebant, in quibus dominorum nomina inscripta erant, ut ex iis, cujus praedia vel aedificia essent, cognosceretur.

A prima hac significatione translatum est vocabulum ad ipsam rem designandam, quae titulo est insignita; et ita sectio alicujus libri vel etiam lex ipsa ex inscriptione nomen tituli traxit. Hoc sensu dicitur aliquid praeceptum „secundum titulos antiquorum patrum sancto spiritu suggerente conscriptos" (c. Si quis diaconus 29. Dist. 50); eademque vocis acceptione decretalium collectiones perhibentur in libros titulis suis distinctos divisae, atque ipsius nostri hujus voluminis pars altera variis titulis, h. e., sectionibus constare perspicitur.

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat. t. 36, p. 181.

Similiter ecclesiae ab inscriptione dicuntur *tituli*, quod nimirum aedis sacrae vestibulo vel sancti, cui dicata erat, vel fundatoris nomen inscriberetur, vel vivifica crux praefigeretur, vel clerici rectoris signacula apponerentur. Et ita exstant *titulus s. Petri*, *titulus Eudoxiae*, *titulus s. crucis*, *tituli cardinalitii*, *tituli baptismales*, *tituli minores*[1]).

Quum glossa nos in auspicanda interpretatione „attendere" jubet, „*quis sit libri titulus*", id omnino spectat, ut ipsam voluminis inscriptionem veluti solemnes quasdam tabulas, auctoritate publica operi praefixas attente inspiciamus, iisque probe intellectis in antecessum jam cognoscamus, cujus liber sit, quid contineat quidve relata in eo acta et decreta valeant[2]).

Reperiuntur autem quatuor tituli in libro nostro adhibiti: primus idemque generalis totius voluminis, qui anteriori vestibuli fronti est inscriptus „*acta et decreta concilii*" etc.; tres reliqui speciales, minoribus libri sectionibus praefixi: „*acta concilii*" (p. XVII.), „*decreta concilii*" (p. 1); „*appendix*" (p. 191).

A primo exordiamur, simplici nudaque ejus interpretatione breviter proposita, principem vestibuli januam reclusuri.

---

[1]) Quoniam clerici olim in ipsa ordinatione certae cuidam ecclesiae adscribebantur, in qua ministrarent, et e cujus redditibus alerentur, vocabulum *tituli* ab ecclesia ulterius translatum est ad honestam clerici sustentationem denotandam, eoque sensu nunc accipitur, quando de *titulo ordinationis* est sermo. Sed de hac et aliis tituli significationibus in commentariis ad alteram operis partem erit agendum.

[2]) Sunt, qui vocabulum diminutivum esse velint a τίτος, honoratus, a τίω, honoro, in honore et pretio habeo, magni aestimo: quod honor et pretium suum rebus a titulo accedat. — Alii contra ipsam juridicam vim inscriptionis authentice factae potius quam nativam vocabuli vim declarantes, titulum a tuendo deducunt: quod dominum rei, cui superscribitur, indicet eique rem „*intitulatam*" tueatur ac conservet.

PROPYLAEA.

PARS I.

VESTIBULUM.

ACTA ET DECRETA

CONCILII

PLENARII BALTIMORENSIS

TERTII

A. D. MDCCCLXXXIV.

INTERPRETATIO TITULI GENERALIS.

Generalis libri titulus est ejusmodi: „*Acta et decreta concilii plenarii Baltimorensis tertii a. D. 1884. Praeside Illmo. ac Rmo. Jacobo Gibbons, archiepiscopo Balt. et delegato apostolico*". — Baltimorae: typis Joannis Murphy et sociorum. 1886.

Brevem ejus commentationem simplici, ut praediximus, sermone per quinque distincta capita ex ordine tentabimus.

I.

Acta et Decreta.

Actum generatim sumptum commune verbum est, quodlibet factum designans, quo demum cunque modo evenerit aut gestum fuerit. Sic habes *acta Romanorum Pontificum*, *acta Sanctorum*, *acta societatis literariae*, *acta synodalia*, *acta judiciaria*, *acta historica*, *acta caeremonialia* etc.

Actorum genera duo in jure distinguimus, *publica* et *privata.*

Acta publica stricte accepta vocantur gesta a principe vel ab inferiore magistratu cum legitima potestate rite constituto, atque in tabulas publicas relata. Inde et ipsi libri seu codices, in quibus ejusmodi gesta publica authentice perscribuntur, actorum nomine veniunt. Ejusmodi sunt *acta Romanorum Pontificum*, *acta legatorum ac visitatorum*, *acta imperatorum ac praesidum* etc.

Sed et sermonis consuetudine factum est, ut quaecunque apud judicem, ceu magistratum, ad causam aliquam propositam spectantia gesta, ejusque auctoritate (vi c. Quoniam 11. X. de probationibus) literis mandata essent, *acta publica* dicerentur. Frequentissima eorum mentio fit in corpore juris canonici, praesertim libro 2., qui est *de judiciis ecclesiasticis*. Publica haec acta judicum continentur protocollis aliisque authenticis forensibus tabulis per notarios judiciales rite confectis.

Ab actis publicis differunt *privata*, quae neque apud legitimum reipublicae magistratum sunt gesta, neque per publicam notarii manum reperiuntur literis consignata. Ex iis in jure adducuntur *acta arbitrorum*, h. e., illorum judicum, qui non publica auctoritate de rebus controversis cognoscendi ac sententiam ferendi sunt instructi, sed privata litigantium voluntate constituuntur ad controversiam aliquam dirimendam: quae acta valent quidem inter ipsos litigantes, quum iidem mutuo consensu controversiam suam arbitri judicio subjecerint spoponderintque, arbitri a se electi sententiae se parituros[1]); non aeque valent contra tertium, uti acta judicialia, quia gesta non sunt per magistratum in republica cum imperio versante, quemadmodum in perficiendis actis publicis fieri vidimus.

Quae in conciliis sunt ad normam canonum gesta atque sancita, ac literis authentice mandata, publicis actis omnino accenseri debent; concilium quippe legitimus est ecclesiae magistratus, cum vero proprieque dicto imperio in ea constitutus ad triplicem, quae ecclesiae competit, potestatem juxta sacros canones exserendam, legiferam scilicet, judiciariam ac coactivam. Quaecunque igitur in synodali episcoporum consessu circa causas propositas gesta, deliberata, tractata, constituta, ejusdemque auctoritate rite sunt in

---

[1]) C. Praesentata 1. X. de testibus et attestationibus. (II, 20).

propriis tabulis perscripta, merito actorum publicorum appellatione censentur.

Quum ex interpretatione actorum concilii praeter varias decretorum rationes ipsa etiam jura addiscamus, ad quae omnis synodorum disciplina est exigenda, patet studium hujus partis codicis nostri magni omnino esse momenti, praesertim pro foederatis Americae ditionibus aliisque regionibus, in quibus concilia saepius haberi contingit. Nec sane usquam terrarum locus reperitur, ubi magis oporteat nosse, quid proprie conciliorum sit, quinam iis interesse debeant, quo jure habeantur, confirmentur, explicentur. Ne igitur mediocrem operam curamque in hac voluminis parte rite intelligenda consumat, qui canonicas synodorum normas consequi cupit.

Decretum jurisperitis est, quod praevia deliberatione ac causa cognita statuitur perpetuo valiturum. Unde decretalis epistola ea vocatur, per quam quidpiam generaliter valiturum, re mature discussa, decernitur[1]).

Decreta conciliorum igitur sunt constitutiones synodales, per quas post diligentem rerum tractationem leges perpetuo valiturae juxta canones eduntur.

Decreta conciliorum gravioris auctoritatis esse censentur, quam constitutiones singularium magistratuum; quia ex utriusque juris doctrina propter concursum multarum sententiarum praesumuntur pleniori maturitate praeparata majorique pondere confecta[2]).

---

[1]) Ejusmodi, praeter alias, sunt bullae beatificationis et canonizationis Sanctorum, per quas Summus Pontifex post examen rigorosum de virtutibus et miraculis servorum Dei aliquid perpetuo valiturum circa ipsorum cultum constituit.

[2]) Quemadmodum in jure civili id in commendatione concordis multorum sententiae ponitur, „quod per ampliores homines perfectissima veritas reveletur" (l. Quaestionem 32. Cod. de fideicommissis, VI., 42), ita in *jure sacro* communis rei tractatio ac definitio saepe inservit illustrandae auctoritati eorum, quae collegialiter acta sunt. „Facilius, inquit c. De quibus c. 2. Dist. 20., invenitur, quod a pluribus quaeritur",

Acta concilii latius patent decretis; acta enim quaecunque ad concilium pertinentia gesta comprehendunt; decretorum appellatione autem ea tantum veniunt, quae necessariis tractatibus rite praemissis circa materias propositas solemniter pronuntiata reperiuntur.

Quaecunque praeter decreta in authentico „*actorum et decretorum*" codice sive in corpore libri sive in praefixis prooemiis sive in adjectis appendicibus sub fide publica exhibentur, ea magni omnino sunt aestimanda ad genuinam decretorum mentem indagandam ac determinandam; ex iis enim varias decretorum rationes, historicas, canonicas, hermeneuticas eruimus: quibus probe intellectis tandem verum decretorum sensum tuto assequi possumus. In explicandis conciliorum statutis quoque valet canonica interpretationis regula, *intelligentiam dictorum esse ex causis assumendam dicendi*[1]). Omnium loco hic in exemplum adducatur decretum de ingressu in religionem sacerdotibus, qui juramentum missionis praestitissent, synodali sanctione vetito, relatum n. 61 (pp. 31—32): ad quod decretum rite intelligendum securus ac facilis aditus datur ex iis, quae habentur in codice „*actorum et decretorum*" (pp. 207—209); ibi enim videmus, ejusmodi missionarios ea in parte fere communi jure alumnorum pontificiorum regi, quod quale sit, paucis declaravimus in „*Disputatione de libertate clericorum religionem ingrediendi*", edit. 3., pp. 111—117.

---

et „integrum censetur judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur". C. Extra conscientiam 5. Dist. 64. jcto. Prudentiam 21. X. de officio et potestate judicis delegati (I. 29).

[1]) C. Intelligentia 6. X. de verb. signif. (V., 40).

II.

Concilii plenarii, Synodus plenariae (p. CII.).

Concilium, *Synodus*. — Utroque nomine in jure sacro vocantur coetus episcoporum, qui de rebus ecclesiasticis deliberaturi ac decreturi canonice conveniunt. Receptum loquendi usum secutus, et noster hic „*actorum ac decretorum*" liber ejusmodi consessus modo conciliorum, modo synodorum vocabulo designat. Cfr. pp. CII., 38, 39 et alibi passim.

Appellationis rationes in ipso corpore juris canonici reperies traditas verbis s. Isidori Hispalensis, *Etymol.* l. 6, c. 16, n. 12[1]), relatis c. Canones 1. Dist. 15, ubi s. doctor: „*Synodus*, inquit, ex graeco interpretatur *comitatus* vel *coetus*. . . . Coetus vero conventus est vel congregatio, a *coëundo*, id est, *conveniendo in unum; unde et conventus* est nuncupatus."

Concilii nomen ductum est a *conciendo*, seu convocando, congregando[2]), generatimque sumitur pro conventu hominum deliberandi causa congregatorum. „*Concilii* nomen, ita pergit s. Isidorus canone citato, tractum est ex more romano; tempore enim, quo causae agebantur, conveniebant omnes in unum communique intentione tractabant. Unde et concilium a communi intentione, quasi *communicilium;* nam *cilia* oculorum sunt[3])

---

[1]) Apud Migne, Patrol. lat. t. 82, p. 244.

[2]) A *concalando*, ait Festus, saeculi 3. grammaticus; ac si vocabulum concilii graeci pariter et latini idiomatis particeps esset, compositum ex *con* et *καλεῖν*, vocare.

[3]) Miram hanc et, si rationes grammaticae spectentur, certe mendosam concilii formationem ex *con* et *cilia* haud prorsus absurde ab Isidoro confectam dixeris. Si enim vocabula *cilium* et *supercilium* translate sumantur pro oculo, consideratione, consilio, intentione, non inepte a conjunctis ciliis seu a *communi intentione* concilium appellatur conventus, ubi plurium mentes simul considerant pluresque sententiae velut in unam mature concilientur. „Unde, sic infert ibidem s. doctor, qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium: quia non consentiunt in unum".

quasi *communicilium.* Unde et *considium* consilium, D in L literam transeunte"[1]).

Concilia igitur conventus personarum ecclesiasticarum, maxime catholicorum antistitum, sunt ecclesiasticis de causis deliberandi decernendique causa a legitimo superiore indicti.

Oecumenica convocanda sunt consensu et auctoritate Summi Pontificis; topica seu particularia alia a patriarchis, alia a primatibus, alia a metropolitis, alia ab episcopis indicuntur. In collectione Lacensi prostant exempla synodorum patriarchalium in conciliis Graeco-Melchitarum nationis Melchitarum a. 1841 (t. 2., pp. 591 sqq.) et Maronitarum Montis Libani ejusdem nationis a. 1736 (t. 2., pp. 75 sqq.); synodi primatialis speciem habes in concilio Posoniensi a. 1822, ad quod primas Hungariae[2]) omnes catholicos metropolitas et episcopos cunctarum regni nationum (Hungarorum, Rumenorum, Ruthenorum et Serbarum) vocaverat (ib. t. 5., pp. 933 sqq.). Metropolita tertio quoque anno concilium provinciale habet, episcopus dioecesanum annis singulis.

Et ista quidem concilia memorati hierarchae indicunt potestate propria et *ordinaria,* h. e., jurisdictione ipsis ratione officii ac dignitatis competente. — Potestate *delegata* contra, h. e., non munere proprio neque potestate ipsi hierarchico, quem tenent, gradui inhaerente, sed ex speciali commissione Summi Pontificis

---

[1]) Animadvertunt rerum grammaticarum periti, nomen s. Isidori aetate scriptum fuisse *conscilium;* unde neglecto s factum dicunt *concilium,* et neglecto c *consilium:* quam vocem fere pro *considio* accipi posse Isidorus censet, quod judices consulendi judicandique causa simul sedentes *considere* dicantur.

[2]) Uni archiepiscopo Strigoniensi aliquid juris primatialis est reliquum (cfr. Sajó, *die Primatialwürde des Fürsterzbischofs von Gran,* in Archiv für kath. Kirchenrecht, (t. 55, pp. 353 sqq.) Caeteri primates: Germaniae (arch. Salisburgen.), Aquitaniae (arch. Burdigalen.), Galliarum (arch. Lugdunen.), Normanniae (arch. Rothomagen.) aliique merum honoris titulum sine ulla loci vel juris praerogativa retinent.

synodos *plenarias* cogunt, qui ex primoribus Ecclesiae praesulibus pro singulis casibus nominatim ad hoc deputantur, ut omnes certi regni vel determinatae cujusdam reipublicae metropolitas et episcopos ad concilium vocent.

Plenarium Concilium, quod et *plenum*[1]) appellant. — *Plenarium* generatim dicitur, quod ad certam quamdam mensuram seu regulam admensum reperitur rectum, justum, numerisque suis absolutum. Pro varia mensura varioque ordine, in quo mensura valet, varie extenditur, quod *plenarium* vocant; quidquid enim in suo genere expletum et cumulatum est, plenarii voce designatur. Sic concilia *oecumenica* in jure nostro appellantur *plenaria* c. Illa 11. Dist. 12, textu ex s. Augustini *epist. ad inquisit. Januarii* assumpto[2]): quod iis nihil in suo ordine desit; similiter *provincialia* concilia in monumentis ecclesiasticis *plenaria*[3]) ac *plena*[4]) vocata legimus: quod et ipsa omnes numeros ad perfectionem synodorum provincialium requisitos habeant. Sed legitima sermonis consuetudine jam est usu receptum, ut speciatim ea concilia veluti proprio nomine dicantur *plenaria*, quae delegatus Summi Pontificis, peculiari auctoritate sibi tributa, omnibus catholicis antistitibus alicujus monarchiae vel reipublicae convocatis, servandis per omnia rite servatis, habet.

Saepe etiam appellantur *concilia nationalia*, praesertim apud Gallos, Anglos, Italos aliosque populos, a quibus *nationis* vocabulo universi alicujus regni vel reipublicae populi designantur; iis enim *natio* proprie est omnis coetus hominum unius reipublicae vel mo-

---

[1]) Cfr. Lit. Pii PP. IX. ad archiepisc. Baltimoren. d. d. 16. Febr. 1866. (Coll. Lac. t. 3, p. 326).

[2]) Apud Migne, Patr. lat. t. 33, p. 200.

[3]) In his notissima sunt concilia *plenaria totius Africae*.

[4]) Cfr. Vigil. Tapsen., *Contra Palladium*, l. 1., ubi synodus Aquilejensis anni 381 concilium *plenum* dicitur (Migne, P. L., t. 62, p. 436).

narchiae, in plures etiam provincias extensae, jure et communione officiorum legitime sociatus et ab uno supremo magistratu seu principe gubernatus. Et sic accepta *natio* differt a populo (*peuple*, *people*) ut genus a specie, quum una eademque natio plures populos origine, lingua, moribus discretos complectatur. Hoc sensu Napoleo I. imperator frequentem illum 106 antistitum ex omnibus populis, qui anno 1811 ad imperium gallicanum pertinebant, sua auctoritate Parisiis coactum, honorifico *concilii nationalis* titulo insigniri jussit[1]). — Verum Germani, Rumeni, Slavi, aliique populi quam plurimi in usu vocis potius etymon (a *nascendo*) respiciunt ac *nationem* appellant populum sive gentem ejusdem originis ac linguae, suos mores suaque studia et ingenia habentem sive cum aliis populis, ortu, inclinatione, ut dictum est, distinctis in eadem regione vivat, sive solus ibidem degat omnemque partem reipublicae omnesque ordines variarum civitatum ibidem constitutarum contineat. Voce nationis angustiori hoc sensu sumpta, monarchia Austriae plures nationes complectitur, Germanos, Bohemos, Ruthenos, Croatas, Hungaros, Armenos, Serbos, Rumenos aliosque, qui omnes ejusdem austriacae monarchiae seu gentis nationes sunt, et e quibus plures habent propriae suae nationis episcopos[2]): qui si omnes in unum concilium convenirent, nostro loquendi usu non censerentur nationalem synodum habere, licet juxta gallici sermonis consuetudinem in concilio nationali dicerentur collecti. Nationales synodi nobis potius sunt particulares illi consessus sive congressus, quos a variis nationibus (v. g. a Rumenis, a Serbis aliisque) in monarchia identidem celebrari videmus. Quum natio Germanorum contra totam

[1]) Ejus conventus acta exhibentur in coll. Lac., t. 4., pp. 1223 sqq.

[2]) Sic v. g. in una eademque urbe Leopoli (germ. Lemberg, *slav.* Lwów) resident tres metropolitae catholici, trium quae in ea provincia (Galicia) permixtae vivunt nationum, Polonorum (ritus latini), Ruthenorum (ritus graeci), Armenorum (ritus armeni).

Germaniam sola possideat, episcopi Germaniae, qui erant Herbipoli congregati an. 1849, concilium, cujus habendi veniam a Summo Pontifice petierant, merito *nationale* vocarunt, quum unius nationis Germanorum antistites in illud convenire deberent[1]). —

Eadem illa angustiori significandi potestate vocabuli diceremus, in inclyta republica foederatorum septentrionalis Americae statuum contineri plures nationes, Anglos, Hibernos,, Gallos, Germanos, Bohemos, Polonos, Russos, Italos aliosque plurimos exteros, qui aut aliunde advenerunt ipsi, aut ab advenis nati nunc jam in unius reipublicae territorio civilium jurium et officiorum communione sunt sociati. Quum quod ex ejusdem reipublicae antistitibus, in unum coactis, efficitur concilium, juxta varium sermonis usum, ab aliis affirmaretur esse nationale, ab aliis vero negaretur, praeferenda omnino videtur appellatio *plenarii* concilii, ne incertae potestatis vocabulum certam idearum confusionem pariat.

„Plenarium concilium absque Apostolicae Sedis auctoritate nec indici nec haberi posse", Pius PP. IX. data occasione iterum ac tertio solemniter edixit; qua de re in collect. Lacen. trinae ejus literae extant ad episcopos in variis regionibus de causis ecclesiasticis in mutatis reipublicae adjunctis deliberandi ergo congregatos datae an. 1849, Parisios ad gallicanos d. 17. Maji (t. 4., p. 4), Herbipolim ad Germanos eodem d. 17. Maji (t. 5., p. 995), Viennam ad austriacos d. 6. Julii (t. 5., p. 1336). Provide quippe recteque fuit ab episcopis germanis animadversum, ex canonum praescripto ante omnia cum S. Sede esse agendum, ut ejus celebrationem probet praesidemque constituat (t. 5., pp. 982 et 991).

In corpore juris sacri canones de conciliis sine Sedis Apostolicae venia non indicendis habentur Dist. 17.

---

[1]) Coll. Lac. t. 5., pp. 982 sqq.

per totum[1]); c. Dudum 9. C. III. q. 6; c. Significasti 4. X. de electione (I., 6); eodemque refertur dictum Gratiani ad c. 3. Dist. 3: „Provincialium conciliorum alia celebrantur auctoritate Pontificis romani (ubi scilicet nullus est hierarcha, qui illius regionis antistitibus cum potestate praesit), alia vero auctoritate patriarcharum vel primatum vel metropolitanorum ejusdem provinciae".

Ex dictis corollarii ritu infertur, neque comitia cleri gallicani auctoritate regia olim haberi solita[2]), neque frequentem illum totius imperii episcoporum conventum, quem Napoleo I. Parisiis celebrari jussit[3]), neque hodiernos episcopales congressus, in quos omnes alicujus regni vel reipublicae antistites omissa omni synodali forma conveniunt de rebus ecclesiasticis consultatum[4]); infertur, inquam, neque hos, neque alios ejus generis consessus ecclesiasticos plenariis conciliis accenseri posse, quod scilicet nullo hierarcha, cui jurisdictionis potestas in omnes metropolitas et episcopos illarum regionum competat, fuerint canonice indicti.

---

[1]) Verum quidem est, in hanc Distinctionem 17. plures canones spurios ex ea, quae ab Isidoro saeculo nono ad dimidium vergente facta est, collectione transiisse; attamen per eos nihil novi fuit in ecclesiam inductum; quum et isti canones a caeterorum genuinorum canonum doctrina minime discrepent et antiquam disciplinam omnino referant.

[2]) Ex iis notiora sunt comitia Parisiensia annorum 1681 et 1682, quorum acta dat Coll. Lacen. t. 1, pp. 793 sqq.

[3]) Pio PP. VII. Napoleo graviter succensuisse legitur, quod Papa splendidum hunc episcoporum conventum non appellasset concilium nationale, sed simplicem conventum generalem (*assemblée* générale) episcoporum. Coll. Lac. t. 6, p. 1024.

[4]) Summus Pontifex identidem episcopis „ex omnibus regni provinciis in talem consessum collectis" meritas laudes tribuit, quod ibidem „concordibus animis et collatis studiis atque consiliis omnis eorum opera in ecclesiae juribus asserendis et vindicandis, atque in majori catholicae rei utilitate et prosperitate ad sacrorum canonum tramites promovenda impendatur". Coll. Lacen. t. 5, p. 1336.

III.

Baltimorensis tertii a. D. 1884.

Baltimora[1]), urbs princeps status Marylandiae, anno 1729 condita atque a perillustrissimis viris Baltimore, qui in territorium illud a Carolo I. Angliae rege sibi in feudum concessum[2]) primas colonias deduxerant anno 1634, honoris causa appellata, in ditionibus foederatis Americae septentrionalis omnium prima civitas episcopalis a. 1789, archiepiscopalis a. 1808, insigni honoris primatu super omnes illarum provinciarum sedes decorata est a. 1858, nacta scilicet ex speciali favore Romani Pontificis singulare privilegium, „ut in conciliis, coetibus et comitiis quibuscunque archiepiscopo Baltimorensi pro tempore existenti praecedentia princepsque in sedendo locus, supra quosvis istarum provinciarum archiepiscopos, si qui adsint, nulla habita ratione promotionis seu ordinationis tribuatur"[3]). Quam honoris praeeminentiam antistites unitorum statuum iteratis vicibus a Sede Apostolica enixe postularant, „ut ecclesia metropolitana Baltimorensis a caeteris distingueretur utque memoriae traderetur, illam omnium ferme per foederatas Americae septentrionalis provincias matrem extitisse[4]). A Sede Apostolica autem hanc gratiam pro ecclesia Baltimorensi episcopatus americanus petiit, quod optime nosset,

---

[1]) Quae nunc feminina positione vocatur Baltimora, olim neutraliter dicebatur Baltimorum.

[2]) Concessum quidem erat Georgio Calvert Baltimore; verum, eo ante captam possessionem vita functo an. 1632, ipsius filius Cecilius C. B. acceptis regiis investiturae literis (Charte) solemniter fuit institutus.

[3]) Cfr. Rescriptum romanum anni 1858 in Coll. Lac. t. 3, pp. 179 et 573. — Per hanc loci praecedentiam tamen neque honorificum altioris gradus titulum (primatis vel patriarchae) neque novam jurisdictionis praerogativam archipraesul obtinuit.

[4]) Coll. Lac. l. c.

stabilem loci praerogativam unius antistitis super alios, sibi ex jure divino atque ad normam sacrorum canonum omnino pares, aliunde provenire non posse, quam ex primatu Petri, h. e., ex suprema potestate illius, qui ex divina ordinatione aequali ratione super omnes archiepiscopos et episcopos est princeps constitutus[1]).

Baltimorae celeberrimum nomen est factum a pluribus illis particularibus synodis, quae ibidem unius saeculi spatio sunt habitae: dioecesana una, provincialibus novem, plenariis tribus (1852, 1866, 1884), quorum acta et decreta explent priorem partem tomi 3. Collectionis Lacensis.

IV.

Praeside Illmo. ac Rmo. Jacobo Gibbons, archiepiscopo Baltimorensi. —

Exhibet saeculum primum annalium ecclesiae Baltimorensis pastores novem, eosque omnes archiepiscopos ac metropolitas: Carroll, S. J., ep. 1790, arch. 1808 († 1815); Neale († 1817); Marechal († 1828); Whitfield († 1834); Eccleston († 1851); Kenrick († 1863); Spalding († 1872); Rossevelt Bayley († 1877); et, qui eandem ecclesiam exinde gloriose gubernat, Emum. Principem Jacobum Cardinalem Gibbons, a SS. D. N. Leone PP. XIII. „ob ardens ejus religionis catholicae amplificandae et salutis animarum procurandae studium, singulare in Apostolicam Sedem obsequium, rerumque gerendarum prudentiam maxime commendatum“[2]), atque in sacrum purpuratorum Patrum collegium adscitum die 7. Junii a. 1886: quem D. O. M. ecclesiae americanae diu salvum conservet atque incolumem!

---

[1]) Cfr. *Kalendarium manuale utriusque ecclesiae,* t. 1, pp. 457 sqq.

[2]) Verba sunt Pontificis in ipsa Eminentissimi viri renuntiatione in consistorio secreto prolata. Ea licet praecipua quadam ratione in Illu-

V.

Praeside archiepiscopo B., delegato apostolico.

Jus in consilio plenario praesidendi archiepiscopo Baltimorensi non competit ex generali illa loci praerogativa, quam eum in omnibus congressibus episcopalibus habere diximus, sed vero ex speciali delegatione Sedis Apostolicae, vi cujus nomine Romani Pontificis concilium convocavit convocatumque juxta canones rexit ac moderatus est. Erat autem delegatae hujus potestatis vel in ipso libri titulo mentio inferenda, ut menti sacrorum canonum plene satisfieret. Delegatio scilicet est quid facti, facta autem non praesumuntur, sed probari iis debent, quorum interest[1]; hinc canones praescribunt, ut delegatus Sedis Apostolicae non tantum illos omnes, quos potestas delegata afficit, exhibitis delegationis literis ostensaque commissione, mandati sibi facti authentice certos reddat[2], verum etiam, ut delegationis apostolicae debite, ut diximus, probatae in omnibus et singulis actis expressam mentionem faciat[3]. — Jam vero titulus codicis „*actorum et decretorum*", a delegato Sedis Apostolicae hic propositi, ipsa est inscriptio seu rubrica generalis authentici instrumenti, quo acta et decreta

---

strissimum illum praesulem congruant ac quadrent, aptam tamen occasionem praeberent de eminenti cardinalatus dignitate generatim loquendi. Verum commodius argumentum prosequemur inferius, quando de officiosissimis literis sermo erit, quibus concilium cardinalem Neo-Eboracensem est veneratum (p. LXII).

[1]) Etiam in jure sacro valet regula in jure romano proposita: „factum asseverans onus subit probationis". L. Asseveratio 10. Cod. de non numerata pecunia (IV., 30).

[2]) C. Quum contingat 24. X. de rescriptis (I. 3), et C. Quum in jure 31. X. de officio et potestate judicis delegati (I., 29), juncta utrobique glossa.

[3]) Vide literas delegationis ad episcopos Austriae datas d. 28. Nov. 1856, relatas apud Moy, Archiv für kathol. Kirchenrecht, t. 2., pp. 357—358.

solemniter promulgantur. Pertinet ergo ad ipsa acta delegationis estque proinde in eo expressa mentio delegationis apostolicae facienda. — Accedit, quod sicut generatim ex titulo honorem et pretium suum res habere cernuntur[1]), ita nominatim ex titulo seu inscriptione authenticae collectionis „*actorum et decretorum*“ dignoscendum sit, quid leges in ea contentae valeant, quanam auctoritate, quave ratione fuerint conditae ac promulgatae.

---

[1]) Relege, quae de „titulo“ in introductione praedicta sunt supra pp. 6—7.

DE PRAECURSORIO MATERIARUM INDICE.

Per vestibuli januam, brevi commentario aliquatenus patefactam, vacantem aream ingressos servus ostiarius, eruditionis et officii plenus, hilari vultu excipit, exceptosque omnia diligenter edocet, quae circa visendas aedes scire cupiunt: clarum et accuratum *rerum indicem* intelligimus, qui volumini praefixus (pp. VII—XIII) ex ordine cuncta prodit, quae tribus libri partibus continentur. Et re sane vera, partes servi ostiarii, ad fores accubantis atque ad officia adventantibus praestanda promptissimi, ab ejusmodi indice, majori praesertim operi praemisso, per omnia sustineri, experti omnes testantur quicunque, in magnis juris collectionibus ad usus suos transferendis, accurati indicis beneficio, labori et tempori parcere unquam potuerunt. De boni elenchi usu scribens Varro „ad indices revertare, inquit, si qua in re quaeres, quemadmodum quidque te in colendo oporteat facere“ (*de re rustica*, I., 1). — Et quamvis id etiam de illo indice materiarum valere possit, qui ad alphabeti literas digestus plerumque ad finem operis adjicitur, index praecursorius tamen praeterea eam propriam utilitatem habet, ut ejus ope, rebus omnibus uno in conspectu provisis, potentius excitemur ad eas postea singillatim diligentius et penitus investigandas; secundum quod Seneca in simili argumento scripsit: „sume in manum indicem philosophorum; haec ipsa res expergisci coget, si videris, quam multi tibi laboraverint“ (*epist.* 39). Erat ergo, cur praevio hoc elencho praeclarae totius

operis materiae summatim ac per capita nobis in antecessum indicarentur, quo nimirum alacriores atque expeditiores evaderemus ad earundem studia debite prosequenda.

Igitur in ipso introitu in vestibulum universa concilii acta et decreta cum appendicibus *per indicem*[1]), ut vocant, edocti, binas illas solemnes literas consideremus, quae eundem indicem rerum sequuntur. Duarum porticuum instar interiorem vestibuli frontem cum aedibus jungunt. Diligenti contemplatione sunt dignissimae pretiumque faciemus operae, si per eas lentius spatiantes praestantique earum ornatui debite intendentes ad aedes ipsas accedamus.

---

[1]) Rem *per indicem* exponere jurisconsultis est causam breviori sermone summatim et παχυμερῶς, ut vocant, declarare. Sic Asconius *in 3. Verrin.* „antequam, inquit, causa ageretur, quasi per indicem rem exponebant".

DE DECRETO PROMULGATIONIS CONCILII.

Quamvis literae promulgationis concilii unum tantum princeps objectum habent, in earum interpretatione tamen partes duas easque in speciales suos articulos divisas discernere debemus, *inscriptionem epistolarem* et *decreti contextum.*

Est autem promulgationis decretum in *epistolae* modum conceptum, quia (quae est propria ratio epistolae) erat ad absentes mittendum. Neque insolita in jure sacro haec via est leges authentice in vulgus emittendi; etenim ipsae tres priores decretalium collectiones, quae in corpore juris canonici continentur, epistolis ad absentes missis, h. e., ad universos doctores et scholares in longinqua Urbe Bononia commorantes datis, solemniter promulgatae leguntur a Gregorio PP. IX. (1234), a Bonifacio PP. VIII. (1296) et a Joanne PP. XXII. (1317).

Praeeuntibus magnis scholae magistris, qui easdem illas pontificias promulgationis constitutiones glossis exornarunt, tria in epistolari Baltimorensis decreti inscriptione distinguimus, dignitatem et titulum auctoris, personas ad quas documentum mittitur, et faustam salutis precationem.

Quod auctor decreti promulgationis ordinariae suae archiepiscopali dignitati extraordinarium delegationis apostolicae titulum adjunxerit, id inde venisse putandum est, quod sacros ecclesiae canones optime perspectos haberet, quibus delegatus apostolicus in omnibus et singulis actis expressam mentionem potestatis

sibi delegatae facere jubetur, quemadmodum idem argumentum praeoccupando scripsimus supra p. 23.

Dirigitur autem promulgationis decretum ad omnes foederatarum ditionum praelatos, quia de ratione promulgationis est, ut sit locutio superioris ad totam communitatem, cui lex tanquam communis agendi norma cum auctoritate proponitur. Erat ergo romana illa concilii recognitio, a qua decretorum synodicorum vis dependebat, cunctis praesulibus illius regionis publico promulgationis actu patefacienda, ut ita communes stabilirentur canones, quibus universae omnes illarum provinciarum ecclesiae uniformiter regerentur. Sed missum est decretum ad cunctos ecclesiae praelatos, non ut singuli sunt, sed ut universi, h. e., quatenus olim in plenaria synodo legitime in unum corpus legislatorium conjuncti et congregati verum proprieque dictum magistratum ecclesiasticum constituebant; et hoc sub respectu consideratum praesens decretum a solemnibus literis indictionis concilii differt, quas iidem praelati quidem ab eodem delegato apostolico acceperunt, ut singuli erant, et nondum in publicum magistratum seu in synodum conjuncti. Hoc tunc demum obtinuit, quum patribus jam congregatis concilium a delegato apostolico authentice aperiretur. Exinde unum legitimum corpus morale formabant, h. e., unam communitatem synodicam seu societatem ipsa lege receptam, unum collegium supremi principis constitutione institutum ac confirmatum, unam amplissimam curiam vero imperio praeditam, unum scilicet majorem magistratum ex multis curialibus compositum, in quo, sicut in omnibus aliis magistratibus collegialibus, per fictionem juris existit persona moralis seu idealis, quam *personam juridicam* vocant, quae et distincta est ab ipsis personis physicis sociorum et habetur ut subjectum legitimum omnium jurium et officiorum totius collegii seu magistratus, tum quoad membra propria tum quoad populum sibi subjectum. Sic igitur in plenario

concilio Baltimorensi, auctoritate pontificia rite coacto apertoque, vere inerat persona juridica seu legitimum juris subjectum, cunctas provincias ecclesiasticas foederatarum ditionum veluti unam magnam universitatem sibi subjectam repraesentans, ac publicam potestatem habens in omnes illius territorii fideles, quin et in ipsius synodi membra. Ad patres ita vinculis synodicis adhuc formaliter conjunctos, licet ad ecclesias suas jam reversos et localiter dissitos, missum a delegato apostolico est promulgationis decretum.

De salutatione in titulis decretalium occurrente glossatores multis quaerunt, quae sit ejus natura, quis habitus ad ipsum epistolae contextum, quid valeat, quomodo prosit? Id unum nos hic notatum volumus, salutationem vel ideo fuisse adjungendam, quod promulgationis decretum in modum epistolae esset conceptum; epistolae quippe illius salutatione in cujus gratiam dantur, inscribi solent. Salutatione adscripta igitur delegatus apostolicus id agit, ut suam caritatem, benevolentiam observantiamque erga patres in synodo collectos testificatus, ipsis atque ecclesiis ab iisdem in synodo repraesentatis a Deo, ceu fonte salutis omnisque boni, felicia omnia ac fausta precetur. Et ista quidem de inscriptione.

Literarum contextum ocularis inspectio docet esse in quatuor paragraphos divisum. Prima atque altera pertinent ad historiam „decretorum synodicorum Romam missorum et auctoritate Sedis illius, in qua Petrus apostolorum princeps adhuc vivit et praesidet, legitime recognitorum“. Tertia pars ipsam solemnem decretorum promulgationem continet. Quarta tandem media praescribit ad notitiam factae promulgationis celerius et securius longe lateque diffundendam.

Quoniam de rationibus juridicis romanae recognitionis commentarius in ipsum recognitionis decretum mox aget, interpretationem praesentis contextus ad

paucas quasdam animadversiones in duas postremas paragraphos restringemus.

Promulgatio legis est sufficiens ejusdem publicatio seu propositio communitati, ut tali, cum auctoritate facta.

De ejus indole et necessitate valet dictum Gratiani in c. In istis. Dist. 4: „leges instituuntur, quum promulgantur". Est nimirum ejusmodi promulgatio ad vim et rationem legis omnino necessaria, ut adeo nondum censeatur existere lex, quamdiu legitime promulgata non est, etsi conclusa sit in comitiis vel a principe administris praesentibus et consulentibus decreta; nam lex est, quemadmodum jam ex Zallinger[1]) animadvertimus, *locutio* principis ad communitatem, et pro *forma* habet publicum hunc actum ad communitatem directum: uti citatio et sententia judicialis non intelligitur nisi per sensibilem actum judicis quo rei, in judicium vocati, aut litigantes mentem judicis cognoscere possunt. Quemadmodum igitur citatio et sententia, quantumvis rite concepta et in tabella seu libello scripta ac per judicem legendo et relegendo diligenter recognita et emendata, ante actum illum judicis ad reum et agentes directum a forma sententiae et citationis judicialis deficit: ita et voluntas legislatoris, utut deliberata, definita, certa et literis consignata, sine promulgatione rationem et essentiam legis non habet. Unde promulgatio recte omnino *forma legis* vocatur. Hinc decreta Baltimorensia ante editas has promulgationis literas pro legibus observari non poterant.

Lex sufficienter censetur promulgata, si voluntas legislatoris communitati ita est manifestata, ut omnes in ejus notitiam venire possint; non autem est necessarium, ut singulis nominatim intimetur, nisi id in peculiari aliquo casu ob singularia rerum adjuncta fuerit a legislatore expresse requisitum; et ratio est, quia

---

[1]) Institut. juris eccles., l. 1., tit. 2., §. 164.

promulgatio ex natura sua est actus directus ad totam communitatem et non ad singulos subditos. Quamobrem Innocentius PP. III. merito generatim declaravit, „non esse necessarium, quum constitutio solemniter editur aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel literas inculcare“[1]).

Quadruplex distinguitur promulgationis species, universalis, localis, personalis et mixta ex locali et personali.

Promulgatio *universalis*, quae et *ordinaria* audit, in publicatione legis habetur, quae una in urbe tantum, juxta statutum promulgandi modum[2]), cum universali effectu peracta est, ut omnes totius communitatis socii ubilibet degentes obligentur.

Promulgatio *localis* facienda est in singulis locis, sive dioecesibus sive paroeciis, prout circa peculiares quasdam leges ex singularibus causis praescriptum reperitur.

Personalem promulgationem atque intimationem plerumque requirunt specialia pontificia rescripta gratiae et justitiae: quae tamen stricte loquendo proprie dictae leges non sunt, quum communem agendi normam non constituant.

Promulgationem *mixtam*, h. e. *localem et personalem* fieri vult legislator, si legem non publice juxta consuetum promulgandi modum, sed domi certis quibusdam personarum generibus in domicilia sua convocatis authentice proponi jubet.

Promulgatio universalis seu ordinaria sola sufficit, si legislator alias non praescripsit tanquam conditiones, a quibus obligandi vis penderet. Sed ea de re jam satis est dictum.

---

[1]) C. Ad haec I. X. de postulatione praelatorum (I., 5).

[2]) Variis modis promulgatio fieri potest, voce praeconis, documento publice affixo, constitutione principali, codice authentice ad scholas vel ad judices misso, relatione in solemni ac determinata ephemeride, coacta synodo ac lege ibidem in lucem emissa.

Solemnia exempla necessitatis promulgationis localis extant in duabus legibus conciliorum oecumenicorum, Lateranensis quarti et Tridentini, quarum altera refertur in corpore juris canonici, altera vero in Decretis Tridenti conditis. — Prior est constitutio synodica anni 1215 de poena iis medicis infligenda, qui ad infirmum vocati eum „ante omnia non induxerint“ ad confessionem peragendam: quam poenam non incurri vult concilium, nisi „postquam ipsa haec lex fuerit per praelatos locorum publicata“[1]. — Altera est lex Tridentina de impedimento clandestinitatis, quam legislator „robur suum habere noluit, nisi post triginta dies computandos a die primae publicationis in eadem parochia factae“[2].

De mandatis, rescriptis, privilegiis aliisque constitutionibus specialibus personali, ut diximus, promulgatione intimandis conferri possunt tum quae Bonifacius PP. VIII. habet c. Quia cunctis 1. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis (III., 7), tum quae de officio delegati apostolici ipsi paulo inferius afferemus.

Exemplum tandem necessitatis promulgationis mixtae, localis et personalis, statuit Clemens PP. XIV. in mandato executionis literarum suppressionis Societatis Jesu an. 1773. Gravissimis de causis quippe noluit Pontifex breve suum robur habere, nisi postquam religiosis ipsis in sua domicilia convocatis per executores ad id deputatos fuisset authentice publicatum et intimatum[3]. Hinc constitutio ista neque Romae fuit

---

[1]) C. Quum infirmitas. 13. X. de poenitentiis et remissionibus (V., 38).

[2]) C. Tametsi 1. Concil. Trident. sess. 24. de reformatione matrimonii.

[3]) Quod Papa actualem Societatis Jesu abolitionem ab ea conditionem pendentem fecerit, id inde venit, quod curia pontificia in magno eoque vero timore esset, ne, ordine per unam solemnem promulgationem consueto more in Urbe Roma factam cum effectu extincto, potestas saecularis statim in res Societatis deletae tamquam in bona derelicta invaderet. Statuta hac necessitate promulgationis localis et personalis

juxta stylum et consuetudinem curiae promulgata, neque alibi potuit executioni mandari nisi per localem et personalem publicationem auctoritate Papae factam, quemadmodum in Urbe ipsa, in singulis domibus, fuerat religiosis a peculiaribus executoribus apostolicis personaliter intimata. — Societatis homines interim in eodem statu manebant, quo antea erant, votis caeterisque vitae regularis officiis adstricti, quoad eis breve suppressionis modo a Pontifice praescripto intimatum est, sicque evenit, ut ordo Societatis Jesu in aliquibus regionibus adhuc diu post editum abolitionis breve legitime extiterit, in Gallia immo et in Russia nunquam canonice suppressus sit. Qua de re plura videri poterunt in opere nostro *„de rationibus festorum utriusque SS. Cordis“*, edit. 5., t. 1., pp. 180—182, 230, 483.

Et ista quidem suffecerint ad illustrandam necessitatem accurate eam promulgationis formam servandi, quam legislator ipse praescripsit. Quodsi nullus particularis modus fuerit expresse determinatus, tunc promulgatio universalis et ordinaria, ut praediximus, omnino sufficiens haberi debet.

Atqui archiepiscopo Baltimorensi nulla erat specialis promulgationis forma praescripta; id unum enim circa synodi promulgationem apostolicae delegationis literae continebant, ne acta et decreta publicarentur, antequam Romae fuissent debite revisa ac recognita. Recognitione rite peracta concilium una illa universali et ordinaria promulgatione cum auctoritate publicari potuit, qua illud revera per solemne promulgationis decretum in forma epistolari ad universos concilii patres, localiter quidem per varias reipublicae ditiones jam dispersos, formaliter vero adhuc in synodo sacratissimis collegii vinculis conjunctos, ex urbe Baltimora

id provide spectavit Pontifex, ut legitimo proprietatis subjecto perdurante bona Societatis de manu ordinis in manus episcopi tanquam delegati apostolici transirent, et sic demum communitas religiosa censeretur abolita.

missum, omnibus provinciis ecclesiasticis foederatorum statuum obligatorio modo propositum a delegato apostolico conspicimus. Qua solemni promulgatione peracta plenarium concilium tandem cum effectu solutum est, delegatique potestas quoad actus synodicos ponendos cessavit, quemadmodum in interpretatione mandati delegationis dicemus infra p. 62.

Promulgationis decretum ultimo loco tandem praescribit idonea media ad notitiam factae promulgationis certius ubique locorum divulgandam. Est autem ipsa promulgatio omnino ab ejusmodi mediis ac cautionibus distinguenda, quibus legislatores id spectant, ut leges jam solemniter promulgatae singulis subditis proponantur, explicentur, in memoriam revocentur et commendentur. In exemplum afferri possunt duae leges memoratorum conciliorum oecumenicorum. Prior est „famosa“, ut eam rubrica vocat, „et multum allegabilis“ constitutio concilii Lateranensis anni 1215 de annua confessione et paschali communione, relata c. Omnis utriusque 12. X. de poenitentiis et remissionibus (V., 38): „quod salutare statutum, verba sunt ipsius concilii, frequenter in ecclesiiis publicetur, ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat.“ — Altera est lex tridentina de impedimento clandestinitatis jam superius adducta, circa quam synodus, „ne quemquam lateat, ordinariis omnibus praecipit, ut quamprimum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam saepissime, deinde vero quoties expedire viderint“. (C. Tametsi cit.). Ad eandem hanc mediorum oeconomiam pertinet cautio a delegato apostolico adhibita, ut nimirum plenarii concilii decreta per solemnes has literas rite jam promulgata „in synodis provincialibus et dioecesanis post hanc promulgationem quamprimum habendis denuo promulgentur“; non quidem ut tunc demum obligari incipiant, sed „ut eorundem

executioni melius consulatur". Quod autem delegatus apostolicus declaraverit, decreta sic proposita ex ipsius synodi sententia statim a prima promulgatione obligare, id omnino ad mentem sacrorum canonum est statutum. Verum quidem est, ex antiqui juris romani praeceptis leges imperiales regulariter non obligasse nisi duobus mensibus post earundem promulgationem[1]; sed legislatorem ecclesiasticum ea promulgationis solemnitate jus sacrum non coarctavit; unde constitutiones a legitimis ecclesiae magistratibus rite editae statim obligant, nisi in ipsis tempus exprimatur, a quo obligare incipiant, quemadmodum in capite Tridentino „Tametsi" circa legem clandestinitatis fieri vidimus.

---

[1]) Cfr. Nov. 66, cujus rubrica haec est: „Ut factae novae constitutiones post publicationem earum post alios duos menses valeant" (*περὶ τοῦ τὰς γινομένας νέας διατάξεις μετὰ τὴν ἐμφάνισιν αὐτῶν μετὰ δύο μῆνας ἄλλους κρατεῖν*).

DE DECRETO RECOGNITIONIS CONCILII.

Recognoscere decretum ex ipsa verbi formatione generatim significat, id quod re mature discussa legitime jam est statutum[1]), denuo cognoscere iteratoque examini subjicere.

Recognitio concilii speciatim est authentica illa, quae ex canonum praescripto per romanos judices repetenda est „actorum et decretorum" ejusdem accurata inspectio, pensiculata investigatio, exacta dijudicatio. Unde *decretum recognitionis concilii plenarii* solemne instrumentum vocatur, quo sacra congregatio de Propaganda fide, de mandato Summi Pontificis, authentice testatur, „decreta concilii Baltimorensis ad tramites juris fuisse, diligenti inquisitione adhibita atque omnibus accurato studio debitaque judicii maturitate pensatis, in generalibus ejusdem s. congregationis comitiis[2]) expensa ac, nonnullis emendationibus et modificationibus adjectis, ut ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, recognita; eandemque recognitionis sententiam, pontificia approbatione munitam[3]), expedito hoc decreto proponi et promulgari".

In definienda vi ac ratione hujus decreti recognitionis uti debemus generalibus interpretationis regulis in jure sacro propositis, nominatim iis principiis, quibus doctores innixi de valore confirmationis actuum judicant.

---

[1]) Recolantur, quae de natura decreti animadversa sunt supra p. 13.

[2]) Habita eo in negotio sunt comitia diebus 17., 24., 27., 31. Aug. et die 5. Sept. 1885.

[3]) Die 10. Sept.

Ejus materiae sedes propria est titulus 30. libri 2. decretalium „*de confirmatione utili vel inutili*".

Ante omnia ergo quaeritur, sitne „approbata" haec recognitio concilii canonica illa „actorum et decretorum" confirmatio, de qua tum in citato juris titulo tum alibi saepe agitur, necne?

Cui quaestioni ut rite satisfiat, pauca haec principia de natura et divisione confirmationis sunt ex jure praemittenda:

Confirmatio communiter definitur „juris prius habiti seu quaesiti per legitimum superiorem facta corroboratio".

Dicitur autem *juris prius habiti seu quaesiti;* nam „confirmatio inquit Schmalzgruber ad h. t., n. 2., semper supponit aliquid prius esse, quod confirmetur", sive id legitime ac valide sit gestum, sive invalide ac nulliter; in priori casu agitur de corroborando jure jam habito, in altero autem de jure non quidem habito, de facto tamen quaesito.

Duplex distinguitur confirmationis species, altera *in forma communi*, quae et *simplex* atque *ordinaria* vocatur; altera *in forma speciali*, quae dicitur etiam *ex certa scientia.*

Confirmatio *simplex* atque *ordinaria* actum ab inferioribus gestum in eo statu confirmat, *in quo prius fuerat*, nullum jus novum neque valorem illi tribuendo; supponit, non facit actum validum eumque approbat, *in quantum jam valet*[1]). Licet vero actui per se invalido nullum robur tribuat, non tamen inutilis est ejusmodi confirmatio in forma communi data; semper enim manifesto indicio est, non procedi clam atque impro-

---

[1]) Exempla confirmationis in forma communi extant c. Quoniam abbas 14. X. de officio et potestate judicis delegati (I. 29); c. Examinata 7. X. de confirm. utili vel inut. (II. 30); c. Quia diversitatem 5. X. de concessione praebendae (III. 8); c. Illa devotionis 2. X., ne sede vacante aliquid innovetur (III. 9).

vide et sine scientia principis; ac majori fiducia exerceri potest jus, cujus confirmatio bona fide fuit expresse postulata, et cujus usus, stante confirmationis petitione, a principe non fuit improbatus.

Confirmatio *in forma speciali* contra novum jus tribuit actui, eumque, si antea ex vitio aliquo fuisset invalidus, firmum reddit et validum, quasi per novam concessionem et, quatenus opus est, per dispensationem[1]).

Quaenam vero indicia sat firma censeantur, ut inde colligi possit, confirmationem in forma speciali esse datam, apud auctores in praesentem hunc titulum 30 scribentes fuse declaratum invenies.

Quibus breviter praenotatis, ad propositam quaestionem de valore recognitionis concilii ita responderi posse videtur: „Licet recognitio a Summo Pontifice approbata auctoritatem confirmationis in forma speciali non attingat, eidem tamen proxime accedit“.

Veritas prioris partis hac una consideratione suadetur: De ratione confirmationis in forma speciali est, ut actui, qui propter canonicum, quo laborat, vitium invalidus est, vim tribuat ac valorem. Atqui recognitio concilii per Papam approbata id non efficit, ut quae antea in decretis erant invalida, reddantur valida et firma. Ergo recognitio haec vim non habet confirmationis in forma speciali.

Propositio minor probatur ex facto; constat enim ordinarium illum magistratum, qui decretis conciliorum authentice recognoscendis est in curia romana constitutus, data occasione re ac facto declarasse, decretum concilii ab ipso antea legitime recognitum et in volumine „actorum et decretorum“ sine emendatione relictum, viribus non subsistere, quod nimirum adversetur

---

[1]) Exempla confirmationis in forma speciali habes c. Sicut grave 1. X. de transactionibus (I. 36); c. Venerabilis 8. X. de conf. ut. vel inut. (I. 30); c. Si apostolicae 22. de praebendis et dignitatibus in 6 (III. 4).

juri communi. — Exemplum extat in concilio provinciae Remensis ab Emo. cardinali et archiepiscopo Gousset in civitate Suessionensi habito a. 1849, tit. 14., c. 2., et est *de pluralitate vicariorum capitularium* sede vacante constituendorum. Refertur in coll. Lacen. t. 4., p. 135 his conceptum verbis: „Quoniam apud Galliarum ecclesias, propter nimiam dioecesium extensionem, episcopus duos, archiepiscopus tres vicarios generales a gubernio stipendium recipientes habet, ex diuturna consuetudine capitulum potest aut eosdem eligere sub *vicariorum capitularium* nomine, aut alios ipsis adjungere vel etiam substituere. . . . Exercitium jurisdictionis episcopalis ad capitulum devolutae transfertur ad vicarios capitulares. . . . Isti semel rite constituti non possunt revocari . . . potestatem administrandae dioecesis habent. . . .“

Erant autem concilii „acta et decreta“ universim hac formula authentice recognita ac probata: „Etsi Patres Eminentissimi sacrae congregationis concilii (quorum examini, judicio et correctioni erant subjecta) pauca quaedam animadvertenda et corrigenda judicaverint, antequam concilii acta in vulgus edantur, ceu folium hic insertum ostendit; attamen saluberrima ipsius concilii decreta ac monita probanda duxerunt, vehementer gratulantes etc.“ (L. c. p. 102).

Sed neque solemnis haec concilii recognitio neque splendida decretorum approbatio impedire potuit, ne eadem illa cardinalium congregatio prima data occasione decretum de retinenda consuetudine plures vicarios capitulares eligendi, a se non ita pridem recognitum et probatum, invalidum declararet, quod nimirum contra jus commune esset. Quum enim congregatio concilii ex relatione status ecclesiae metropolitanae Remensis, ab eodem Emo. archiepiscopo limina apostolorum ex canonum praescripto visitante facta an. 1857, comperisset, capitulum ecclesiae Remensis jure per hoc decretum firmato uti, post accuratam rei

tractationem suarum partium esse duxit, archiepiscopo ex officio rescribere, id non licere. Literae congregationis ad Emum. card. Gousset datae sunt die 14. Julii 1858, atque in rem nostram haec continent: „Quod innuis, istic sede vacante tres vicarios capitulares eligi solere, animadvertunt eminentissimi Patres, capitula cathedralium infra octo dies post obitum episcopi unum dumtaxat, ex cap. 16, sess. 24. de reformatione, vicarium capitularem, non autem duos vel plures deputare debere, quemadmodum de vicariis generalibus agere licitum est. Haec porro pluries declaravit sacra congregatio episcoporum et regularium necnon et haec ipsa. . . . Monebis itaque capitulum, ut quando vacatio ceciderit, — quod longe sit —, huic disciplinae adhaereat"[1]).

Constat igitur ex facto, per romanam concilii recognitionem actui per se invalido valorem non tribui, indeque infertur, authenticam hanc decretorum recognitionem, utut a Summo Pontifice approbatam, a vi ac ratione confirmationis in forma speciali deficere. Eidem tamen, — et haec est altera pars theseos —, proxime accedit; sunt enim conciliorum „acta et decreta" de mandato Summi Pontificis cum auctoritate recognita, et cum amplissima rerum notitia „diligentique inquisitione adhibita atque omnibus accurato studio pensatis ab apostolicis judicibus revisa; atque ut ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, probante eodem Pontifice, proposita". Atqui haec edici non solent nisi de confirmatione in forma speciali, quemadmodum ex iis patet, quae doctores de peculiaribus illis signis tradunt, quibus ejusmodi confirmatio a simplici et ordinaria confirmatione distinguitur.

Quid ergo concilii recognitio operabitur, si ex una parte illos actus, qui antea jam validi erant, tantum agnoscat, primogenio suo valore esse praeditos, ex

---

[1]) Cfr. Bouix, *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1860, II., p. 293.

altera parte vero eos, qui per se invalidi erant, in sua nullitate relinquat? Numquidnam idcirco proprio suo effectu carebit?

Quemadmodum in describenda natura recognitionis decretorum *per excessum* peccaret, qui eidem efficaciam tribueret actui antecedenter invalido legitimum valorem tribuendi, ita *per defectum* erraret, qui eam prorsus nihil operari statueret.

Decreta ex origine sua jam valida quod attinet, „dum quae juxta ecclesiasticum morem juste et rationabiliter sunt definita, apostolica quoque sententia roborantur“[1]), „fiunt clariora et quasi nova quadam luce irradiantur, quum decreto Papae confirmantur“[2]); sicque illustrata rite promulgantur promulgataque nativam suam obligandi vim exerunt.

Quod autem spectat decreta antecedenter invalida, recognitio ante omnia id efficit, ut, quemadmodum superius dictum est, qui eam impetrarunt, sine formidine reprehensionis ac majori fiducia jus aperte et coram principe quaesitum exerceant. Deinde si post recognitionem rite peractam de actu vel de jure sic probato lis oriatur, de ea nemo cognoscere potest nisi ipse Papa vel ejus delegatus; unde multo difficilius impugnabitur, quam si tanta confirmationis auctoritate non fulciretur. — Immo quum graves illae verborum formulae in decreto recognitionis adhibitae fere de numero clausularum sint, quae juxta stylum curiae romanae partibus *os claudere* censentur, de valore decreti in concilio contenti disputari seu disceptari non potest, nisi in antecessum specialis facultas ea de re a Summo Pontifice fuerit impetrata[3]), quod apud ejus

---

[1]) C. Ea quae 4. X. de sententia et re judicata (II., 27).

[2]) Similia habet s. Ivo Carnotensis ad Paschalem PP. II., ep. 110. (Migne, Patr. lat., t. 162., p. 129).

[3]) Sunt immo, qui putent, etiam per simplicem Papae confirmationem sine memoratis clausulis magistratus inferioris manus ligari parti-

tribunal fieri solet, cujus „Signaturae gratiae“ nomen est. Eam facultatem proprio nomine *aperitionem oris* appellant. — Sunt autem decreta sic recognita, utut ex origine sua irrita, inviolabiliter observanda, usque dum Summus Pontifex vel ejus delegatus eos, quos concilii leges afficiunt, obligatione sua legitime solverit.

Neque tamen a reverentia plenario concilio supremisque romanis revisoribus debita dicendus est deficere, qui — dum interim decreta rite observat — servandis per omnia servatis Summo Pontifici pro benigna alicujus decreti emendatione humiliter supplicat. Quamvis enim princeps ratio hic non valet, ob quam in utroque jure appellatio a sententia inferioris judicis ad superiorem magistratum conceditur, nimirum ut gravamen ex iniquitate vel ignorantia prioris judicis oppresso illatum tollatur[1]), patet tamen esse causas, ex quibus ejusmodi recursus ad Papam sine ulla irreverentiae nota fieri possit. Et primo quidem, auctores et revisores decretorum quod spectat, quum jus plerumque ex facto oriatur, ea vero „quae facti sunt et in facto consistunt, probabiliter ignorari a legislatore

---

busque os claudi, quod nimirum duo priora capita hujus tituli omni confirmationi pontificiae eum effectum tribuant („non est licitum judici de quaestione post confirmationem exorta decernere . . . absque Sedis Apostolicae mandato“: c. Si quis 1.; „contra confirmationes romani Pontificis, nisi novum Apostolicae Sedis procedat mandatum, non est aliquatenus judicandum“. c. De confirmationibus 2.). — Alii vero necessitatem petendi aperitionem oris pro futura disceptatione ad confirmationem in forma speciali restringunt. Quin et de hac necessitate eximunt disputationem contra plures actus nominatim in jure exceptos, de quibus videatur Zallinger ad h. tit. §. 464. Qua in doctorum dissensione nos, exemplum quod Pontifex alibi (c. Querenti 26. X. de officio et potestate judicis delegati, II., 29) in simili dubio solvendo dedit, humiliter secuti, media via incedimus, necessitate impetrandi oris aperitionem pro inchoanda disceptatione restricta ad confirmationes speciales atque ad eas, quae specialibus proxime accedunt.

[1]) C. Suggestum 15. X. de appellat. (II., 28) jcta. lege Siquidem 1. π. de appellat.

possint"[1]), profecto irreverenter non agit, qui decretum aliquod novis rationibus illustrando ejus emendationem rite fieri desiderat. Deinde quod eos attinet, qui decretis afficiuntur, pariter manifestum est, ipsos, legitima facultate obtenta, in nova alicujus decreti revisione id reverenter et officiose reparare posse, quod prius vel ex ignorantia vel ex negligentia vel alia ex causa praestare omiserunt. Et ista quidem de recognitione et revisione decretorum concilii.

Distingui a revisione decretorum debet revisio et recognitio actorum, quae decretis praemittuntur. Haec potius in ipsam authenticam actorum formam atque in eam, quae actis inest, vim probandi cadit, quam in materiam in actis relatam: ea ferme ratione, qua approbatio pontificia editionis primae partis corporis juris canonici seu „Decreti Gratiani" a revisoribus romanis sub Gregorio PP. XIII. factae ad ipsam emendatam editionem refertur, addita etiam prohibitione, ne quidquam in ea immutetur vel nova addendo vel antiqua detrahendo. — Per romanam actorum revisionem igitur certi sumus, ea legitime esse conscripta atque inde publicam fidem facere, res in concilio revera ita esse gestas, quemadmodum in actis referuntur, quin tamen ibidem authentice relàta suprema auctoritate confirmentur. Sic, ut ex ipso hoc concilio Baltimorensi exemplum afferamus, ex eo quod in causa admissionis Rmi. Eduardi Sorin, qui jam per triginta annos superioris generalis congregationis s. Crucis mu-

---

[1]) C. Licet 1. de constitutionibus in 6 (I., 2). — Animadverti tamen debet, ipsi „Summo Pontifici proprium suum factum narranti fidem plenariam esse adhibendam, si super ista narratione gratia vel intentio Papae fundatur", quemadmodum habet c. Literis nostris un. de probationibus Clem. (II., 6). Dicitur autem Papae sic de suo facto testanti „plenaria fides adhibenda", quia quae Summus Pontifex tanquam fundamentum suae gratiae in rescripto narrat, sunt ita certa, ut non admittant probationem contrariam, quae narrationem perimat aut falsam ostendat. Cf. gl. ad c. Literis nostris cit.

nere maxima cum laude fungitur[1]), unus Episcopus referatur affirmasse, Rmum Sorin, utpote superiorem generalem congregationis suae, Patri generali ordinis aequipollere ideoque in conciliis quoque oecumenicis vocem habere definitivam, „ut patet — verba sunt ejusdem episcopi — ex concilio Vaticano, ubi hoc privilegio gavisus est Rmus. Sorin"; ex hoc, inquam, inferri non potest, per actorum revisionem et recognitionem fuisse approbata quae Rmus. ille praesul asseruisse legitur. Quum enim per errorem factum esset, ut Rmus. episcopus contra jus canonicum affirmaret, superiorem generalem congregationis (cum votis simplicibus tantum) aequipollere Patri generali ordinis (cum votis solemnibus), ideoque in conciliis quoque oecumenicis vocem habere definitivam[2]), ejus sententia approbari non potuisset nisi per confirmationem specialem, quae juri communi derogasset. Atqui ejusmodi confirmatio in forma speciali non inest in romana concilii recognitione et revisione, quemadmodum pluribus ostensum est supra pp. 38—39. Et a fortiori non inest in revisione actorum, quam in solam formam, non vero in contenta, cadere monuimus.

Nec magis erui ex recognitione actorum, potest probatio assertionis, „in concilio Vaticano eodem illo privilegio gavisum esse Rmum. Sorin"; pertinet enim

---

[1]) Congregationem hanc de Ecclesia bene merentem anno 1793 fundavit primusque rexit R. P. Dujarie, cui anno 1837 in superioris officio successit R. P. Moreau. Eidem, constitutionibus congregationis tandem a Sancta Sede approbatis anno 1857, in suprema praefectura suffectus est R. P. Sorin. Sed de historia congregationis ejusque trium, quos diximus, superiorum generalium videri poterunt, quae ipsis his diebus late prosecutum est folium periodicum in principe domo congregationis (University of Notre Dame, Ind.) editum sub titulo „*The Notre Dame scholastic*", die scilicet 1. Augusti currentis anni 1887, n. 1., pp. 9—11. — In Kalendario romano, cui titulus „*La gerarchia cattolica*", inter adductas 24 congregationes ecclesiasticas, quae votis solemnibus carent atque inde ab essentia ordinis regularis deficiunt, congregatio s. Crucis posita legitur 18. loco (p. 457, edit. 1887).

[2]) Eo jure utuntur quidem moderatores generales ordinum regularium, minime vero superiores generales congregationum religiosarum: qua de re uberius disputabitur in quinta atrii statione, loco 2.

et assertio ista ad contenta in actis, super quae probatio et revisio non cadit. Romana actorum recognitio ergo, quantumvis nos certiores facit, sermonem istum Baltimorae revera esse habitum, assertum factum tamen non confirmat, scilicet Rmum. superiorem generalem congregationis s. Crucis in concilio Vaticano ea praerogativa fuisse ornatum. Hinc lector ut irreverens auctoritatis revisoribus debitae argui nequiret, quod non obstante actorum recognitione praetensum illud factum addubitaret; seposito etiam quod nomen ejusdem Rmi. Sorin in universo catalogo Patrum concilii Vaticani, qui Romae est legitime typis exscriptus, non occurrat[1]).

Ac de priori propylaeorum parte dixisse abunde sit!

Sic igitur amoena utilique ambulatione in vestibulo confecta tandem ad fores aedium pervenimus.

---

[1]) In hoc catalogo, ex officina „dell' osservatore romano" in lucem emisso an. 1870, referuntur 49 moderatores generales ordinum regularium, qui concilio Vaticano interfuerunt (p. 60); nemo tamen ex superioribus generalibus congregationum religiosarum ad concilium vocatus legitur. Consonat catalogus latino idiomate in *actis et decretis* ejusdem concilii editus Friburgi, apud Herder, quemadmodum inferius in visenda quinta atrii statione, ad quam lectorem jam delegavimus, clare intelligetur.

PROPYLAEA.

PARS II.

ATRIUM.

ACTA CONCILII.

PROSPECTUS IN ATRIUM
in septem stationes distinctum.

Foribus domus patefactis, universa majestas atrii sive aulae synodi oculis visentium se aperit. Septifariam divisa conspiciuntur acta, ex quibus velut ex sumptuoso lapide exstructae sunt porticus, quae mediam aream sub dio relictam cingunt ac circum tegunt. Singulae partes (more romano „stationes“ diceres) suis sunt magnificis operibus excultae; prae caeteris tamen auctior et ornatior est adversa frons, in qua imago SS. D. N. Leonis PP. XIII., celebratissimae opus picturae, forma auro argentoque splendenti comprehensa, beneficos radios quaqua versus emittit.

I.

In prima actorum parte seu statione tria solemnia documenta proponuntur (pp. XIX — XXIII.), quibus universa concilii structura integre perfecteque exaedificata nobis exhibetur visenda. In literis apostolicae delegationis ad archiepiscopum Baltimorensem datis posita sunt firmissima aedificii fundamenta, quibus reliqua omnia nituntur. Per literas indictionis, quae altero loco leguntur, ipsa synodus est legitime super fundamenta illa constituta atque aedificata. Literae patrum ad Summum Pontificem denique plenarium concilium in absoluta sua perfectione splendens veroque zelo apostolico inflammatum ostendunt; per omnia enim praeclarum illum sensum filialis devotionis erga Sedem

Apostolicam et pastoralis sollicitudinis pro ovibus sibi commissis, quo sancti antiquarum synodorum patres excelluerunt, spirant palamque testantur.

Succedunt stationes quinque, scilicet 2, 3, 4, 5 et 6, in quibus auctor voluminis nostri ipsa acta synodica ad concinnitatem architectonicam locata rite distribuit, symmetriam ac decorem omni studio consectatus.

II.

In secunda statione refertur *de congregationibus praeliminaribus* (pp. XXIV—XLI), in quibus, quae concilio jamjam aperiendo videbantur necessaria, proxime erant apparanda. Quamvis enim, quae in omnibus negotiis adhiberi in antecessum debet, praeparatio a delegato apostolico jam fuisset diligenter praemissa, prudenter tamen ipse voluit, ut patres quoque, priusquam synodum aggrederentur, collatis consiliis aptarent omnia ac proxime instituerent, quae res adeo gravis postularet. — Auctor libri, a majoribus ad minora et particularia descendens, acta congregationum praeliminarium ita disponit, ut primo loco exhibeat, quae a metropolitis solis, deinde quae ab archiepiscopis et episcopis in unum congregatis, tertio tandem quae ab omnibus synodalibus simul collectis gesta sunt. In altera hujus partis sectione constitutae leguntur 12 deputationes synodicae, variis materiis tractandis destinatae, singulisque assignantur exedrae suae cum thronis pro episcopis deputationum praesidibus, ac cum multis circumpositis sedilibus et mensis ad scribendum factis pro officialibus, theologis, canonistis caeterisque omnibus partem aliquam in rerum tractatione sortitis.

III.

Tertia actorum pars, quae est *de sessionibus solemnibus* (pp. XLII—LVIII.), structura est majoris cultus majestatisque, infinita pretiosa suppellectili ornata, quae

tamen non vano ostentui sed verae aedificationi ac doctrinae servit. In ea praecipuas actiones synodales veluti periti artificis manu depictas vides. — Tertiam hanc partem digna claudit contemplatio magnificae imaginis Summi Pontificis Leonis XIII., „quam ipse Sanctissimus Pater archiepiscopis statuum foederatorum anno praecedenti Romae congregatis benigne donaverat et in cujus conspectu habitae sunt patrum congregationes“ (p. LVIII.). Ea, ut in primo nostro in atrium ingressu non sine admiratione praediximus, totum concilium auctoritatis pontificiae splendore irradiat. Tertiam hanc stationem vere *regiam* dixeris a summa hierarchiae americanae amplitudine, quae in ea se explicat.

IV.

In quarta statione exhibentur *Missae synodales solemnes absque sessione* (pp. LIX—LXI.). Eam non immerito *feriatam* vocamus, quod dies complectatur, quos synodus, tantisper feriata, a communi labore exceptos solisque religionis rebus datos voluit. Fulget feriata haec statio magnis nominibus, signis ac meritis 41 episcoporum, qui inde ab ultimo concilio plenario Baltimorensi ad aeterna gaudia pastorum vocati sunt. Finem facit nitida laudatio cantus gregoriani et musicae sacrae ad adjuncta temporis quam maxime accommodata.

V.

Quinta actorum pars dat pretiosissima *excerpta ex congregationibus privatis* synodi in octo paragraphos distributa (pp. LXII—LXVII.), quae lectorem sacrorum canonum cupidum praecipua delectatione alliciunt, allectumque rerum novitate ac magnitudine tenent. Debita attentione ea visenti inspectum praebent interiorum sacratiorumque concilii officinarum, e quibus decreta tandem perpolita et limata prodierunt. Omnes

profecto in admirationem haud exiguam convertit, quod concilium amplissima sua actione tot tamque diversa rerum capita est complexum, sanctos in coelis et viatores in terris, utrumque orbem, orientem et occidentem, Europam et Americam, praepositos et subditos: quae certe praestari non potuissent, nisi patres in summa agendi alacritate diligentissimi temporis dispensatores extitissent.

VI.

Sextam actorum stationem illa una sola epistola pastoralis explet (pp. LXVIII—CI.), quam concilium ad universos statuum foederatorum catholicos dedit. Opus est palmare, in quo perficiendo patres, quid et eo in genere possent, ostenderunt.

VII.

Ut unde exorsa est ibidem terminetur actorum dispositio, architectus noster in extrema parte tandem plura documenta Sedis Apostolicae sistit, quibus Summus Pontifex ad postulata patrum respondet (pp. CII—CIX); sicque altissimum actorum fastigium, pontificiis signis affixis et acroteriis impositis, eadem illa suprema auctoritate fulget, cui totam actorum structuram in prima parte niti vidimus.

Actis ita septifariam distinctis, breves quasdam animadversiones in selecta capita, interpretationis instar, adscribemus.

STATIO PRIMA.

I.

De literis apostolicae delegationis (pp. XIX—XX.).

In pontificiis hisce literis novum certumque documentum ardentis illius caritatis prostat, qua Leo PP. XIII. universum, qua late patet, mundum constanter complectitur. Dum enim aliunde stupendas ejus curas longinquo orienti atque ipsi Europae nostrae impensas merito admiramur, praesens delegationis breve Sanctissimi Patris pastoralem sollicitudinem, virtutem, sapientiam etiam occidentem versus, in remotissimi novi orbis utilitatem, se effundere clamat atque testatur.

Tria in hoc documento sunt interpreti distinguenda, delegatio archiepiscopo Baltimorensi facta, finis plenario concilio praestitutus et clausula brevi apostolico adjecta.

Descriptio finis concilii a delegato in literis indictionis repetitur, ac veluti ichnographia totius aedificii patribus in antecessum proponitur; unde eam et nos in ipso illo indictionis monumento commode afferemus: interpretatione hujus capitis interim ad duo reliqua argumenta contracta.

1. De mandato delegationis apostolicae.

Initium acta merito ducunt a pontificia constitutione, qua totum negotium plenarii concilii habendi archiepiscopo Baltimorensi cum necessaria auctoritate

delegatur. Per apostolicas has literas quippe jactum est solidum fundamentum, „in quo omnis synodi aedificatio constructa crescit in opus Dei perfectum in Domino"; iis enim effectum est, ut concilium legitime indiceretur, authentice dirigeretur, canonice absolveretur ac tandem solemniter promulgaretur.

Sed de natura hujus facultatis archiepiscopo Baltimorensi a Summo Pontifice factae non sine utilitatis fructu quaeritur, utrum fuerit potestas *vicaria*, an *mandata*, an vero *simpliciter delegata*, et ita quidem uni archiepiscopo tributa, ut in alium transire non potuisset? Similiter, quid ea delegatio proprie valuerit et quando tandem expirarit?

Propriam et ordinariam jurisdictionem eam esse monuimus (p. 16), quae magistratui ex ipso munere suo ita competit, ut eam hoc solo habeat, quod tali officio, ut proprio, fungatur; delegatam contra eam diximus, quam magistratus non vi proprii officii, sed alieno beneficio concessam possidet, h. e., ex speciali commissione vel ipsius juris, talem potestatem certo cuidam officio stabili lege conjungentis[1]), vel alterius hominis seu magistratus, jurisdictionem propriam et ordinariam exercentis. — Potestas ordinaria officio *per se* adhaeret, eamque magistratus, tali officio admotus, necessario habet, quia ejus munus hanc potestatem suapte natura atque ex primigenia sua institutione involvit. — Potestas delegata vero magistratui non ex proprio officio, sed aliunde advenit; neque ideo delegata esse desinit, quod saepe ex commissione legis stabiliter sit tali officio attributa; quia eo in casu etiam ejusmodi officio non per se, sed extrinsecus tantum adhaeret.

Delegatus potestatem sibi delatam in proprio suae delegationis foro sive auditorio exercet; estque ejus-

---

[1]) Huc pertinent canones, qui episcopis tanquam Apostolicae Sedis delegatis jurisdictionem tribuunt in personas exemptas, maxime regulares.

modi consistorium delegatum omnino distinctum a tribunali vel curia delegantis. Hinc locus est appellationi a delegato ad delegantem, nisi peculiaria adjuncta adesse probentur, quae appellationem impediant[1]).

Ad jurisdictionem ordinariam, non vero ad delegatam, ea revocari debet, quam *vicariam* appellant, quamque magistratus, per superiorem ordinarium legitime constitutus nomine, loco et vice ipsius constituentis in ordinario ejusdem tribunali seu auditorio *universaliter* exercet; is autem jurisdictionem universaliter sic censetur exercere, cui vel omnes universim causae, vel saltem certum causarum genus sub uno nomine collectivo in ipso ordinario consistorio superioris committuntur, sive deinde officium sit absolute collatum, sive restrictum quoad tempus vel quoad locum.

Ejusmodi magistratibus ordinaria jurisdictione instructis accensetur *vicarius generalis*, qui episcopi est administer in exercenda jurisdictione ordinaria in ipsius episcopi consistorio, quique officium sibi commissum jure vicario in tribunali episcopali loco et nomine episcopi exequitur[2]). — Magistratus ordinarii similiter sunt *judicia matrimonialia*, quae de causis matrimonialibus in curia episcopali vice et loco ipsius Ordinarii cognoscunt ac judicant. Hinc appellatio a sententiis vicarii generalis et tribunalis matrimonialis non ad episcopum est dirigenda, sed ad superiorem judicem, metropolitam vel Romanum Pontificem, quia de essentia appellationis patet esse, ut sit provocatio ab inferiore judice ad superiorem, supponitque necessario duo distincta tribunalia, alterum judicis *a quo*, alterum judicis *ad quem*. — Ordinaria potestate etiam insigniuntur sacrae congregationes romanae seu celebres illi

---

[1]) Cfr. c. Super quaestionum articulis 27. X. de officio et potestate judicis delegati (I., 29).

[2]) Quo sensu vicarii generalis potestas ab aliquibus canonistis delegata vocetur, paucis declaratum vide apud Devoti, *Institut. can.*, l. 1., tit. 3., sect. 9.

coetus cardinalium, quibus a Summo Pontifice certa negotia in ipsa curia papali noscenda ac definienda commissa sunt. Quum a supremo Papae consistorio appellari non possit ad superiorem judicem, ille, qui sibi per sententiam ejusmodi tribunalis putaret gravamen illatum, pro extraordinario juris remedio obtinendo supplicare deberet, primum tamen impetrata ab ipso Pontifice *oris*, ut vocant, *aperitione*.

Ad ordinariam jurisdictionem tandem ea refertur, quam habent legati ac nuntii apostolici, qui in dissitis regionibus, ubi legationis munere funguntur, Romani Pontificis vices sustinent pontificiamque potestatem, quae in toto orbe terrarum immediata est atque ordinaria, propriae legationis literis definitam, explicant. Negotia ad se delata nomine ac vice Pontificis in ipso ejus auditorio expediunt; neque a legato ad Papam proprie appellare licet, quum utriusque tribunal unum idemque esse censeatur. Quare et de legatorum sententiis reformandis simili ferme ratione est arbitrandum, qua de remediis extraordinariis contra decreta ss. congregationum romanarum quaerendis judicari debere diximus.

Ex praedictis manifestum est, potestatem archiepiscopo Baltimorensi in ordine ad plenariam synodum habendam concessam non fuisse *vicariam*, seu ordinariam, eo quo explicavimus modo concessam[1]); praeter enim quam quod archipraesul expresse dicatur „vi literarum apostolicarum *delegatus*“, jurisdictio ipsi

[1]) Sunt ex recentioribus, qui vicariam hanc jurisdictionem *quasiordinariam* appellent, ad significandum, eam non esse in ordinario sed in alieno subjecto et cum diminutione, quod vicario nimirum non omnis jurisdictio ordinaria competat, quum plura omnino ipsi ordinario serventur, v. g. quae speciale mandatum postulant. Et illustrari potest alio similiter formato vocabulo jurisdictionis *quasiepiscopalis*, qua potestas abbatibus exemptis competens designatur c. Abbates 3 de privilegiis in 6.; eo enim exprimitur, hanc jurisdictionem esse in alieno subjecto, h. e., in eo, qui non est episcopus, et quidem ea cum diminutione, quod non extendat se ad omnes actus episcopales, etiam merae jurisdictionis.

tributa non erat in auditorio, quod unum idemque esset cum consistorio papali, explicanda; neque prohibebatur quisquam a quocunque archiepiscopi decreto, sive judiciali sive extrajudiciali, quo se vel jam gravatum existimasset vel probabiliter gravandum timuisset, libere omnino atque expedite ad Summum Pontificem sive appellare sive provocare[1]).

Sed neque potestas *mandata* vocari potest jurisdictio archiepiscopo Baltimorensi per praesentes literas apostolicas concessa. Verum quidem est, in fontibus juris verbum *mandare* generatim esse quid alicui committere, aliquid fieri jubere, in alium transferre sive *delegare*, atque adeo *mandatam* jurisdictionem eandem esse cum *delegata;* sed proprie et stricte loquendo alteram ab altera ita distinguunt jurisperiti, ut mandatam dicant, quae se *ad universitatem causarum* extendat, vel ad omnes universim vel saltem ad omnes in certo genere comprehensas, v. g. causas matrimoniales, causas criminales; *delegatam* contra, quae speciatim detur ad unam causam tantum vel ad plures causas particulares nominatim designatas[2]). — Delegatus universalis seu ad universitatem causarum in eo refert faciem magistratus ordinarii, quod *ordinarie* et sine praevia facultate adiri, et alium ad causas sibi commissas subdelegare possit. Delegato speciali vero, cui particulares causae tantum sunt concessae, alium subdelegare non licet, nisi quoad articulum aliquem non jurisdictionalem, in quo scilicet pertractando subdelegatus nullam jurisdictionem exerceret, sed nudum

---

[1]) „Sacri canones etiam extra judicium passim a gravamine appellare permittunt; nec solent hujusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam". Ita c. Quum sit Romana 5. X. de appellationibus, recusationibus et relationibus (II.,28). „Sacri" canones hic memorati extant c. Ad romanam 6; c. Si quis putaverit 7; c. Placuit 9. C. II. q. 6; et c. Accedens 2. X. Ut lite non contestata non procedatur etc. (II., 6).

[2]) Doctores juris romani immo magis anxie inter varias jurisdictionis species distinguunt, uti videre est apud Kämpfe, *Die jurisdictio ordinaria, quasiordinaria, mandata et delegata.* Wien. 1876.

ministerium sibi commissum exequeretur. — Delegati speciales proprie ac simpliciter vocantur *delegati*, quorum *officium et potestatem* titulus 29. libri 1 decretalium explicat. Iis autem in casu nostro archiepiscopum Baltimorensem accenseri debere apertum est. Quamvis enim amplissimum esset negotium ipsi commissum, atque in concilio praeparando, convocando, dirigendo atque ad propositum finem perducendo plurimae quaestiones providerentur incidere, quae debite essent auctoritate delegata singillatim definiendae ad causam concilii rite promovendam, eae tamen omnes veluti totidem particulares articuli ad unam principem causam pertinentes considerabantur, sicque archiepiscopus, utut universali potestate causas omnes inter negotii cursum occurrentes decidendi instructus, non desiit esse proprie dictus *delegatus specialis* ad causam particularem agendam et finiendam.

Denique non erat delegatio *realis*, quam archiepiscopus Baltimorensis a Summo Pontifice commissam habebat, sed omnino *personalis*, uni archiepiscopi personae ita tributa, ut in alium transire nequiret.

Realis audit delegatio, quae facta est *ratione*, ut ajunt, *dignitatis*, quam delegatus obtinet. Haec ideo competit delegato, quia dignitatem, cui affixum est delegationis officium, possidet. Ex mente sacrorum canonum haberi censetur, quoties potestas defertur dignitario alicujus loci, non expresso nomine proprio personae dignitarii, seu quando „sub expressis nominibus locorum et non personarum commissio emanavit“[1]). Ejusmodi delegationem realem v. g. continent literae dimissoriales, quibus episcopus americanus suos theologos sacrae theologiae Oeniponte studiosos „ad episcopum Brixinensem, hujus loci ordinarium“, mittit pro ordinibus suscipiendis. — Delegatio realis non ex-

---

[1]) Ita c. Quoniam 14. X. de officio et potestate judicis delegati (I., 29).

pirat morte delegati, quia „dignitas, cui affixa est delegatio, non moritur,“ quemadmodum animadvertit glossa ad c. Quoniam cit. in nota.

Personalis delegatio non est conjuncta dignitati, quam delegatus est adeptus, sed delegato facta est immediate *ratione personae* suae; et talem adesse docent jurisperiti, si delegationis literae ipsum delegati nomen proprium exprimant. Sic, ut ejus exemplum ponatur, personali delegatione frueretur episcopus, qui nominatim a proprio candidati episcopo facultatem accepisset, huic ordines conferendi, quod promovendus sit arctis propinquitatis vinculis cum ipso delegato conjunctus. Haec quia personae cohaeret cum persona extinguitur.

Quae omnia si ad delegationem archiepiscopo Baltimorensi factam transferantur, plane perspicuum reddunt, ejus potestatem prorsus personalem fuisse; ipsa literarum apostolicarum inscriptio quippe proprium archipraesulis nomen expressum continet; et Pontifex in corpore literarum aperte declarat, se ad facultatem huic praesuli nominatim dandam multis illis praeclaris virtutum ornamentis motum esse, quae in ejus persona eminere atque elucere conspicerentur. Si ergo sedem metropolitanam ante concilium canonice vacare contigisset (v. g. morte, renuntiatione, translatione praelati), sique eidem ecclesiae de novo pastore fuisset provisum, potestas praesenti archiepiscopo nominatim concessa ad successorem non transiisset.

Neque etiam subdelegatione archiepiscopi transferri in alium potestas haec potuisset. Quamvis enim propter supremam majestatis eminentiam „delegato principis id generatim a jure concedatur, ut causam sibi commissam alteri subdelegare valeat“ [1]), tunc tamen vices suas alteri committere nequit, „si causae ita gra-

---

[1]) Cfr. c. Si pro debilitate 3. X. de off. et pot. jud. del., et c. Quum causam 62. X. de appellationibus etc.

ves sint, quod sine praesentia delegati non possint commode terminari"[1]); „in his casibus enim princeps industriam et fidem personae, cui talia commissa sunt, videtur elegisse"[2]) Tunc autem, notante gl. ad c. Is cui cit., adeo graves sunt ut „industria personae censeatur electa, quando concernunt publicam utilitatem et quando ultra factum (h. e., simplicem mandati executionem) aliquid amplius requirunt"; seu, ut ait gl. ad c. Quoniam cit. „quando causae majores sunt; in his enim majus periculum vertitur juxta c. Quiescamus 2. dist. 42."

Atqui causa plenarii concilii habendi inter maxima negotia erat, quae publicam ecclesiae utilitatem tangerent. Ab illo uno igitur pertractari atque ad finem perduci poterat, cui nominatim „ob perspectam ejus eximiam pietatem, doctrinae et prudentiae laudem, singularemque erga Sanctam Sedem Apostolicam fidem et observantiam" erat delegata.

Delegatam hanc potestatem non incongrue *immediatam* diceres tum quoad originem tum quoad exercitium, quod scilicet ipsi archiepiscopi personae non mediante dignitate, sed omnino immediate esset collata, quodque delegatus eam immediate per semetipsum, non vero per subdelegatum, exerceret.

Ad *valorem* literarum delegationis atque inde potestatis delegatae transeuntes, generatim animadvertimus, eum ex communibus interpretationis regulis esse determinandum; quia constitutio, per quam delegatio datur, est lex positiva, quae ad generalia legum principia exigi debet. Quemadmodum ergo omnis legis valor ex duplici capite pendet, ex *potestate* et *voluntate* legislatoris, ita et valor literarum delegationis ex duabus causis determinatur, ex potestate et voluntate

---

[1]) Ita c. Si pro debilitate cit.

[2]) C. Quoniam apostolica 43. (ult.) X. de off. et pot. jud. del. et c. Is cui 12. ejusdem tituli in 6.

illius, „cujus vices delegatus gerit“[1]) seu „cujus auctoritatem repraesentat“[2]). Quae *potestatem* delegantis attinent, in praesenti casu silentio praeterimus, quum Romani Pontificis suprema atque universalis potestas jurisdictionis in totam, qua late patet, ecclesiam de fide sit credenda. — *Voluntas* delegantis vero ex ipsa *mandati*, ut vocant, *forma* eruitur, h. e. ex contextu clausulisque literarum, quibus delegationis officium commissum est. His delegati competentia accurate definitur; quidquid ultra limites in mandato positos attentaret, a judice non competente censeretur actum „viribusque non subsisteret“[3]). Hinc ex praescripto canonum „fines mandati adeo diligenter servari oportet“[4]), „ut si quid (substantiale) contra rescripti formam ac juris ordinem[5]) attentaretur, irritum id esset et inane“[6]). — De voluntate delegantis deque potestate delegati id generatim statuunt canones, ut „forma mandati apostolici exacta diligentia observata[7]), delegatus ex eo, quod causa sibi committitur, super omnibus, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipiat potestatem“[8]). Omissio articuli substantialis in mandato contenti actum, ut vidimus, „irritum redderet et inanem“. Ejusmodi est in iis, de quibus hic agimus, delegationis literis strictum Pontificis praeceptum, „ut

---

1) C. Sane 11. X. de off. et pot. jud. del.
2) C. Valde necessarium 1. dist. 94.
3) Reg. juris 26. in 6.
4) C. Cui de non sacerdotali praebenda 27. de praebendis in 6.
5) Ad memoratum juris ordinem etiam spectant, quae utriusque juris regulas secutus scribit Bonifacius PP. VIII.: „Asserenti cum mandatis principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit. Nec similiter creditur se asserenti legatum. Numquam enim Apostolicae Sedis moris fuit absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere (c. Nobilissimus 3. Dist. 97). Sed nec dicenti se delegatum Sedis ejusdem creditur vel intenditur, nisi de mandato apostolico fide doceat oculata“. Extrav. Injunctae 1. de electione (I., 3).
6) C. Quum dilecta 22. X. de rescriptis (I., 3).
7) C. Quum dilecta cit.
8) C. Praeterea 5. X. de off. et pot. jud. del.

concilii acta omnia et decreta ad Sanctam Sedem Apostolicam pro eorundem revisione et recognitione quam primum mittantur". — Salvis igitur, quae ad mandati formam atque ad juris ordinem spectant, archiepiscopus Baltimorensis ad plenarium concilium habendum delegatus vi literarum apostolicarum omnia constituere potuit, quae ad concilium praeparandum, convocandum, dirigendum, absolvendum et promulgandum erant necessaria, etiamsi haec nominatim expressa non essent in mandato: quam in rem cfr. gl. ad c. Praeterea cit.

Ultima quaestio tandem, quae est de *extinctione potestatis* archiepiscopo Baltimorensi circa plenariam synodum delegatae, solvi debet ex duobus canonibus in jure sacro propositis, c. In literis 9. et c. Quaerenti 26. X. de off. et pot. jud. deleg. Ex priori huc faciunt verba: „Ex quo judex delegatus per se vel per alium sententiam executioni mandavit vel mandari praecepit, ejus auctoritas et jurisdictio cessat, *quia semel est officio suo functus*". In c. Quaerenti 26. autem „statuitur, ut delegatus, licet per sententiam definitivam executioni mandatam vel mandari jussam suo sit functus officio, ulterius tamen usque ad integrum annum jurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam valeat exercere", „resistentes"[1]) scilicet et „contumaces"[2]) censuris, ubi opus fuerit, compescendo. Verum elapso hoc anno omnis ejus potestas delegata penitus expiravit; haec enim, notante gl. ad c. Quaerenti cit., non est perpetua, uti jurisdictio magistratus ordinarii, sed intra certas metas temporis a jure determinatas finitur." — Quae si ad magnum negotium archiepiscopo Baltimorensi delegatum transferantur, dicendum omnino videtur, per solemnem concilii promulgationem factam die 6. Januarii 1886, functum quidem officio suo esse antistitem, ideoque auctoritatem et juris-

---

[1]) C. Significasti 7. ejusdem tituli.

[2]) C. Quaerenti cit.

dictionem ipsi delegatam cessasse quoad ponendos actus synodicos, ulterius tamen usque ad integrum annum perdurasse in ordine ad decretorum executionem promovendam, urgendam, tutandam.

2. De clausula mandato delegationis adjecta.

De clausulis generatim sumptis.

Clausula proprie est extrema pars alicujus rei a *claudo*, qua finire significat[1]). Et ita accepto vocabulo clausula dicitur quaedam sive legis sive contractus appendix, qua aliquid circa ejus modum, firmitatem, extensionem statuitur.

Omissis, quae ad contractus pertinent, de iis, quae ad leges, et quidem canonicas spectant, pauca haec notasse pro instituto nostro satis fuerit:

1. Nulla clausula inutilis censeri potest, quia in lege „nulla dictio debet vacare, alioquin frustra membranas occuparet c. Si Romanorum 1. Dist. 19", ut ait glossa in c. Solitae 6. X. de majoritate et obedientia (I., 33). Unde illud jurisperitorum axioma apud Barbosa: „Lex non debet habere unam syllabam superfluam aut vacuam" (*axioma* 136, n. 15).

2. Clausulae insolitae, h. e., quae contra stylum et consuetudinem curiae, ut vocant, sunt appositae, reddunt actum suspectum de fraude et dolo conjecturamque simulationis faciunt, uti communiter docent doctores apud eundem Barbosa, *clausula* 73, nn. 1—2.

3. Clausulae in principio vel in fine positae totam legem complecti censentur (Barbosa, *clausulae* 68 et 70); clausulae autem, quae in medio sunt positae, generatim loquendo praecedentibus et sequentibus deservire possunt (Barbosa, *clausula* 69, n. 1); utrum vero ad haec potius, quam ad illa sint referendae, decer-

---

[1]) A jurisconsultis clausula etiam saepe sumitur pro parte qualibet sive capite legis seu scripturae, licet extrema non sit, quemadmodum obvia juris vocabularia ostendunt.

nendum id est ex ipsa inspectione legis juxta regulas generales de determinando vero legum valore, prout eruitur ex argumento c. Secundo requiris 41. X. de appellationibus etc. (II., 28).

4. Ex clausulis, quae passim in Romanorum Pontificum decretis occurrunt, prae aliis sequentes memoratu dignae sunt, quod eaedem et a praecipua, quae in iis inest, efficacia contraria abrogandi „praegnantes“ vocentur et cum clausula, quae mandato delegationis archiepiscopo Baltimorensi factae reperitur apposita, magnam similitudinem habeant:

a) „de plenitudine potestatis“; per quam indicatur, Summum Pontificem in jure ordinario a praedecessoribus suis vel a conciliis oecumenicis stabilito non insistere. In rescriptis nominatim plurimum valet ad defectus, qui plane substantiales non sint, sanandos, praesertim si

b) alteri clausulae „ex certa scientia“, ut solet, conjuncta est.

c) „Non obstantibus contrariis quibuscunque“. Tollit, quae dispositioni legis obstare possent, maxime si juncta sit

d) clausulae „Motu proprio“ legem esse editam, h. e. sponte et nemine petente.

e) „Decretum irritans“, cujus formula haec esse solet: „decernentes irritum et inane, si secus a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari“.

f) „Sublata“, scilicet cuilibet facultate aliter judicandi atque interpretandi.

Sed de vi harum aliarumque clausularum in constitutionibus pontificiis occurrentium videantur auctores, qui magno numero citantur a Barbosa in proprio suo tractatu *„de clausulis usufrequentioribus“*.

De clausula praesentis mandati delegationis.

Literae delegationis ad archiepiscopum Baltimorensem datae solemni hac clausula munitae conspiciuntur: „Haec decernimus et jubemus, non obstantibus, licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscunque“.

Obvius hujus periodi sensus est: Haec, quae de sacrae congregationis propagandae fidei consilio, auditisque foederatarum ditionum episcopis circa concilium plenarium auctoritate nostra Baltimorae habendum et Romae recognoscendum scripsimus, causa plene cognita praeviaque deliberatione statuimus (decernimus) ac pro summa nostra potestate legis ritu imperamus ac praecipimus (jubemus), simul derogando omnibus et singulis, quae contraria esse atque impedire possent, quominus nostrum delegationis mandatum ad amussim executioni mandetur. — Sic igitur omnibus obstantibus per appositam clausulam penitus sublatis legitimae literarum apostolicarum executioni efficaciter provisum fuit.

Ut autem ista, quae in clausula inest, vis contraria removendi clarius perspiciatur, diligenter attendi debet, eam ex duabus partibus constare, scilicet ex generali clausula „obstantiarum“, ut vocant, „derogatoria“ („non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque“), et ex speciali dispositione Summi Pontificis, qua ea quoque e medio tolluntur, quae vel ex privilegio vel ex alia causa nonnisi per expressam et individuam derogationem aboleri possunt („licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis“). Per specialem hanc dispositionem legislatoris clausula ex praegnanti facta dicitur „praegnantissima“ maximaeque virtutis existit.

Ejusmodi obstantia, quae generali clausula derogatoria „non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus“ non tolluntur, praeter alia, sunt:

a) Ea, quae habent clausulam derogatariam futurorum decretorum in contrarium forte emittendorum, nisi haec decreta specialem de illis mentionem faciant; qualia sunt nonnulla privilegia aliquibus regularibus concessa.

b) Privilegia in corpore juris canonici contenta; quia censentur jure communi ita comprobata, ut ad eorum abrogationem specialis et individua mentio requiratur.

c) Ea, quae speciali lege sunt statuta; de iis enim valet regula, quod, quae speciali nota digna sunt, non veniunt in generali dispositione.

Ista et iis similia sunt obstantia, quae in literis delegationis ad archiepiscopum Baltimorensem datis vocantur „speciali atque individua mentione ac derogatione digna“, quae proinde non per generalem clausulam derogotariam tolluntur. Specifica et individua mentio autem fieri potest vel contrariis nominatim adductis vel aequipollenti loquendi ratione adhibita, ex qua legislatoris voluntas pateat. Clausula tali mentione ab eo, qui derogare potest, rite munita operatur effectum omnimodae derogationis omnium legum, statutorum et privilegiorum, quae novo decreto utcunque obstare possunt. Verum ea de re consulatur Barbosa, qui septem continenter capitibus cuncta, quae ad determinandam propriam vim praegnantissimae hujus clausulae spectant, accurate lateque explicat (*cl.* 82—88).

II.

De literis indictionis concilii (pp. XX — XXI.).

Super fundamentum mandato apostolico positum delegatus aedificium ad omnes regulas sacrorum canonum scite exaedificavit literis ad cunctos synodales datis die 19. Martii 1884.

Quemadmodum in promulgationis instrumento duas partes interpreti esse distinguendas supra jam animadvertimus (p. 27), ita et commentarius in praesens documentum bipartitus esse debet, in titulum literis praefixum et in textum inscriptioni subjectum.

De inscriptione literarum indictionis.

Ex consuetis tribus partibus, quibus titulum ibidem diximus constare, prima atque ultima in ipso illo commentario in literas promulgationis sufficienter sunt expositae; unde hoc loco id unum est reliquum, ut de altera parte dicamus, nimirum de personis, ad quas literae convocationis concilii missae sunt. Est autem haec pars ita omnino concepta: „Illustrissimis ac reverendissimis archiepiscopis, episcopis et vicariis apostolicis in foederatis septentrionalis Americae statibus, necnon reverendissimis abbatibus atque admodum reverendis religiosorum ordinum aut congregationum praepositis, caeterisque omnibus, qui de jure vel consuetudine conciliis provincialibus vel plenariis adesse debent".

Quae in extrema hac parte adhibetur loquendi forma: „qui de jure vel consuetudine conciliis provincialibus adesse debent", solemni usu synodico est consecrata. Concilium Tridentinum quippe „ad provincialem synodum, inquit, episcopi omnes et qui de jure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur" (sess. 24., c. 2. de reformat.). Quae eadem repetuntur sessione 25., c. 2.

Quinam vero ii sint, qui concilio provinciali de jure vel consuetudine interesse debeant, ex variis formis synodorum, quas metropolitae identidem pro suis conciliis celebrandis Romae approbandas curarunt[1]), conciliis

---

[1]) Pro duobus conciliis provincialibus in vicinia nostra habitis reperimus ejusmodi formas eodem anno 1859 approbatas, pro Viennensi scilicet et Coloniensi, a cardinalibus Rauscher et Geissel celebratis (cfr. coll. Lac., t. 5., pp. 228 et 236).

jicere possumus. Iis diligenter ad invicem collatis, videmus de jure vel consuetudine fere ubique esse receptum, ut ad concilium provinciale vocentur:

a) episcopi ordinarii omnes, etiam electi et confirmati tantum, dummodo tamen bullas confirmationis acceperint;

b) episcopi titulares, tum auxiliares et coadjutores ordinariorum, tum etiam qui sedibus suis renuntiarunt;

c) Vicarii capitulares tempore vacationis;

d) Vicarii apostolici;

e) Praelati inferiores, atque inprimis earum ecclesiarum sive collegiatarum sive regularium, quibus competit jurisdictio quasi-episcopalis cum proprio territorio; et tempore vacationis, harum ecclesiarum vicarii seu administratores;

f) Abbates et praepositi benedicti, abbatia vel praepositura provisi;

g) Abbates et praepositi titulares benedicti;

h) Praepositi ordinum regularium et, quae ab iis distinctae sunt, congregationum religiosarum;

i) Rectores seminariorum et facultatum theologicarum;

k) Procuratores synodalium legitime impeditorum;

l) Capitula ecclesiarum cathedralium, etiam vivente episcopo; ut antistitem suum in iis rebus juvare possint, in quibus eum canones capituli consilium audire jubent.

Iis tandem accedunt

m) theologi et canonistae doctrina et rerum gerendarum dexteritate clari, quorum consiliis patres synodi in decretis praeparandis utuntur.

Quoniam ecclesia in statibus foederatis adhuc capitulis et praelatis inferioribus, qui separatam quasi dioecesim habeant, caret, delegatus apostolicus lacunam provide explevit vocatis ad concilium praelatis titularibus domus pontificiae, insignibus viris ecclesiasticis scilicet, qui gratia ac beneficio Summi Pontificis

vel antistites domestici vel ab intimis cubiculis ministri sunt creati.

Sic igitur universalem probatamque consuetudinem atque ipsum commune jus Ecclesiae, „quantum fieri potuit“, sancte secutus, delegatus praeter hierarchas episcopali dignitate fulgentes ad plenarium concilium convocavit:

a) administratores 3;
b) abbates 7;
c) praelatos domesticos 9;
d) camerarios secretos 3;
e) Superiores ordinum regularium 19;
f) Superiores congregationum religiosarum 15; et
g) Rectores seminariorum majorum 12. Iis accessit
h) grandis theologorum ac canonistarum globus, qui vel ideo majori numero adhiberi poterant, quod praesules auxilio capitulorum cathedralium, in synodis per deputatos praestando, carerent.

Ex dato synodalium elencho etiam patet, conjunctionem „*aut*“, quae in inscriptione inter vocabula „ordinum“ et „congregationum“ est posita, non sumi disjunctive, ut alias plerumque fit, sed vero conjunctive, tantundemque valere ac particulam copulativam „*et*“: utrorumque religiosorum superioribus ad concilium vocatis, eorum scilicet, qui ad ordines regulares pertinent, et illorum etiam, qui in congregationibus ecclesiasticis vivunt.

Sed ex eo, quod conjunctio „*aut*“ non separative accipitur, cave illam a delegato apostolico sensu expositivo scriptam existimes pro „*id est*“[1]. Est enim, spectato jure, quo in ordine ad concilia reguntur, essentialis differentia inter religiones proprie dictas (cum

---

[1]) De conjunctione „*aut*“, quae vera est crux interpretum, plena manu ex utroque jure sevit Barbosa, *de dictionibus, particulis, adverbiis et praepositionibus in utroque jure usufrequentioribus*, dict. 46: quem utique evolvas.

votis solemnibus) et inter simplices congregationes (cum votis simplicibus tantum), quum superiores generales congregationum nunquam adepti sint privilegium ferendi voti decisivi, quo generales ordinum regularium praepositi gaudent. Admitti ergo non potest, eos in solemni illo actu, quo ad concilium convocabantur, per promiscuam enumerationem fuisse confusos ac paris conditionis habitos, perinde ac si aequa jura synodica obtinerent. — Haec de inscriptione edicti.

De ipsis literis indictionis.

Literas apostolicas una cum epistola convocationis concilii ad patres fuisse missas, ipse delegatus in auspicando concilio narrat (p. XXIV); neque id sine gravi causa factum existimabunt, qui ex iis, quae supra sunt de officio delegati apostolici ex jure prolata (pp. 23 et 61), norunt, onus ipsi incumbere exhibitis delegationis literis probandi, potestatem sibi revera esse legitime concessam.

Praemisso exordio historico, factaque mentione extraordinariae jurisdictionis circa plenariam synodum habendam sibi a Sancta Sede tributae, delegatus apostolicus ipsis illis verbis, quibus Summus Pontifex praesenti synodo finem praestituerat, „ad evellendos funditusque tollendos, si qui forte irrepserint, abusus; ad ecclesiasticam disciplinam confirmandam; ad dioecesium statum ita ordinandum, ut propius ad commune jus Ecclesiae, quantum fieri potest, accedat; et ad catholicam religionem latius propagandam provehendamque", tertium plenarium concilium indicit ac convocat inchoandum Baltimorae die 9. Novembris currentis anni 1884, atque ut conveniant tempore et loco statutis omnes, qui de jure aut consuetudine concilio indicto interesse debent, hortatur in Domino, et prout opus est, praecipit ac mandat. Quodsi quis justa de causa, quae a delegato et synodo examinanda et pro-

banda erit, se ipsum impeditum perspexerit, procuratorem ejus vices acturum et speciali mandato instructum deputare tenetur.

Quae in describendo concilii fine primo loco de abusibus tollendis et de ecclesiastica disciplina confirmanda dicuntur, ea mire cum iis consentiunt, quae oecumenica concilia generatim de causis in provincialibus synodis agendis decernunt. „In provincialibus conciliis, inquit concilium Lateranense anni 1215, metropolitani cum suis suffraganeis de corrigendis excessibus et moribus reformandis, praesertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas . . . relegentes, ut eas faciant observari“[1]). Et concilium Tridentinum concilia provincialia celebrari jubet „pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex sacris canonibus permissis“[2]). Quae ideo ex fontibus enotamus, ne quis tiro in jure propter allata verba Pontificis falsam extraordinariorum abusuum suspicionem in florentem ecclesiam americanam conferat.

Reliqua duo mandati capita, de jure communi introducendo ac de religione catholica propaganda, „praesentem christianitatis illius conditionem“ propius respiciunt, quae, teste recognitionis decreto, patribus synodi ante oculos obversari debuit. Quanta cura autem quantoque labore ac successu concilium mandato sibi facto omni ex parte satisfacere studuerit, ipsa decretorum interpretatio nos in secunda parte docebit. Interim ex superius jam allatis recoluisse suffecerit, decreta tertii plenarii concilii Baltimorensis ad multiplicem ejus finem obtinendum authentico judicio romano „valde utilia“ fuisse declarata.

---

[1]) C. Sicut olim 25. X. de accusationibus (V., 1).

[2]) Sess. 24., c. 2. de reformat.

De absentium procuratoribus.

Vices impeditorum synodalium acturi a variis varie appellantur, ut ecce: deputati, vicarii, delegati, nuntii, syndici, actores, cognitores, tutores, defensores, postulatores, advocati, etc. Verum proprie ac stricte ad mentem canonum loquendo „*procuratores*" vocari debent[1]).

Est autem ex utriusque juris definitione procurator, „qui aliena negotia mandato domini administrat", sive in judicio sive extra judicium: unde prima eaque ex ipsa causa finali petita procuratorum divisio est in „judiciales" et „extrajudiciales", prout vel ad lites vel ad negotia sunt dati. Procurator creatur mandato domini, non autem immediata voluntate magistratus, vel superioris sive alterius hominis[2]); constituitur non invitus, sed sciens ac volens; ast quod initio est voluntatis, postea fit necessitatis, si mandatum semel rite susceptum fuerit, nec tamen perfectum aut legitime revocatum probetur.

Praeter distinctionem ex fine deductam sunt et alii procuratorum divisiones ex reliquis causarum generibus petitae.

Secundum causam efficientem alii sunt procuratores ab ipso negotii domino constituti, alii autem a procuratore sibi substituti. „Procurator ad negotia siquidem (et de eo praecipue in praesenti quaestione sermo est) libere quandocunque voluerit alium deputare potest"[3]), nisi tamen negotium ejusmodi sit, ut

---

[1]) In corpore juris canonici proprius extat titulus „de procuratoribus" (I., 38), cujus appendix est titulus proxime sequens „de syndico" (I., 39), seu de procuratore universitatis sive collegii.

[2]) Quamvis aliquando a lege injungatur, ut dominus negotii procuratorem constituat, mandatum procuratorium tamen mutuo consensu, constituentis et constituti, contrahitur; sicque eo in casu etiam verum est, procuratorem formaliter mandato domini, non vero immediata voluntate magistratus constitui.

[3]) C. Non indiscrete 1. de procuratoribus in 6. (I., 19).

ipsa procuratoris industria ac fides censeatur electa, quemadmodum in procuratore ad contrahendum matrimonium factum esse declaravit Bonifacius PP. VIII. „propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere"[1]).

Spectata causa materiali dividuntur in procuratores generales, „ad omnia tractanda negotia"[2]) dati et in procuratores speciales ad certum dumtaxat negotium expediendum proprio mandato constituti, exempli causa, ad contrahendum matrimonium, ad ferendum suffragium in electione, ad levandum infantem in baptismo, ad capiendam beneficii possessionem.

„Quae speciale mandatum exigunt", non censentur commissa procuratori generali utcunque constituto, nisi ei nominatim, h. e., expresso nomine proprio vel sufficienti circumlocutione, quae vim habeat nominis proprii, fuerint mandata; „quum sub generalitate" (clausulae ad omnia, quae speciale mandatum exigunt) praesertim „graviora vel majora non veniant"[3]).

Ex causa formali tandem habemus distinctionem procuratoris veri et falsi. Procurator verus dicitur, qui legitimo mandato procuratorio munitus est, falsus autem, qui vel nullum mandatum habet, vel habet insufficiens (v. g. si habeat mandatum generale, ubi exigitur speciale), aut jam revocatum.

Ne propter falsi procuratoris admissionem magno labore nihil agatur, judex sollicite inquirere debet, an „mandatum legaliter sit factum"[4]), expresso scilicet nomine constituentis, procuratoris constituti, negotii commissi, adscriptisque die et anno dati mandati.

Constitui procurator potest regulariter omnis, qui habilis et idoneus est ad propositum negotium per-

---

[1]) C. Procurator 9. fin. ibid.
[2]) C. Dilectus 11. X. de procuratoribus.
[3]) C. Non potest 2. de procuratoribus. Clem. (I., 10).
[4]) C. Alia quidem 1. X. de procuratoribus.

agendum, et expresse non prohibetur. — Sed de his aliisque doctrinae capitibus in praesenti materia attendendis omnino videantur, quae docte in titulum „de procuratoribus“ scripserunt Schmalzgrueber, Reiffenstuel aliique probati auctores, quaeque ipsi in adornanda hac interpretatione destinato consilio omittimus. Id enim nobis non est propositum, ut integros juris sacri tractatus conscribamus, sed ut selectis quibusdam idoneis animadversionibus viam quasi sternamus, qua auditores academici, et alii, qui exilia haec nostra fuerint lectione dignati, facilius ad rectam synodi cognitionem intelligentiamque pervenire possint. Quod semel expresse adnotasse pretium fuerit operae, ne plura, quam quae ipsi praestare voluerimus, a nobis exspectentur.

Igitur pauca tantum de procuratoribus in synodo admittendis voluimus e sacris canonibus praemittere, sed quae sufficerent ad genuinum sensum eorum assequendum, quae delegatus apostolicus in literis convocationis ea de re praescribit: „antistites, qui ex justa causa per se concilio praesentes esse nequeunt, procuratores legitimo procurationis documento munitos mittant; nostri tamen patrumque concilii erit, de impedimenti legitimitate et de procurationis validitate judicare“.

Negotii gravitas profecto efficit, ut speciale mandatum exigatur; causae arduitas, ut mandatum in substitutum transferri nequeat[1]); mandati recognitio, ut obligatio procuratoris partes sustinendi perduret usque ad concilii absolutionem, nisi tamen ipsemet principalis, cessante impedimento, interim ad synodum veniat ac praesens per se officio sibi ex convocatione

---

[1]) Valet etiam hoc loco ratio, quam in gravibus negotiis obstare vidimus (supra p. 60), quominus potestas delegata in alterum transire queat, quod scilicet in iis, quae publicam utilitatem concernunt, industria et fides personae censeatur electa.

synodi imposito fungi velit: si dominus enim procuratore simpliciter, non pro solo casu suae absentiae, prius constituto negotium per semetipsum tractandum suscipiat, „procuratorem revocare censetur“[1]).

Qui de jure vel consuetudine conciliis provincialibus vel plenariis interesse tenentur, si vocati non compareant, cessante legitimo impedimento, „poenas sacris canonibus sancitas incurrant“[2]). Poena vero iis infligenda, qui vel illegitime abfuerint, vel sine debita licentia ante synodi finem discesserint, est „privatio communionis aliorum episcoporum usque ad futurum concilium“[3]); poterunt immo, si id concilio e re esse visum fuerit, excommunicatione et aliis poenis canonicis, servatis servandis, ut contumaces coërceri.

De precibus publicis indictis.

Extrema literarum pars, qua solitae preces publicae indicuntur, fere exacta est ad normam „Caeremonialis episcoporum“, quod eam in rem haec habet l. 1., c. 31, n. 4: „Tribus proximis diebus dominicis ante diem inchoationis ejusmodi concilii conveniens erit, si tam in ipsa ecclesia metropolitana per concionatorem, quam in singulis parochialibus per parochos iterum atque iterum denuntietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, sacramentum poenitentiae, sanctissimae eucharistiae sumptionem aliaque pia opera adhortentur, ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat“.

---

1) C. Si quem 8. de procuratoribus in 6.

2) Conc. Trident. sess. 24., c. 2. de reformat

3) C. Si quis episcoporum 14. Dist. 18.

III.

De literis synodicis ad Summum Pontificem datis.

Quod in binis praecedentibus literis vidimus super apostolicam petram fundatum atque a delegato rite exaedificatum concilium, id in tertia hac epistola omni ex parte absolutum perfectumque admiramur[1]). Ex ea quippe, quales synodi patres proprie fuerint, clare dignoscitur, opere, ut ajunt, artificem loquente. Documentum est gravissimarum rerum plenum, quod integrum in schola praelegi domique relegi meretur. — Necessariae brevitati pro instituto nostro servituri, ea taciti praeterimus, quae, quod ad sensum, literae Baltimorenses fere communia habent cum epistolis a conciliis provincialibus ad Summum Pontificem dari solitis. Duos articulos tantum, qui plenariae huic synodo sunt proprii, nominatim enotamus, alterum de praeclara professione supremae Summi Pontificis auctoritatis, cui totum opus inniti ac deberi alte proclamant patres; alterum de admirabili religionis incremento in longinquis istis regionibus, quod digna oratione describunt. Concilium plenarium, quod Sedis Apostolicae potestate legitime inchoatum ac feliciter absolutum grati agnoscunt, Sanctissimo Domino jam offerunt suprema sua benedictione perficiendum, ut ita, rivulis in suum fontem refluentibus, decreta synodica eadem illa auctoritate firma consistant, qua patres rite in unum convocati et canonice in concilio gubernati ea statuerunt. — De propagatione religionis catholicae autem ita loquuntur: „Ipse Deus, quasi providentissimus pater et bonorum omnium auctor, non solum misericorditer et benigne nobiscum egit, sed etiam magnifice, ut libenter

---

[1]) Recole, quae de nexu horum documentorum praedicta sunt in prooemio p. 49.

et grato animo fatemur. Ab ultimo enim concilio Baltimorensi, anno 1866 habito, quadraginta sex dioeceses et vicariatus usque ad tres et septuaginta creverunt, bis mille quingenti sacerdotes ad septem fere millia adaucti sunt; et religiosae familiae, scholae parochiales, collegia et omnes christianae misericordiae domus mirifice floruerunt". Sed hujus propagationis religionis admirabilitas in immensum crescet, ac sermo patrum tertii concilii plenarii clarius intelligetur, si paucis recolantur, quae duo priora concilia plenaria de eodem argumento ad Pium PP. IX. s. m. ex urbe Baltimora retulerunt. En tibi verba primi concilii plenarii anni 1852: „Gratum procul dubio paterno cordi tuo erit, audire quanta in hac parte vineae ad nominis sui gloriam promovendam agat Deus. . . . In hac ipsa metropolitana urbe, in qua, infra memoriam adhuc luce fruentium, sacerdos de longe veniens pusillum gregem raro per annum solabatur, ecclesias nunc plures ac frequentissimas, instituta pia non pauca florescere cernimus. Nec in ista civitate tantummodo, sed ubique laboribus nostris uberrimos fructus concedere dignatus est Deus. Infantula ecclesia intra unius vitae spatium tale incrementum accepit, ut ex ea nedum in dioeceses, sed et in provincias divisa, sex archiepiscopi ac viginti sex episcopi ad concilium celebrandum convenerimus"[1]).

Primum tertiumque concilium interjacet secundum anni 1866, utrinque lumen accipiens vicissimque radios utroque diffundens. Ejus epistola ad Summum Pontificem data praesens caput sic exequitur: „Neque tibi, Beatissime Pater, tot aerumnarum ac dolorum mole ac multitudine fere obruto, ingratum erit, a nobis accipere, sanctissimam nostram religionem in his regionibus magna et mira in dies capere incrementa. Granum quippe sinapis, initio tenue atque humillimum,

[1]) Coll. Lacen. t. 3.. p. 150.

coelesti rore irrigatum, in procerissimam crevit arborem, cujus jam rami terram ornant obumbrantque fere universam. Septuaginta et quinque ante annis unus tantum erat apud nostros episcopus, sacerdotes numero paucissimi; nunc vero per septem ecclesiasticas provincias diffusi, cum duobus millibus quingentis circiter sacerdotibus stipati, episcopi quadraginta et septem numerantur. Ubique locorum exstructa sunt templa; ubique collegia, orphanotrophia, piae refugii domus, scholae pro pueris puellisque educandis constitutae. Omnes apud nos christifideles te unum patrem ac magistrum venerantur ac diligunt; pro te quotidie preces amanter effundunt, ut Deus te servet incolumem, suisque donis cumulatissime ornet augeatque"[1]).

---

[1]) Ibid. pp. 376—377.

STATIO SECUNDA.

Ut in antiquis Urbis stationibus de jure consulentes conveniebant futuris negotiis rite provisuri, ita et in altera hac atrii statione patres omnia in antecessum dispositari conspiciuntur, quae arduum concilii negotium proxime requirit. Trifariam et ipsa est dispertita, in congregationes metropolitarum, metropolitarum et episcoporum simul congregatorum, omnium synodalium. Quum in iis pauca sint, quae interpretationis indigeant, commentarium nostrum ad quatuor selecta capita contrahemus, ad eam, quae semel atque iterum adeo significanter effertur, distinctionem inter metropolitas et episcopos[1]); ad admissionem eorum praelatorum, qui ordinarii locorum vel aliquando extiterant vel jam electi *mox* futuri erant; ad formationem duodecim deputationum synodicarum, inter quas omnis materia pro praevia discussione erat distribuenda; ad constitutionem variorum officialium seu ministrorum, operam suam concilio praestantium.

I.

De distinctione inter metropolitas et episcopos.

De origine potestatis metropoliticae ex solo primatu Petri repetenda, deque ejusdem potestatis natura, qua vere dicitur et est ordinaria, haec sunt ex ordine animadvertenda:

---

[1]) Quod hujus distinctionis in actis solito frequentius atque apertius mentio fiat, id etiam inde venit, quod archiepiscopi antea fuissent Romam evocati, de rebus futurae synodi cum Summo Pontifice ejusque administris consilia collaturi.

1. Jure divino constitutus est unus episcopatus, et — super unum hunc episcopatum — unus primatus Petri.

2. Jure divino omnes episcopi pares sunt potestate ordinis.

3. Jure divino non prohibente, imo et ob Ecclesiae utilitatem suadente et ob ejusdem ordinem unitatemque omnino exigente, singulorum episcoporum jurisdictioni certi quidem positi sunt fines, immediate quidem jure humano, mediate vero jure divino. — Hinc factum est,

4. ut jure ecclesiastico humano varii jurisdictionis gradus (episcoporum, metropolitarum, patriarcharum) constituerentur in ipso ordine episcoporum. Sed unde haec potestatis distinctio proprie repetenda? Ubi ejus radix quaerenda?

5. Quum nemo ex episcopis vi sui episcopatus, h. e., jure divino, in coëpiscopos ullam habeat potestatem, stabilis praerogativa potestatis alicujus episcopi (metropolitae vel patriarchae) ejusque successoris in caeteros (suae provinciae vel sui patriarchatus) episcopos eorumque successores (vi episcopatus metropolitae et patriarchae omnino pares) repeti aliunde nequit, quam ex suprema potestate illius, qui ab ipso Christo Deo constitutus est princeps totius Ecclesiae, primatu in omnes omnino episcopos pari ratione ornatus.

6. Haec praestantia in certos quosdam episcopos (metropolitas, patriarchas) quamvis e primatu Petri erat derivata, juris ordinarii naturam tamen induit: manente nihilominus semper integra potestatis plenitudine penes ipsum Ecclesiae principem.

Hinc intelligitur, quomodo metropolitae et patriarchae in jure dicantur „vicem apostolicam tenere“[1]), scilicet in episcopatibus suae provinciae vel sui patriarchatus; etenim per hanc jurisdictionis praerogativam

---

[1]) C. Cleros 1. §. 3., Dist. 21.

e supremo Petri primatu in eos manantem ipse Ecclesiae primatus, in Romano Pontifice divina ordinatione residens, singulis episcopatibus, etiam in remotissimis regionibus positis, quasi propius accessit ac veluti praesentior evasit.

Eandem veritatem Pius PP. VI. in celeberrima „responsione super nuntiaturis apostolicis“ per exclusionem, ut vocant, docet archiepiscopos Germaniae anno 1790, hac usus argumentatione cap. 9.: „Unde graduum distinctio, vi cujus ab Ecclesiae primordiis factum est, ut unus episcopus pluribus aliis quocunque tandem nomine praesideret? Non a jure divino, quippe ordo episcopatus unus est et par in omnibus. — Non ab universali concilio, quippe longe jam antea invaluerat ea distinctio, quam de cogendo universali concilio cogitaverunt. — Non a provincialibus synodis, quippe provinciarum distinctionem antecedere debuit ipsa graduum distinctio, qua unus in definita quadam regione caeteris ejusdem provinciae episcopis praeesset. — Non ex pacto convento inter episcopos; nam nec minuere poterant aut alteri subjicere auctoritatem sibi divinitus tributam, nec praeter institutum divinum alterius cujusvis auctoritatem amplificare, nec successoribus suis eam legem praescribere. — Sola ergo suprema Petri ejusque successorum auctoritas, quae apostolorum et episcoporum auctoritati antecellit, quemadmodum aetate nobis proximiore vestras ecclesias (metropolitanas Germaniae) ad gradum metropoliticum extulit, ita antiquioribus saeculis patriarchatus et primatias instituit“ [1]).

Sic igitur et in America potestas metropolitica, qua archiepiscopi antecellunt episcopis, neque ex consuetudine, neque ex voluntate episcoporum, neque ex consiliis, neque ex urbium splendore, neque ex ulla

---

[1]) Haec pluribus sumus executi in *Kalendario utriusque ecclesiae*, t. 1., pp. 456—460.

alia causa repeti potest, quam ex una illa suprema Sedis apostolicae potestate super omnes episcopos, ex qua particula aliqua in certos quosdam antistites est derivata, vi cujus metropolita caeteris suae provinciae episcopis jam legitime praeest.

II.

De admissione eorum, qui vel episcopatui renuntiarunt vel electi confirmationis bullas nondum acceperunt.

Utrique leguntur ad concilium evocati, utrique ad votum decisivum ferendum admissi: illi quidem ex ipsius concilii sententia, hi vero ex responsione romana delegato apostolico data (p. XXV). Utrorumque causam breviter concludemus.

De juridica conditione praesulum, qui episcopatu se abdicarunt, agitur in corpore juris canonici t. 13., lib. 1. „de ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui". — Ex doctrina ibidem tradita scimus, in duplici differentia versari episcopos, qui pontificatum deposuerunt, prout vel „loco tantum" renuntiarunt, vel „loco simul et dignitati".

„Loco tantum" renuntiare dicitur, qui ex rationabili causa episcopatum in manus Summi Pontificis renuntiando dioecesim et officium episcopale dimittit, episcopi titulo tamen cum dignitate episcopali retento. — „Loco simul et dignitati" renuntiat, qui cum officio episcopali etiam dignitatem et denominationem episcopalem deponit, omni omnino ordinis episcopalis executione in manus Papae absolute dimissa, quemadmodum ab iis fit, qui ex zelo devotionis dispensationem impetrant, ut statum religiosum amplecti possint. Rara sunt ejusmodi perfectae renuntiationis exempla, nec ea sine pia quadam admiratione populus fidelis contueri consuevit. Ex omnibus notissima est renuntiatio cardinalis et principis Caroli Odescalchi, Gregorii PP. XVI. in Urbe vicarii, qui purpurae honore

cum pontificatu Sabino posito, Italiam novitate ac miraculo facti attonitam in admirationis stuporem conjecit, Societatem Jesu ingressus die 6. Decembris anni 1838[1]). — Exempla recentiora et talia, quae plenariam synodum propius attineant, habemus in duobus episcopis americanis O'Connor et Miège, qui in eodem hoc concilio cum aliis antistitibus recens defunctis laudantur p. LX.

Michael O'Connor, episcopus Pittsburgensis (Pennsylv.), collegii Urbani de Propaganda fide quondam alumnus, magni vir nominis, dignitate episcopali de licentia Pii PP. IX. deposita a. 1860, ad Societatem Jesu admissus in Europam navigavit, ut in terra aliena ignotus, novitiatus tempore in umbra delitesceret securus. Vitae religiosae fundamento rite posito, ex Germania, praeclaris inibi virtutum documentis relictis, in Americam reversus reliquam exigens aetatem ordinariis Societatis exercitam ministeriis, provinciam suam sanctis moribus, egregia sui demissione atque insigni in Deum pietate illustravit. Vitam apostolicis ornatam meritis in Collegio Woodstock piissimo conclusit exitu die 18. Octob. an. 1872, relicta de se singulari sanctitatis opinione, inter alios episcopos inde ab ultimo concilio plenario defunctos relatus, ut diximus, p. LX.

Alterum exemplum est in renuntiatione Joannis Baptistae Miège, episcopi Messeniensis et vicarii apostolici ad orientem montium saxosorum, qui quum primo concilio plenario Baltimorensi ipse praesens, secundo autem per procuratorem interfuisset[2]), post immensos labores apostolicos egregie exantlatos, episcopatu absolute abiit an. 1874, et Societatem Jesu, ex qua de mandato Summi Pontificis fuerat ad dignitatem episcopalem assumptus an. 1851, iterum ingressus est, eximio

---

[1]) Patris Odescalchi vitae compendium exhibet Moroni, *Dizionario,* t. 48, pp. 270—276.

[2]) Cfr. Coll. Lacen. t, 3, pp. 149 et 546.

pietatis virtutisque incitamento omnibus factus. Literas indictionis tertii concilii plenarii venerabilis senex accepit, dum munus confessarii et patris spiritualis sustineret in Collegio Woodstock, e quo paulo post in coelum (quod praeclara ipsius facta sperare jubent) ad aeternam laborum mercedem evocatus est (21. Jul. 1884). Ejus vitam et laudes breviter complexus est editor folii periodici „*Woodstock Letters*“, mense Novembri ejusdem anni 1884, pp. 394—399.

Quibus ita praemissis patet, de evocatione unius Patris J. B. Miège quaestionem moveri potuisse, quum praeter eum nullus alius esset superstes, qui episcopatui cum nomine et dignitate simul renuntiasset. Jam vero haec erant de juridica ejusdem Patris conditione ad mentem canonum tenenda:

1. A die peractae renuntiationis non amplius appellabatur episcopus, quamvis indelebilem ordinis episcopalis characterem semper retineret. — Exinde

2. nullum ex illis actibus episcopalibus legitime ponere poterat, qui a solis episcopis exercentur, cujusmodi ex citato capite est collatio ordinum majorum; attamen

3. eos actus episcopales, debita cum licentia, exercere poterat, qui etiam simplicibus sacerdotibus, episcopali ordine carentibus, ex privilegio permittuntur, quibus eodem capite collatio primae tonsurae et ordinum minorum accensetur, quod ea nimirum et abbatibus charactere episcopali destitutis concessa sit. Et quoniam ex utriusque juris doctrina „ubi eadem ratio extat, ibi eadem est juris dispositio“ et idcirco „de similibus idem habendum est judicium“[1]), renuntiatio peracta non obstabat, quominus ad concilium cum suffragio decisivo admitteretur. Ratio autem est, quia renuntiatio res est strictae interpretationis, ideoque episcopus in casu nostro non censetur iis actibus quoque renun-

---

[1]) C. Inter corporalia 2. X. de translatione episcopi (I., 7).

tiasse, qui etiam a sacerdotibus charactere episcopali carentibus ponuntur[1]).

4. Convocatis ad concilium universis foederatarum ditionum episcopis (iis non exceptis, qui episcopatui renuntiarant), non censebatur etiam vocatus P. Miège; praeterenimquamquod non amplius appellabatur episcopus, prohibebat etiam regula juris 83 in 6., quominus communi illa evocatione crederetur affectus. Juxta eam quippe generali concessione non comprehenduntur, quae speciali nota digna sunt[2]), cujusmodi judicantur esse insolita atque ordinaria. Quare ex industria censentur omissa, „nisi specialiter notentur“[3]).

5. Quodsi tamen speciali invitatione fuisset a delegato apostolico vocatus, concilium adire et cum aliis praesulibus, suis olim in episcopatu collegis, ad votum decisivum admitti potuisset, quum ejusmodi actus etiam ab abbatibus et praelatis, qui episcopi non sunt, exerceri soleat. Verum solutionem singularis sui casus P. Miège beata morte praevenit, magno sui desiderio cunctis synodalibus relicto. — Et de admittendis episcopis, qui episcopatui renuntiarunt hactenus.

Circa electos autem, qui pontificias confirmationis bullas nondum acceperunt, quaestionis ansam dedit praesentia duorum antistitum, qui dum bullas exspectarent, ex responsione romana cum suffragio decisivo ad concilium sunt admissi. Et merito quidem ad Summum Pontificem fuisse factam relationem[4]) atque ab eo, quid faciendum esset, petitum, ex eo infertur, quod

---

[1]) Cfr. Pirhing ad h. t., n. 3.

[2]) Ei regulae in jure sacro frequentem usum esse, conjici ex iis potest, quae superius animadvertimus circa interpretationem clausularum (p. 66) et mandati procuratoris (p. 72).

[3]) L. Item apud 15. §. 26. π. de injuriis et famosis libellis (XLVII., 10).

[4]) De relatione agitur in corpore juris can. l. 2., tit. 28. Definitur autem h. l. relatio *judicis inferioris in causa de jure dubitantis ad principem missa consultatio, ut sciat quid sequatur.* Quae de ea scitu utilia sunt, concinne proponit Pirhing, *h. t.,* n. 278—279.

apostolicae confirmationis literae haud secus ac rescripta justitiae non a die datae (scripturae), sed a die praesentatae valere incipiant. Quamvis enim generatim verum sit, documenta collationis beneficiorum esse rescripta gratiae, quae proinde regulariter vim suam statim exerant a die, quo sunt expedita; iis tamen accenseri nequeunt apostolicae bullae, quibus princeps magistratus ecclesiasticus cum ordinaria jurisdictione in utroque foro confertur. Aequiparandae potius sunt rescriptis justitiae, in quibus, quod ad initium valoris, tempus praesentatae attendi debet[1]); quia vicarius capitularis vel alius administrator legitime constitutus munere suo abire nequit, nisi exhibitis sibi literis apostolicis certus fuerit de novo episcopo a Summo Pontifice confirmato.

III.

De formatione duodecim deputationum synodicarum.

Probatam synodorum consuetudinem secutus, delegatus apostolicus in sessione praeliminari metropolitarum et episcoporum communi omnium consensu duodecim deputationes theologorum constituit, quarum quaelibet certum numerum episcoporum et aliorum synodalium complectens, sub uno ex duodecim archiepiscopis praeside, varia schematis capita a delegato assignata praevio examini subjiceret, atque ad ulteriorem disquisitionem in generali synodalium congregatione instituendam praepararet. Ut autem omnia particularium istarum deputationum gesta eo commodius ac tutius possent ad usus congregationum generalium atque inde ad assecutionem finis synodi transferri,

---

[1]) Quaestionem de tempore in rescriptis pontificiis attendendo fuse pertractant doctores in commentariis ad t. 3., lib. I., qui est „de rescriptis“.

delegatus apostolicus pro singulis deputationibus notarium constituit, qui observationes circa propositas materias faciendas authentice literis consignaret, delegato postea tradendas omniumque examini ac voto in congregationibus generalibus proponendas.

De theologis quidem hic non attinet dicere; quae vero ad notariorum institutionem spectant, distinctius sunt attingenda, tum quod generatim publica gestorum fides a notarii opera pendeat, tum quod speciatim in ipsis concilii decretis antistitibus reipublicae cum auctoritate praecipiatur, ut notarios instituant. Cunctis igitur, quae nobis de notario sunt dicenda, ad hunc locum congestis, id commodi etiam consequemur, ut unum ex praecipuis synodi decretis *προληπτικῶς* jam necessaria interpretatione expositum censeri queat.

Et quoniam auctore Epicteto initium doctrinae est interpretatio nominis, incipiemus a declarandis vocabuli rationibus, definitionem realem cum praecipuis juris regulis, quibus universalis haec institutio regitur, ex ordine subdituri.

De notariis.

Notarius, a *notis* dictus, in genere designat peritum artis notas literarias sive legendi sive scribendi. Sunt autem notae certa quaedam signa, integras voces exprimentia, quibus utuntur, qui scribendi compendia celeritatis causa sectantur, ut quum vel decurtatis verbis scribitur (cos = consul), vel literae singulariae adhibentur (C-R = Caesareo-Regius), vel signa conficta ad literas et voces significandas ponuntur (ff pro π = pandectae) vel alia breviuscula signa ex praevio consensu determinata adsciscuntur, quibus ad occultanda consilia, maxime in bello, propter hostium insidias, milites utuntur. — Qui ejusmodi artificiosas scribendi notas

explicare ac compendiariam scripturam legere potest, in jure sacro *notarius* appellatur[1]).

Notarii autem proprie dicuntur, qui brevioribus istis ac compendiariis notis usi verba dictantis aut loquentis citissime excipiunt. Eorum passim meminerunt s. Augustinus[2]) aliique veteres scriptores magno numero adducti a Du Cange, *Glossar. lat.* h. v.

Quoniam vero quae magistratibus et judicibus apparentes excipiebant, fidem publicam faciebant, notarii vocabulum speciatim adhiberi coepit ad personam publicam denotandam, quae *chartas probantes* conscriberet[3]). Et ita accepti notarii plurifariam appellantur, ut ecce:

Tabelliones[4]), quod antiquitus acta conscribere in tabulis seu tabellis solerent;

Scribae publici, quod et *publicae personae* essent[5]) et quae fiebant, publica auctoritate literis consignarent;

Actuarii, quod acta magistratus, praesertim judicis pro tribunali sedentis, authentice perscribant;

Chartularii[6]), quod ex officio proprio publicas chartas seu scripturas conficiant ac tractent, unde et *commentarienses* dicti leguntur[7]);

Registratores, quod scripturas in forma probante in registra seu regesta referant[8]);

Exceptores, ut pluries in martyrologio romano[9]) et passim a sanctis Patribus nominantur, quod dicta aliorum publice excipiant;

---

[1]) C. Monachus 9. Dist. 77., ad quem canonem glossa expresse animadvertit: „*notarius,* a notis, idest literis legendis“.

[2]) V. g. De doctrina christiana, l. 2., c. 26., apud Migne, Patrol. Lat., t. 34., p. 55.

[3]) Ea significatione occurrit c. Dudum 20. X. de conversione conjugatorum (III., 32).

[4]) Cfr. C. Quum P. tabellio 15. X. de fide instrumentorum (II., 22).

[5]) C. Si instrumenta 16. tit. cit.

[6]) C. Quae de causa 9. C. II. q. 5.

[7]) Cfr. *Kalendarium utriusque ecclesiae,* t. 1., p. 356.

[8]) Cfr. rubrica capitis Cognoscentes 2. X. de constitutionibus (I., 2).

[9]) V. g. ad dies 25. Augusti et 3. Decembris.

Cancellarii et *secretarii*, quod quasi ad cancellos tribunalis assistentes, judicibus in secretario[1]) causam examinantibus scribendo operam navent;

Scriniarii, quod quum publici scrinii sive archivi curam haberent, nihilominus instrumenta publica, praecipue ex archivo eruta, reliquorum notariorum more conficerent[2]);

Protocollistae, quod ea, quae vel judicialiter vel extrajudicialiter fiunt, in *protocolla*[3]) h. e. in authenticum actorum librum, qui in prima pagina notam sive scripturam publicam habet agglutinatam vel impressam, diligenter referre debeant: exinde, ubi opus fuerit, in grossum seu mundum, ut vocant, redigenda.

Rogiti (forma novitia pro *rogati*), quod notarii publicum instrumentum (rogitum) *rogati* conficiant[4]), testibus pariter *rogatis* actum subscribentibus.

Graecis notarii a signis, quibus verba dicentis subsequebantur, *σημειόγραφοι*, a celeritate scribendi autem *ταχύγραφοι* et *ὀξύγραφοι* appellantur. Formae *στενόγραφος* (quasi *στενῶς*, anguste, verba oratoris excipiens) in occidente confictae Graecia civitatem non dedit.

Et haec circa quaestionem de nomine. — Caeterum de verbis non est laborandum, ubi de mente principis et de natura injuncti muneris constat. Qui legitimam facultatem habet protocolla et instrumenta in forma

---

1) C. Gesta 2. Dist. 74.

2) Cfr. Du Cange, *glossar. lat.* h. v.

3) Protocollum nomen traxit a *πρῶτον*, primum et *κόλλα*, gluten: quasi *prima glutinatio*, h. e. prima pagina codicis vel libri, cui agglutinatum vel typario publico impressum est signum, quod Germani vocant *Stempel*; Galli *timbre*, Angli *stamp*, Itali *bollo*. — Ut prima libri pagina *πρωτόκολλον*, ita postrema *ἐσχατόκολλον* sive *ἐσχατοκόλλιον* appellatur. Cfr. *Kalendarium utriusque ecclesiae*, t. 1, p. 462.

4) Nomenclatura occurrit in egregia „*praxi synodali*" (p. 73), typis Benzigerianis Neo-Eboraci edita an. 1883, atque a synodo Baltimorensi merito commendata p. XXXVI.

probante conscribendi, vere proprieque notarius est, quodemumcunque nomine vocetur.

Notarius definitur „persona publica a principe deputata et sacramento obstricta, ut acta in formam publicam perscribat, quae plenam ubique fidem faciant“.

Notarii est acta in forma probante conscribere, ut de gestis et eventibus semper authentice ac certo constet; non autem ad notariatus officium spectat de iis cognoscere ac judicare, quae praevium rei examen ad fidem faciendam requirunt; hoc enim judicis esse dignoscitur, v. g, sitne Sempronis naturali sua morte defunctus, an vero violenter occisus? an res Titio commodata sine ejus culpa (fulmine, grandine, inundatione) perierit? Unde notarius nec rogatu illius, cujus interest, instrumentum de ejusmodi eventu facere potest sine praevia judicis auctoritate. — Ex corpore juris canonici huc faciunt c. Quum P. tabellio 15, et c. Si instrumenta 16. X. de fide instrumentorum. In priori statuit Gregorius PP. IX., instrumentum „in publicam formam redigi“ ex alieno protocollo[1]) non posse sine praevia causae cognitione, notariis negata solisque judicibus reservata. — In altero docet idem Pontifex, causae cognitionem „ab ordinario judice vel delegato ab eo specialiter diligenter faciendam“ ad hoc requiri, ut exemplum ex originali instrumento descriptum „eandem auctoritatem cum originali habeat“.

Scriptura notarii legitime confecta a causa efficiente *scriptura publica* vocatur, quod „*per manum publicam*“[2]), h. e., publica auctoritate interveniente sit juxta praescriptas juris regulas exarata[3]); a causa finali vero insignite *charta probans* dicitur, quod in quocun-

[1]) Protocollum ibidem antiquo more *nota* vocatur.

[2]) C. Scripta 2. X. de fide instrumentorum. Eodem sensu nominatur *documentum publicum* c. Si testes omnes 3. C. IV. q. 2. et 3.

[3]) Exinde etiam scripturae *solemnis* nomen habet, de cujus appellationis rationibus videri possunt, quae animadvertimus in *Disput. academ.*, II., pp. 20 sqq.

que judicio locum irrefragabilis et publici testimonii habeat et causam in eo relatam evidenter pleneque probet[1]). Ea de causa et *instrumenti authentici* nomine venit[2]), quod nimirum ubique auctoritatem indubitatam et legitimam habeat.

Dicitur notarius *a principe deputatus;* quia potestas notarios creandi per se soli principi competit; etenim, verba sunt Prosperi Fagnani, „ut credatur pelli animalis mortui, (membranae pergamenae) est contra jus, cui solus princeps supremus potest derogare"[3]). Et re sane vera, „valde exorbitans est a communi jure gentium, ut unius hominis scripturae, quae est testis mortuus et inanimatus sine vivae vocis contestatione et alio adminiculo plena fides habeatur, quum hujusmodi fides nec scripturae aut sigillo alicujus in alterius praejudicium haberi soleat". Ast solus princeps supremus potest quidpiam a jure communi omnium gentium exorbitans veluti dispensando constituere seu introducere[4]).

Quamvis solus princeps superiorem non recognoscens jure proprio habet potestatem notarios constituendi, eandem tamen et inferiores magistratus rite acquirere possunt sive ex consuetudine legitime introducta sive ex privilegio a principe concesso. Et sic, ut alios omittamus, legitime creantur notarii ab episcopis, a praelatis regularibus[5]), ab inquisitoribus haereticae pravitatis, de quibus singillatim videantur, qui hanc materiam post Fagnanum ex professo tractarunt.

In foro ecclesiastico et in causis ecclesiasticis ac spiritualibus etiam laici notarii esse possunt, quum notariatus nudum sit ministerium, ad quod praestan-

---

1) Cfr. Acta SS. ad diem 29, Maji, tom. 7. ejusdem mensis, p. 121.

2) C. Quum pridem 4. X. de pactis (I., 35).

3) In c. Sicut te 8. X. ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant, q. 5., n. 13.

4) Ita Pirhing h. t. n. 8.

5) Cfr. Ferraris, *Bibliotheca,* v. notarius, n. 21.

dum nulla jurisdictio ecclesiastica requiritur. Ex probata consuetudine imo notarii a potestate saeculari creati regulariter etiam in foro ecclesiastico exercere notariatus officium possunt, solis canonizationum causis exceptis[1]). Concilium Tridentinum quippe facultatem episcopis tribuit[2]), „etiam tanquam delegatis Sedis Apostolicae, quoscunque notarios, etiamsi apostolica, imperiali aut regia auctoritate creati fuerint, examinandi, illisque non idoneis repertis aut quandocunque in officio delinquentibus officii ejus in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis et spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibendi". Supponit ergo concilium, notarios imperiali aut regia auctoritate creatos, atque inde laicos, in causis ecclesiasticis et spiritualibus fungi notariatus officio posse, quamdiu non fuerint a magistratu ecclesiastico prohibiti. Sunt tamen, qui putent, rem nimis miram videri ac talem, quae ecclesiam dedeceat, in negotiis ecclesiasticis operam eorum adhibere, qui hodie a regimine civili atheo creantur notarii, praesertim si catholici non sint[3]).

Licet notarius regulariter valide non conficiat instrumentum nisi intra territorium illius magistratus, quo publicum notariatus officium est consecutus; instrumentum tamen semel juxta legitimas territorii consuetudines rite perscriptum ubique valet, licet alibi aliae solemnitates requirantur ad eundem actum valide ponendum. Quemadmodum enim actus omnes ac contractus secundum particulares leges et loci consuetudines valide celebrati ubique terrarum valent ac legitimi reputantur: ita et instrumentum notarii fidem et auctoritatem publicam, quam ex legitima sua origine jam accepit, mutatione loci non amittit, sed ubique pro publico et authentico habetur.

---

[1]) Cfr. Pignatelli *consultat. canon.*, t. 3., cons. 11. (edit. Venet. an. 1687, p. 39).

[2]) Sess. 22., c. 10. de reformat.

[3]) Cfr. Bouix, *de judiciis ecclesiasticis*, t. 1., pp. 505—506.

Scripturae authenticae notarii duplicis sunt generis, protocolla originalia (ἀρχέτυπα) et instrumenta publica ad protocolla rite exacta (exemplaria, transumpta, grossa).

Protocollum recentiori significatione est scriptura originalis instrumenti rogati (*rogitus*), in qua substantialia actus a petentibus gesti manu ipsius notarii publici, per se negotium audientis, ex rogatione partium, succincte[1]) quidem, sed tamen clare describuntur, ut ex ipsa, quae gesta sunt, plene et distincte intelligantur.

Instrumenta publica vero sunt documenta seu exemplaria sive transumpta, ab ipso notario ex proprio suo protocollo fideliter *in grossum vel mundum*[2]) exscripta, h. e., legitimis juris solemnitatibus accurate servatis, *in publicam formam redacta*[3]).

Utraeque scripturae authentice sunt plenamque fidem ubique faciunt, quemadmodum ex utroque jure pluribus ostendunt, qui in citatum titulum 22. l. 2. ex professo scribunt.

Vim protocolli authentici attingunt *libri parochiales*, in quibus certae quaedam functiones parochiales notantur, quae particulari authentico testimonio indigent et pro tuendo ordine sociali Ecclesiae ad perpetuam memoriam literis consignatae esse debent. Ex iis duo praescripti sunt a concilio Tridentino sess. 24. de reformatione matrimonii, nimirum *liber matrimoniorum* (c. 1) et *liber baptizatorum* (c. 2). Praeter duos

---

[1]) Prima haec perscriptio actorum in protocollo extrajudiciali Gallis dicitur *minute*, quod minutis notis seu literis succinctiori brevitate conficiatur: quemadmodum solemne ac publicum instrumentum ex protocollo erutum vocatur *grosse*, ab amplioribus literis ac formulis ex lege praescriptis.

[2]) C. Quum ad sacrosanctae, de sententia excommunicationis (XIII. un.) Joan. XXII. jcta. gl., ubi instrumentum publicum dicitur *litera grossa ex nota* (protocollo) *procedens*, seu *litera grossata*, h. e., scriptura major, luculentior, solemnior.

[3]) C. Quum P. tabellio. cit.

istos et alii tres conficiendi ac servandi sunt ex constitutione Pauli PP. V., qua Rituale romanum edi jussit; scilicet *libri status animarum*, *confirmatorum*, *mortuorum*. — Licet ejusmodi scripta origine sua nec publica sint nec solemnia, habentur tamen pro authenticis, ut adeo, v. g., mortuis testibus et parocho, solo matrimoniorum libro, absque aliis probationibus, matrimonium plene probetur, quia in tali scriptura exaranda fides, industria atque illibata custodia parochi censetur ab ecclesia electa; unde libro parochiali ceu authenticae et irrefragabili attestationi standum esse, pluries a tribunalibus romanis declaratum fuit[1]).

Et haec quidem interpreti Baltimorensi erant e jure sacro animadvertenda. Caetera, quae tractatum de notariis constituunt, poterunt, ubi opus fuerit, erui ex obviis doctorum commentariis ad titulum „de fide instrumentorum" in quo propriam suam sedem materia habet.

Dum ergo delegatus apostolicus, potestate sibi tributa solemniter usus, duodecim graves, eruditos, expertos ac diligentes viros synodales deputationum notarios creavit, id omnino egit, ut quae in variis deputationum sessionibus in examine schematis proferrentur, memoriae causa succincte ac clare in protocolla referrentur, tum ut in congregationibus generalibus authentice proposita statim ipsius consilii usibus inservirent, tum etiam ut postea cum caeteris actis synodicis Baltimorae in archivo metropolitano fideliter asservata semper praesto essent, ad quae, si quid difficultatis vel Romae in concilii revisione vel domi in decretorum interpretatione emerserit, haberi recursus posset[2]).

---

[1]) Cfr. Baruffaldi, *Commentaria ad Rituale roman.* tit. 2., n. 93; tit. 42., nn. 80—81; tit. 92., n. 28.

[2]) Cfr. c. Quoniam contra 11. X. de probationibus (II., 19), ubi protocolli originalis is usus esse dicitur, „ut si super processu fuerit suborta contentio, per illud possit veritas declarari".

IV.
De constitutione variorum officialium seu ministrorum concilii.

Officiales synodales notante Benedicto PP. XIV., *Synod. dioeces.* l. 4., c. 1., in triplici differentia versantur; alii enim operam suam praestant patribus concilio nondum aperto, alii vero in ipso concilio jam coacto, alii demum post concilium rite absolutum ac dimissum.

Ante concilium nominantur *praefecti hospitiorum*, qui omni diligentia curare debent, ut synodales congruis excipiantur hospitiis.

Qui concilio legitime congregato operam suam sunt praestituri, eliguntur in prima sessione praeliminari, nimirum *promotores synodi*, quibus id officii demandatur, ut quae in concilio facienda sunt, legitime, celeriter et fructuose peragantur peractaque literis authentice mandentur; *notarii*, *cancellarii*, *secretarii*, qui licet omnes sint notarii, ex consuetudine synodica tamen et propter magnitudinem laboris, onere dispertito, singuli singulis negotiis conficiendis praeficiuntur, quod „nimia negotiorum occupatione frequenter neutrum de agibilibus bene agi permittatur“[1]); *judices excusationum* eorum, qui ad concilium non accesserunt; item *judiccs querelarum* inter congregatos forte excitandarum; *ostiarii*, *caeremoniarii*, *cantores*, propriis suis officiis functuri.

Synodo demum canonice finito operam suam praestant *testes synodales*, qui custodes quodammodo sunt decretorum a concilio editorum ac proin „per singulas

---

[1]) Gl. in c. Quum ad sacrosanctae, un. de sententia excommunicationis. Joan. XXII. Consonat c. Singula Dist. 89: „Neque enim quantumlibet exercitatae uni personae uno tempore duarum rerum officia committenda sunt“.

dioeceses constituti", quae circa decretorum observationem animadvertenda prudenter judicaverint, „ad concilium subsequens perferent[1]); *judices synodales*, a synodo electi, quibus causae ecclesiasticae a Summo Pontifice delegandae tuto committantur[2]); *examinatores synodales* candidatorum pro ecclesiis parochialibus quae ad liberam spectant collationem episcopi[3]), et quibus e novissimo jure Baltimorensi rectoratus inamovibiles accensentur.

Verum non est, cur de concilii ministris hic fusius scribatur, quum omnia, quae ad eorundem officia spectant, copiose accurateque reperiantur exposita in laudata jam *Praxi synodali*, quam cl. Dno. Sebast. G. Messmer, sacrae theologiae in seminario novarcensi[4]) professori, almae literarum universitatis oenipontanae quondam alumno nobisque et amicitia et officiis non levibus conjunctissimo, acceptam referimus: viro, ut ait Rmus. metropolita neo-eboracensis, „in scientiis sacris apprime versato" (praefat.), cui quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, quod secretarii munere in synodo functus haud exiguas partes in tanto negotio ad exoptatum exitum perducendo habuerit.

---

1) C. Sicut olim 25. X. de accusationibus.
2) Concil. Trident., sess. 24., c. 18. de reformat.
3) Ibid. c. 18.
4) Seton Hall-College, South-Orange, New Jersey.

STATIO TERTIA, REGIA.

Tertiam stationem a splendore ac majestate processionum, missarum aliarumque publicarum functionum concilii proprie *regiam* dici debere, atrium ingredientes suo loco praediximus p. 51. Et re sane vera, universa hierarchia statuum foederatorum Americae septentrionalis ibidem in tota sua dignitate claritateque per omnes suas partes rite explicata conspicitur, cultu nostro admiratione que digna. Cunctae ecclesiae quippe, saeculares et regulares, per suos antistites, procuratores et doctores canonice repraesentatae, velut *acies bene ordinata*, hic spectatorem tanta magnificentia praetergrediuntur, ut ipso aspectu cuivis consideranti stuporem cum veneratione injiciant.

Verba actorum dilucida sunt ac clara. Hinc est, quod sola lectione, non interpretatione, indigeant, quae hac statione visenda exhibentur. Ne ea tamen omnino ἀνερμήνευτα reliquisse videamur, interpretationis loco conspectum ipsius hierarchiae catholicae amplissimarum illarum ditionum ex illo, quo synodus habita est, anno 1884 dabimus, adjectis praecipuis regulis canonicis, quibus ordo inter varia ecclesiarum et clericorum genera rite stabilitur ac regitur.

I.

Provinciae ecclesiasticae cum sedibus metropolitanis et episcopalibus anno 1884.

1. Prov. Baltimorensis.

Metrop. Baltimorensis (Maryland). — *Suffrag.* S. Augustini (Florida); Carolopolitana, Charleston (S. Carolina); Richmondiensis (Virginia); Savanensis (Georgia); Wheelingensis (Virginia); Wilmingtoniensis (Delaware).

2. Prov. Bostoniensis.

Metrop. Bostoniensis (Massachussets). — *Suffrag.* Burlingtonensis (Vermont); Hartfortiensis (Connecticut); Manchesteriensis (N. Hampshire); Portlandensis (Maine); Providentiensis (Rhode Island); Campifontis, Springfield (Massachussets).

3. Prov. Chicagiensis.

Metrop. Chicagiensis. — *Suffrag.* Altonensis (Illinois); Peoriensis (Illinois).

4. Prov. Cincinnatensis.

Metrop. Cincinnatensis (Ohio). — *Suffrag.* Clevelandensis (Ohio); Columbensis (Ohio); Covingtonensis (Kentucky); Detroitensis (Michigan); Wayne-Castrensis, Fort-Wayne (Indiana); Fluminis rapidi, Grand-Rapids (Michigan); Ludovicopolitana, Louisville olim Bardstown (Kentucky); Nashvillensis (Tennesse); Vincennopolitana, Vincennes (Indiana).

5. Prov. S. Fidei.

Metrop. S. Fidei, Santafé (N. Mexico).

6. Prov. Philadelphiensis.

Metrop. Philadelphiensis (Pensylvania). — *Suffrag.* Alleganensis (Pensylvania); Eriensis (Pensylvania); Harrisburgensis (Pensylvania); Pittsburgensis (Pensylvania); Scrantonensis (Pensylvania).

7. Prov. S. Francisci.

Metrop. S. Francisci (California). — *Suffrag.* Vallispratensis, Grass-Valley sive Sacramensis, Sagramento (California); Monterevensis et Angelorum, Monterey and Los Angeles (California).

8. Prov. S. Ludovici.

Metrop. S. Ludovici, St. Louis (Missouri). — *Suffrag.* Davenportensis (Iowa); Dubuquensis (Iowa); S. Josephi

(Missouri); Kansanopolitana, Kansas City (Missouri); Leavenworthiensis (Kansas); Omahensis (Nebraska).

9. Prov. Milwaukiensis.

Metrop. Milwaukiensis (Wisconsin). — *Suffrag.* Crossensis, La Crosse (Wisconsin); Sinus Viridis, Green Bay (Wisconsin); S. Pauli de Minnesota (Minnesota); Marianopolitana et Marquettensis, Sault-Sainte-Marie and Marquette (Michigan).

10. Prov. Novae Aureliae.

Metrop. Novae Aureliae, N. Orléans (Louisiana). — *Suffrag.* S. Antonii (Texas); Galvestoniensis (Texas); Petriculana, Little Rock (Arkansas); Mobiliensis (Alabama); Natchetensis (Mississipi); Natchitochensis (Louisiana).

11. Prov. Neo-Eboracensis.

Metrop. Neo-Eboracensis, N. York (N. York). — *Suffrag.* Albanensis (N. York); Brooklyniensis (N. York): Buffalensis (N. York); Novarcensis, Newark (N. Jersey); Ogdensburgensis (N. York); Roffensis, Rochester (N. York); Trentonensis (N. Jersey).

12. Prov. Oregonopolitana.

Metrop. Oregonopolitana, Oregon City (Oregon).— *Suffrag.* Helenensis (territor. Montana); Nesqualliensis (Washington); Vancouveriensis (N. Britannia).

Accedunt

Vicariatus apostolici: 1. Brownsvillensis, 2. Carolinae septentrionalis, 3. Dakotae, 4. Minnesotae septentrionalis, 5. Nebraska, 6. Territorii Colorado, 7. Territorii Idahensis, 8. Territorii Arizona.

Tandem memoranda est praefectura apostolica territorii Indorum.

Et iste quidem erat status ecclesiae americanae anno 1884. — Ex eo tempore autem sex novi episcopatus et unus vicar. apostolicus ibidem a S. Sede erecti sunt, sc. in urbibus Syracuse (in st. N. York), Denver (in st. Collorado), Wichita (in st. Kansas), Concordia (ibid.), Lincoln (in st. Nebraska), Cheyenne (in territorio Wyoming), vic. ap. in Salt Lake city (in terr. Utah).

II.

De ordine canonico inter varia clericorum et ecclesiarum genera ex jure servando in processionibus, congregationibus, aliisque functionibus, in quibus celebrandis personae ecclesiasticae diversi gradus concurrunt.

Qui sacros canones secundum decretalium libros explicant, materiam praesentem pertractare solent in commentariis ad tit. 33. lib. 1. qui est „de majoritate et obedientia". Ex iis propter doctrinae concinnitatem prae aliis consuli merentur Engel, Pirhing, Schmalzgrueber et Wiestner. Multa quoque ad casus solvendos utilia collegit Ferraris in *Bibliotheca can.* v. Praecedentia. Tu nunc pauca hic accipe, plura deinde, ubi opus fuerit, ex indicatis fontibus hausturus.

Rationes canonici ordinis in ecclesia servandi in terris ex paradigmate angelicae hierarchiae in coelis petitas jus nostrum ita proponit: „Ad hoc dispensationis divinae provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, et ex diversitate contextio et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiae ordo servaret. Quia vero quaeque creatura in una eademque qualitate gubernari vel vivere non potest, coelestium militiarum exemplar nos instruit:

quia dum sunt angeli et sunt archangeli, liquet, quia non sunt aequales, sed in potestate et ordine differt alter ab altero"[1]).

De regulis autem, quibus aemulus iste angelicae hierarchiae ordo in terris regitur, haec praecipue sunt animadvertenda.

1. Clerum omnem summa aliqua divisione partimur in *saecularem* et *regularem*.

2. Clerus saecularis, si conjungatur cum suo capite, episcopo, utpote supremo dioeceseos principe et hierarcha, praecedit clerum regularem, licet vel singulares communitates regulares quibusdam communitatibus clericorum saecularium, et singulares personae regulares multis clericis saecularibus seorsim sumptis multiplici ex capite praeferri possint ac debeant.

3. Inter ipsos clericos saeculares episcopo viciniores sunt, qui „fratres ipsius" vocantur „unumque corpus cum eo constituunt, cujus episcopus caput et fratres membra esse comprobantur"[2]), h. e., canonici ecclesiae cathedralis, collegialiter incedentes.

4. Canonicos ecclesiae cathedralis sequuntur canonici ecclesiarum collegiatarum. Eos excipiunt rectores curati, decani, plebani, ecclesiarum parochialium presbyteri cum reliquo clero saeculari.

5. *Protonotarii apostolici non participantes, praelati domestici, camerarii secreti*, si qui adsint, praeferuntur clericis inferioribus, praelaturam realem vel dignitatem non habentibus.

6. Ordo ipsarum harum dignitatum atque inferiorum praelaturarum tum in capitulis tum in clero dioeceseos plerumque ex recepta consuetudine, quae his in rebus ante omnia est attendenda, determinatus reperitur.

---

[1]) C. Ad hoc 7. fin. Dist. 89.

[2]) C. Novit 4. X. de his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli (III., 10).

7. Clerum saecularem sequitur clerus *regularis*. In eo, si solummodo ordinem hierarchicum in ecclesia observari solitum spectemus, primum dignitatis locum tenent *canonici*, secundum *clerici*, tertium *monachi*, quartum tandem *mendicantes*[1]), inter quos primi sunt Praedicatores seu Dominicani.

De canonico hoc religionum ordine plures extant sententiae pontificiae in variis litibus de praecedentia latae. Celeberrima est controversia inter canonicos regulares s. Augustini congregationis Lateranensis et monachos Cassinenses ultra centum annos agitata et tandem a Pio PP. IV. in favorem canonicorum decisa, quod, notante Cardinali de Luca, canonici pertineant ad ordinem clericalem, ordo clericalis autem simpliciter praecedat monasticum[2]).

Celebris etiam est controversia inter ordines clericorum regularium et mendicantes orta an. 1670, dum agebatur de beatis Francisco Borgia, Cajetano, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando et Rosa in album Sanctorum referendis; dubitabatur nempe, quo ordine nomina eorum essent proferenda. Fuit autem decisum, „servandum esse ordinem hierarchiae ecclesiasticae, et si plures sint ex ordinibus ejusdem generis, praeferendum diem mortis, ideoque ponendum primo loco Cajetanum, secundo Franciscum B., tertio Philippum B., quarto Ludovicum B., et quinto Rosam", quod ordinibus clericalibus Theatinorum et Societatis Jesu praecedentia ante ordines mendicantes Dominicanorum et Servitarum adjudicari debeat[3]).

---

[1]) In corpore juris canonici quatuor religiones nominatim declarantur *mendicantes*, nimirum ordines *Praedicatorum*, *Minorum*, *Eremitarum s. Augustini* et *Carmelitarum* (C. Religionum un. de religiosis domibus in 6.). Iis postea ex gratia Sedis Apostolicae plures aliae sunt accensitae, ex quibus *ordo servorum B. M. V.* una cum quatuor praecedentibus in concilio Baltimorensi erat repraesentatus.

[2]) *De praeeminent.*, disc. 24. — Dignus est qui de hac lite consulatur Ascan. Tamburini, *de jure abbatum*, t. 1., disp. 25., q. 1.

[3]) Cfr. Benedict. PP. XIV., *de servor. Dei beatific.*, l. 1., c. 36.

8. Quodsi plures familiae ejusdem ordinis in eadem urbe vel republica existant, praeeminentiam habent, quorum fundatio sive introductio antiquior est.

9. Seposita hac cleri distinctione in saecularem et regularem, canonicus personarum ecclesiasticarum ordo potissimum petitur ex excellentia dignitatis, ut adeo Summum Pontificem ex ordine sequantur cardinales, patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, abbates jurisdictionem ordinariam cum usu pontificalium habentes[1]), generales ordinum regularium aliique praelati, et demum caeteri clerici.

10. Inter eos, qui dignitate sunt pares, attenditur *praerogativa ordinis*[2]). Hinc in sacro collegio primum locum tenent cardinales episcopi, secundum cardinales presbyteri, tertium cardinales diaconi. Idem *de jure* dicendum est de canonicis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum.

11. Si qui dignitate et ordine pares sunt, *de jure* attendi debet *dignitas ordinantis aut promoventis*. Hinc qui sacerdos ordinatus est a Papa praefertur sacerdotibus ordinatis ab episcopo, ut in ordinato exhibeatur honor ordinanti[3]), quod privilegium non tamen extenditur ad ordinatos ab archiepiscopo; et qui canonicatu provisus est auctoritate Summi Pontificis in assecutione praebendae antefertur proviso ab inferiore[4]). Eadem de causa episcopi et praelati exempti ac Sedi Apostolicae immediate subjecti in concilio provinciali praecedunt episcopos et praelatos non exemptos.

12. Si caetera omnia sint paria, majoritatem seu praeeminentiam dabit *antiquitas* sive prioritas temporis, practicis *antianitas* dicta, ita ut is, qui prius consecra-

---

[1]) In imperio Austriaco inter praelatos regulares primus eminet Magnus Magister ordinis equestris crucigerorum cum rubea stella.

[2]) Cfr. c. Episcopus 7. fin. Dist. 17., c. A subdiacono 5. Dist. 93, et c. Statuimus 15. X. de majoritate et obedientia.

[3]) C. Per tuas 7. h. t.

[4]) C. Hi qui 12. de praebend. in 6.

tus, ordinatus, institutus est, alios post ipsum consecratos, ordinatos, institutos praecedat[1]), quod caeteris paribus ex regula juris 54. in 6., „potior sit jure, qui prior est tempore“, uti habetur c. Quum certum 1. h. t. jcta. gl. et docet magister usus, quemadmodum recte animadvertit Schmalzgrueber, ad h. t., n. 4.

13. Denique praecedentiam tribuit *privilegium.* Sic inter cardinales episcopos primus eminet Ostiensis, inter patriarchas Constantinopolitanus[2]), quamvis Alexandrino et Antiocheno posterior tempore, et inter hierarchas ditionum foederatarum Americae septentrionalis archiepiscopus Baltimorensis.

14. Quamvis procuratores episcoporum absentium votum decisivum habentes aliquando sedes suorum principalium in concilio provinciali tenuisse legantur[3]), non tamen incongruum esse videtur, ut omnes antistites praesentes, etiam titulares, sequantur[4]). Sed de hac controversia videatur Benedictus PP. XIV., *de synodo dioecesana*, l. 3., c. 12., n. 5.

Quodsi jam ordo synodalium in concilio Baltimorensi servatus ad canonica haec principia exigatur eisdem in plerisque omnibus suis partibus conspicietur conformis, una illa quarta sectione excepta, quae *ordinum religiosorum superiores* exhibet (p. XLVI). Ibi enim religio clericalis Societatis Jesu ordinibus mendicantibus Praedicatorum, Minorum, Eremitarum s. Augustini, Carmelitarum et Servitarum postponitur, secus ac in aliis conciliis provincialibus juxta sacros canones factum esse legimus. Sic, ut unum tantum exemplum hujus ordinis rite custoditi ponamus, in con-

---

[1]) Idem fere ubique, in curiis, castris, academiis, collegiis, religiosis ordinibus servari videmus.

[2]) C. Antiqua 23. X. de privilegiis et excessibus privilegiatorum (V., 33).

[3]) Cfr. Concil. Parisien. anni 1849 (coll. Lac. t. 4., p. 42).

[4]) Ibid. t. 5., p. 228.

cilio provinciali Viennensi anni 1858 tres religiones clericales Societatis Jesu, clericorum regularium s. Pauli et clericorum regularium scholarum piarum praecesserunt Praedicatoribus, Minoribus, Servitis et Carmelitis, quemadmodum ex actis edocemur[1].

Caeterum inversus hic ordo canonicis religionum clericalium praerogativis officere non potest, quia ipsa synodus, praecedentis exemplum secuta[2], jam in antecessum erat protestata, „se nolle, ut actione sua ullum praejudicium in futuro fiat“ (p. XXV).

---

[1]) Coll. Lac. t. 5., p. 103.

[2]) Ejusmodi est decretum secundi concilii plenarii

de praejudicio non afferendo.

Normae a sacrosancto concilio Tridentino sancitae (sess. 2.) morem gerentes, decernimus, „quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere et sententiam proferre, congregationibus aut sessionibus interesse et alios quoscunque actus facere, concilio durante, nulli propterea praejudicium generari, nullique novum jus acquiri“; adeo ut post conclusum concilium omnia circa praecedentiae quaestionem in eodem loco ac antea permaneant. (Coll. Lac. t. 3., p. 336).

STATIO QUARTA, FERIATA.

Quarta statio nomen *feriatae* meretur, quod binas repentinas ferias exhibeat, dies scilicet, quos patres a labore synodico vacuos solisque rebus religionis datos voluerunt. *Repentinae* dicuntur, quia non erant feriae solemnes, h. e., statae ac certae, sed extra ordinem, e re nata indictae[1]). Eos igitur a negotiis conciliaribus exceptos *dies devotionum et orationum*[2]) esse decrevit synodus, quibus, quod ipsa feriarum ratio exigit[3]), solemnia sacra extra ordinem fierent. Et iste est sensus hujus stationis tituli „*Missae synodales solemnes absque sessione*“ (p. LIX).

I.

De feriis memoriae episcoporum defunctorum dicatis.

Statio bifariam panditur. Hinc enim splendidum honoris monumentum visitur, quod memoriae episcoporum 41, qui inde a secundo concilio plenario anni 1866 a principe pastorum ad aeternam laborum remunerationem sunt assumpti, publico ac magnifico apparatu est dicatum. Inde vero manifestum documentum

---

[1]) Ferias *repentinas* in jure vocamus, quae ex causa improvisa, h. e., propter occurrentia rerum adjuncta extra ordinem indicuntur, ob res puta prospere gestas, in honorem principis, ob luem publicam grassantem, seditionem etc. Iis opponuntur *solemnes,* seu *legitimae,* quae a legibus vel ss. canonibus ita definitae sunt, ut singulis annis certos constitutosque dies habeant, unde et *statae* et *anniversariae* appellantur.

[2]) Ita feriae vocantur in leg. ult. cod. Theod, Navicul.

[3]) Qui juridicorum terminorum origines et rationes exponunt, *ferias* communiter a *feriendis* hostiis derivant, quod hostias illis diebus ferire et victimas immolare antiquitas consueverit.

eximii illius amoris patriae civiumque salutis sub aspectum cadit, quo episcopi foederatorum statuum universae reipublicae solemni die gratiarum actionis benecupiunt ac prospiciunt.

Antistites in Domino defunctos meritis laudibus celebravit Rmus. archiepiscopus Corrigan, quae quia cum pari oratoris gloria in foliis publicis sunt pervagatae, non sunt hic denuo proferendae.

II.

De solemniis conceptivis die gratiarum actionis (27. Nov., feria V. ante Dom. I. Advent.) celebratis.

„Quum cives americani, verba sunt concilii (p. LX.), hac ipsa die, invitante supremo reipublicae praeside, per omnes statuum foederatorum provincias ab operibus servilibus plerumque abstineant, ad gratias Deo agendas pro beneficiis intra annum reipublicae collatis, visum est patribus concilii, suspenso labore, huic pio mori parere. Itaque nulla hodie habita est sessio synodalis. At hora decima in pleno synodalium consessu missa solemnis a Rmo. archiepiscopo Lamy cantata. . . . Post evangelium Rmus. episcopus Spalding occasione diei arrepta concionem habuit de obligatione, qua cives horum statuum foederatorum ac praesertim cives catholici tenentur gratias agere Deo O. M. pro beneficiis, quae divina providentia anno elapso tam in rempublicam quam in singulos cives diffudit".

Ecclesia romana ejusmodi diem *conceptivum*[1]) gratiis Deo agendis unice destinatum non habet, quia alioquin jam in quatuor anni temporibus „veluti in quatuor mundi cardinibus" fideles omnes memoriam beneficio-

---

[1]) Festa *conceptiva* dicuntur, quae stata non sunt, sed a magistratu quotannis in certos quosdam dies *concipiuntur*, h. e., *conceptis verbis* et determinata aliqua ratione indicuntur, quod adductis exemplis fusius expositum vide in *Kalendario utriusque Ecclesiae*, t. 2., p. XXV.

rum a Deo acceptorum grata mente prosequi jubet[1]). Quodsi vero talem populi moribus alicubi receptum invenerit, eundem pie agi permittit, sive missa votiva de ss. Trinitate cum hymno Ambrosiano in gratiarum actionem cantata, sive aliis congruis pietatis exercitiis publice peractis: ea ferme ratione, qua conceptiva solemnia messoria, finita messe, quotannis celebrari in Germania consueverunt. Quin et populares ejus generis dies, origine licet spurios aut celebratione superstitiosos, Ecclesia tamen, legitima ratihabitione facta omnique superstitionis impietate ab iisdem abstersa, religiose servari sinit. Et quoniam praesens argumentum latius patet, atque sacris illis feriis accuratius illustrandis inservit, quas supremus reipublicae americanae praeses in diem 27. Novembris conceperat, quasque Baltimorensis synodus patriae civiumque studiosa, pie servavit, non abs re fuerit, quaestionem ex principiis juris nostri paulo diligentius explicare.

Ante omnia igitur tenendum est, dies festos precesque publicas indicendi potestatem esse spiritualem et ad religionem pertinentem, quum principaliter respiciat honorem et cultum Dei, beatorum coelitum venerationem, salutem et finem supernaturalem animarum. Et id quidem ipse feriarum sacrarum scopus vel obiter tantum inspectus palam loquitur. „Causa et finis praecipuus inducendi festivitates, inquit Wiestner, in eo est, ut fideles ab omni opere servili abstinentes orationi liberius vacent et suae creationis et redemptionis caeteraque beneficia divina, beatorum coelitum vitam, virtutes ac merita, praesidium ac patrocinium devote recolant, eaque recolendo ad laudes et gratiarum actiones exhibendas Deo, spemque et fiduciam omnem in eo reponendam; ad Sanctorum invocationem imitationemque; ad terrenarum ac fluxarum rerum contemptum et coelestium aeternorumque bono-

---

[1]) Cfr. *Kalendar.* cit., t. 2., p. 121.

rum desiderium studiumque excitentur"[1]). Ergo fori ecclesiastici sunt, quaecunque ad concipiendas ferias sacras atque ad ordinanda festa pertinent[2]). Atque hinc est quod, quae eo in genere a potestate saeculari erant statuta, identidem reperiantur per auctoritatem ecclesiasticam reprobata, rescissa et abrogata, quemadmodum expresse tradit Benedictus PP. XIV. Constitut. *Quemadmodum* edita die 23. Martii 1743[3]). Et ratio canonica est, quia ut *spurium* rejicitur, quidquid ab illegitima auctoritate profectum non invenitur postea ab eo approbatum, cui potestas legifera competit. „Nos attendentes, inquit Innocentius PP. III., quod laicis etiam religiosis, super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, „a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respicit commodum et favorem", nullius firmitatis existit, nisi postea fuerit ab Ecclesia approbatum"[4]). Quod ex eodem fonte repetitum legitur c. Quum laicis 12. X. de rebus ecclesiae alienandis vel non (III., 13), addita animadversione, ejusmodi decretum potestatis laicae dici non posse *constitutionem*, sed *destitutionem* vel *destructionem*, ordinis scilicet a Deo statuti. Ergo constitutio potestatis saecularis diem festum indicens origine sua spuria est ac per se nullius firmitatis existit.

Verum quod origine sua spurium est, id ratihabitione seu approbatione (legitimatione) illius magistratus efficitur legitimum, a quo primum rite statui poterat, sicque, notante glossa ad c. Ecclesia s. Mariae cit., quod alias est infirmum, approbatio Ecclesiae facit firmum.

---

1) Institut. can. lib. 2, t. 9 (*de feriis*), n. 11.

2) Recoli ea de re possunt, quae uberius scripsimus in tractatu *pe studio rei kalendariae* n. 11 (Disputationes academicae, III., pp. 151—152).

3) Bullar. t. I., pp. 119—120, edit. Venet. an. 1768.

4) C. Ecclesia s. Mariae 10. X. de constitutionibus (I., 2).

Quae omnia si ad diem gratiarum actionis, a praeside reipublicae foederatorum statuum in 27. Nov. conceptum, transferantur, de eo sic erit ex principiis juris sacri arbitrandum:

1. Eidem finem religiosum ac spiritualem fuisse praefixum, quum gratiis Deo agendis esset destinatus;

2. eundemque proinde feriis sacris accensendum esse, h. e., diebus festis religionis causa institutis;

3. esse idcirco ex objecto suo materiam, circa quam potestas saecularis legem proprie dictam ferre non possit; et si quam constitutionem praeses motu proprio atque obligatorio modo edidisset, ea profecto ut spuria fuisset reprobanda et per auctoritatem ecclesiasticam rescindenda.

4. Verum sapientissimus reipublicae praeses tantum sibi non arrogavit, ut christianos religioso legis vinculo obligare vellet; id enim solum invitatorio suo edicto egit, ut cives potius amore patriae studioque prosperitatis reipublicae, quam legis constitutione ad debitas gratias Deo persolvendas provocaret; utque per indictas illas ferias omnibus civibus publicam efficacemque tutelam pari ratione praestaret, quo singuli ritu suo, quantum vellent, diem istum commode digneque rebus dare religionis possent. Quamvis autem supremus totius reipublicae principatus magna omnium, praesertim catholicorum, reverentia sit conjunctus, haec praesidis actio tamen, quoad pietatis exercitia, limites invitationis non excessit.

5. Sic itaque factum est, ut catholici antistites oblata commoditate usi, quod bonos et reipublicae deditos cives decet, praestarent, non quidem urgente aliqua impositae legis necessitate, sed propria sua patriae rebus consulendi voluntate.

6. Quodsi quis tamen omnino praetenderet, „pium illum morem“ conceptas a praeside ferias religiose servandi, „cui se paruisse“ declarant episcopi, constitutione potestatis laicae primitus fuisse inductum atque

inde origine sua spurium esse, nihil hac sua exceptione afferret, quod legitimae diei celebrationi a concilio peractae obstaret: quod enim illegitima sua origine spurium est, id postea legitimum efficitur ratihabitione seu approbatione illius magistratus, a quo poterat initio rite legitimeque constitui.

Illud tandem ad absolvendam explicationem invitationis a praeside circummissae adjicimus, ex optimis omnique laude dignissimis istis edictis, quibus praesides reipublicae ditionum foederatarum Americae septentrionalis cives omnes identidem provocant ad gratulationes, supplicationes, obsecrationes Deo O. M. pro salute ac prosperitate reipublicae offerendas[1]) evidenter confirmari, quam vere Pius PP. IX. *naturalismi principium* legislationis atheae *impium absurdumque* vocaverit, „tanquam si optima societatis publicae ratio civilisque progressus omnino requireret, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret"[2]). Si enim praesides magnae illius reipublicae, quae legis fundamentalis instar habet absolutam societatis civilis a quacunque religione separationem, quaeque regimine prorsus atheo in procuranda felicitate temporali, ceu proprio fine societatis civilis, utitur: si tales viri, inquam, saluti reipublicae suorumque civium prospecturi, in publicis patriae causis vi atque instinctu naturae ad pias supplicationes obsecrationesque habendas invitant, in talibus actis profecto, si quod unquam alias, evidens extat atque ineluctabile „*testimonium animae naturaliter christianae*"[3]), ab impio absurdoque utriusque ordinis discidio abhorrentis.

---

[1]) Praeter annuas ferias sacras gratiis Deo agendis indictas, memorasse suffecerit supplicationes publicas a praeside Taylor commendatas anno 1849, quum lues asiatica (Cholera) in rempublicam incidisset; item quas habuerunt tempore belli civilis post necem praesidi Lincoln illatam anno 1865, et his recentiores anni 1881, quum praesidis Garfields caedes facta esset. [2]) Encycl. Quanta cura, edita die 8. Decemb. 1864.

[3]) Tertullian. *Apologetic.* c. 17., apud Migne, P. l. t. 1., p. 377.

Appendix.

Conceptiva haec solemnia americana exemplo antiquioris illius feriae sacrae illustrantur, quam respublica helveta civibus quotannis tanquam universalem diem supplicationis (eidgenössisch. Bettag) indicit.

Atque haec, quae de feriis a supremo ditionum foederatarum praeside ad gratias Deo agendas indictis breviter exposita sunt, exemplo ex proxima vicinia sumpto plenius illustrasse juverit; die nimirum gratiarum actionis et supplicationis, quem in Helvetia a protestantibus initio statutum atque ab ipsis solis per unum et dimidiatum saeculum servatum, deinde etiam ad catholicos per potestatem civilem extensum, episcopi tandem sua auctoritate ratum habuerunt[1]). Ex variis edictis ea de re ab utraque potestate propositis binas recentissimas literas adscribimus, ex quibus satis intelligitur, quomodo ejus festivitatis rationes, ad rerum temporumque adjuncta scite accommodatae, in multiplicem vitae usum pie transferantur.

Literae gubernii san-gallensis d. d. 7. Septembris 1887.

Landammann und Regierungsrath des Kantons St. Gallen an sämmtliche Bewohner desselben.

Getreue, liebe Mitbürger!

Mit ganz besonderem Danke gegen die gütige Vorsehung tritt die Landesregierung beim bevorstehenden eidgenössischen Bettag vor Euch, um Euch

---

[1]) Sacram hanc supplicationis feriam primitus a protestantibus institutam in comitiis Aroviae (Arau) habitis anno 1639 ad universam Helvetiam extendit congressus in urbe Baden celebratus anno 1796. Postquam deinde temporibus quae vocant mediationis (1803 — 1813) et restaurationis (1813—1830) diei solemnitas varias vices subiit, postremo tandem, decreto congressus die 1. Augusti an, 1832 edito, dominicae tertiae Septembris affixa est. Cfr. *Ostschweiz*, 14. Sept. 1887, ubi de accuratiori hujus diei historia multa habes recte animadversa sub titulo „Zur Geschichte des eidgenössischen Bettages“.

zu einer ernsten Feier dieses durch seine Stiftung und seine innere Bedeutung für uns geheiligten Tages zu ermahnen.

Die Kriegsgefahr, die am Anfang des Jahres den Frieden und den Wohlstand der Völker schwer bedrohte, ist für einmal glücklich vorübergezogen; die Furcht des Landwirthes vor einer abermaligen Missernte, mit der ein regnerischer Mai sein Herz erfüllte, ist durch eine fast durchwegs reichliche Ernte in eine frohe Stimmung und in eine glückliche Zufriedenheit umgewandelt worden; die Industrie hat sich durch eine verhältnissmässig schwere Zeit hindurch gerungen, und wo Naturereignisse herbe und schmerzliche Wunden geschlagen, da hat alteidgenössischer Brudersinn lindernden Balsam auf dieselben gelegt.

Aber nicht in den materiellen Segnungen liegt der wesentliche Grund unseres Dankes gegen den göttlichen Lenker unserer Geschicke; nicht in der Hülfe, die wir dem Mitbruder in schwerer Heimsuchung bieten, der innerste und wahre Werth unserer eidgenössischen Bruderliebe; diese Hülfeleistung gebietet ja schon Christen- und Menschenpflicht. Ein republikanisches Gemeinwesen ist nur dann ein wirklich freies, sittlich starkes und in allen Stürmen der Weltgeschichte fest und unerschütterlich stehendes, wenn der Gedanke der ewigen Liebe Gottes das Fundament seiner Gesetzgebung bildet, die Seele seiner öffentlichen Institutionen und die schöpferische Kraft seines socialen Lebens ist; wenn wir Alle, Reiche und Arme, Hohe und Niedere, auf den Glauben leben und sterben, dass der ewige Gott aller Menschen Vater und sie alle untereinander Brüder seien. Wenn wir uns bestreben, unser Gemeinwesen auf solches Fundament zu stellen, dann werden wir allezeit gerecht sein gegen einander, lieblose Vorurtheile werden fallen, Liebe und Glaube werden Einzug halten im Herzen des Einzelnen, in Familie, Gemeinde und Staat, und Hoffnung und freudige Zuversicht werden den oft

schweren und bittern Kampf um's Dasein leichter und erträglicher machen, und die Hoffnung des standhaft und ehrlich Kämpfenden wird nimmer zu Schanden werden. Die politische Freiheit und die sittliche Kraft eines republikanischen Volkes bemessen sich aber nach der persönlichen Selbstbeherrschung und dem sittlichen Werth seiner einzelnen Bürger. Darum lasset uns Einkehr halten in uns selbst und uns prüfen, ob wir richtige und würdige Bausteine seien für ein wirklich freies und sittliches Gemeinwesen, und lasset uns alles das ablegen, was den Baumeister veranlassen könnte, uns als unbrauchbar zu verwerfen.

Frei und glücklich ist unser Land von den Vätern auf uns gekommen. Wollen wir es frei und glücklich auf unsere Nachkommen übertragen, so lasset uns diese in der Zucht und in der Vermahnung zum Herrn erziehen. Erziehen wir sie zur Selbsterkenntniss; denn diese gebiert Bescheidenheit und Demuth, bricht trotziges und unzufriedenes Wesen und führt zur Busse. Lehren wir sie die hehre Tugend der Dankbarkeit, die freundlich und lieblich macht vor Gott und den Menschen; lehren wir sie beten, nicht allein, wenn Noth sie drückt, oder wenn Missgeschick ihren Wohlstand, ihr irdisches Glück bedroht; zeigen wir ihnen vielmehr wieder den in unserer Zeit so vielfach verwachsenen Weg in's stille Kämmerlein, zum kindlichen und herzinnigen Verkehr mit dem Gott der ewigen Liebe und Gnade, auf dass dem Vaterland nach uns und durch uns ein allweg freies, frommes und starkes Volk erwachse.

Das walte Gott!

Mit diesen landesväterlichen Worten treten wir vor Euch, liebe Mitbürger! mit der Ermahnung, den eidgenössischen Bettag im Sinne seiner Stifter würdig zu begehen.

Wir richten gleichzeitig das eindringliche Gesuch an Euch, an demselben unserer armen Mitbürger zu

gedenken, welche durch allerlei Elementargewalt, durch Sturm und Hagelschlag in Noth versetzt worden sind und auf die helfende Bruderhand vertrauen.

Wir empfehlen Euch, getreue liebe Mitbürger! sammt uns in den Machtschutz des Allerhöchsten.

St. Gallen, den 7. September 1887.

Der Landammann: C. Pfändler.

Im Namen des Regierungsrathes,
Der Staatsschreiber: Hoffmann.

Literae episcopatus Helvetiae d. d. 24. Augusti 1887.

Die vereinigten Bischöfe der Schweiz allen Priestern und Gläubigen ihrer Diözesen Gruss und Segen im Herrn!

Vielgeliebte Brüder!

Wir haben letztes Jahr die würdige Begehung des eidgenössischen Buss-, Dank- und Bitttages in besondern Erlassen zu befördern gesucht. Es leitete uns dabei die Absicht, nicht blos diesem einzelnen vaterländischen Festtage eine höhere religiöse Weihe zu geben, sondern in Euern Herzen den Glauben zu wecken und zu befestigen, dass die Wohlfahrt der Staaten und Völker in der Hand des allmächtigen Gottes liegt, und dass Gottesfurcht und frommes Gebet zur Sicherung dieser Wohlfahrt unentbehrlich sind. Wir haben mit Befriedigung wahrgenommen, dass unsere Anregung fast überall gut aufgenommen wurde und die würdige Begehung dieses Tages nicht wenig gefördert hat.

Im Laufe dieses Jahres hat eine andere kirchliche und patriotische Feier dem nämlichen Zwecke zur Förderung gedient. Die vierte Säkularfeier vom Todestage des seligen Nikolaus von Flue hat Euch das verklärte Bild dieses grossen Dieners Gottes und ächten Patrioten wieder in frische Erinnerung gebracht. Die

festlichen Tage am Grabe des Seligen, die zahlreichen Pilgerzüge zu demselben im Laufe des Jahres haben ersehen lassen, wie das katholische Schweizervolk den edelsten seiner Söhne zu schätzen und zu lieben weiss. Wir leben der Hoffnung, dass er Euch auch in der Zukunft als Vorbild im religiösen, häuslichen und bürgerlichen Leben vor Augen schwebe, und dass Ihr ihm als unserem besonderen Fürsprecher beim Throne Gottes Euer eigenes Heil, das Euerer Familien und die Anliegen des gesammten Vaterlandes in vertrauensvollem und eifrigem Gebete anempfehlen werdet.

Der diesjährige eidgenössische Bettag veranlasst uns, Euch in dieser Hinsicht eine neue Aufmunterung zukommen zu lassen. Zunächst weisen wir hin auf die schweren Heimsuchungen, welche durch Naturereignisse verschiedener Art über manche Gegenden unseres Vaterlandes gekommen sind. Vieles ist zur Linderung derselben bereits geschehen; wir hoffen und wünschen aber, es möge Niemand bei diesem christlichen und vaterländischen Liebeswerke mit seinem Scherflein zurückbleiben.

Im Weiteren kann Euch nicht unbekannt sein, welcher ernsten Zukunft wir entgegen gehen. Mit jedem Jahre rückt auch dem Schweizervolke jene verhängnissvolle Frage näher, welche man die soziale nennt, und immer lauter ertönen die Klagen über mannigfache materielle Missverhältnisse und Uebelstände. Wir begrüssen es darum mit grosser Freude, dass die katholischen Vereine der gedrückten Lage des Arbeiterstandes ihre Aufmerksamkeit zuwenden und dieselbe zu verbessern suchen. Wir wünschen und hoffen, dass alle Katholiken der Schweiz an dieser eben so schwierigen als verdienstlichen Aufgabe in Frieden und Eintracht, mit vereinten Kräften und gutem Erfolge arbeiten, und spenden ihnen hiefür unseren Segen.

Sodann kann Europa die Kriegsgerüchte und Kriegsbefürchtungen gar nicht mehr los werden, und Niemand weiss, wie viel Unheil das Kriegsungewitter, wenn es einmal losbricht, auch unserem Lande und Volke bringen wird. Sodann muss es Euch als Katholiken mit Schmerz und Besorgniss erfüllen, wenn Ihr mitansehet, welche Gefahren und Versuchungen den katholischen Glauben und die guten Sitten unseres Volkes, vorab bei dem heranwachsenden Geschlechte bedrohen.

Dieser ernsten Zukunft gegenüber müsst Ihr auf der einen Seite als Christen und Bürger, als Hausväter und Beamte, in jeder Lebensstellung gewissenhaft Euere Pflichten erfüllen; auf der andern Seite aber bedenket, dass der Allerhöchste der unbeschränkte Herr über alle Geschöpfe ist, dass er geben und nehmen, segnen und verderben kann; beherziget, was er denen verheissen hat, welche sich in vertrauensvollem Gebete an ihn wenden, und feiert in diesem Glauben den kommenden eidgenössischen Bettag.... Bei der gottesdienstlichen Feier desselben habet Ihr Jesus Christus, Euern König und Herrn, wirklich und wesentlich in Euerer Mitte. Beuget Euch vor ihm im Glauben an seine Gottheit und Majestät, mit den Gefühlen des Dankes für seine Wohlthaten, im reumüthigen Bekenntnisse Euerer Sündhaftigkeit, im Bewusstsein Euerer Hilfsbedürftigkeit und seiner Macht; huldiget ihm als Euerm König, flehet zu ihm als Euerem Vater, stellet Euch mit Euerem Glauben und Seelenheil, Eueren Familien und Angehörigen und dem ganzen Vaterlande unter seinen allmächtigen Schutz, und er wird seine Hand schützend über Euch ausbreiten, und Ihr könnet in den schwersten Heimsuchungen und Prüfungen dieses Lebens mit den Heiligen der Vorzeit ausrufen: Wenn Gott für uns ist, wer ist wider uns?

Gegeben an unserer Versammlung in Schwyz,
den 24. August 1887.

Quae hic de feriis a magistratu civili conceptis rite servandis atque a saeculi rebus ad coelestia bona transferendis animadvertimus, conferri etiam in illos dies festos populares debent, qui celebratione sua superstitiosi esse deprehenduntur, prius tamen omni superstitionis impietate ab eisdem diligenter abstersa: quemadmodum multis auctoritatibus ex ss. Augustino, Gregorio M. aliisque veteribus patribus adductis ostendimus in *Kalendario utr. eccl.*, t. 2., pp. 188 sqq.

III.

Paragraphus finalis de musica sacra.

Quae in postrema feriatae stationis parte *de musica inter sacras concilii functiones decantata* narrantur, illustrari ex iis possunt, quae in corpore juris canonici *de musica bene morata* praecipiuntur c. Docta[1]). Ibi enim musica ita pristinae suae *integritati illibatae* restitui jubetur, ut per „ascensiones pudicas descensionesque temperatas plani cantus, diebus festis praecipue, maturitate delectet, consonantia auditum mulceat, devotionem provocet, et psallentium Deo animos torpere non sinat: exclusis novellae scholae discipulis, qui novis notis intendentes, fingere suas, quam antiquas cantare malunt, ac melodias hoquetis[2]) intersecant, discantibus lubricant, triplis et motetis[3]) vulgaribus nonnunquam inculcant: adeo, ut interdum antiphonarii et gradualis fundamenta despiciant, et ignorent super quo aedificent; qui currunt et non quiescunt, aures inebriant et medentur, gestibus simulant

[1]) Constitutio *Docta* est quidem Joannis PP. XXII., ex anno 1322; verum non inter ejus Extravagantes, sed inter Communes refertur l. 3., tit. 1. de vita et honestate clericorum.

[2]) Hoquetus, gallica vox *hoquet*, singultus; indeque transfertur ad significandum ictum sub mento inflictum, quod sonum singultus efficiat.

[3]) De *discantibus, triplis, motetis* aliisque cantus speciebus videatur Du Cange, *Glossar. med. et infim. latinitatis*, edit. nov. 1883—1887.

quod depromunt, quibus devotio quaerenda contemnitur, vitanda lascivia propalatur. Non enim inquit frustra ipse Boëthius[1]): lascivus animus vel lascivioribus delectatur modis, vel eosdem saepe audiens emollitur et frangitur. Hoc ideo dudum nos et fratres nostri correctione indigere percepimus; hoc relegare, immo prorsus abjicere, et ab eadem ecclesia Dei profligare efficacius properamus. Quocirca de ipsorum fratrum consilio districte praecipimus, ut nullus deinceps talia vel his similia in dictis officiis, praesertim horis canonicis, vel quum missarum solemnia celebrantur attentare praesumat". -- Sed ista προληπτικῶς per occasionem praesentis paragraphi obiter tetigisse suffecerit; proprius enim ea de re agendi locus erit parte 2, tit. 3, cap. 4, quod inscribitur „de musica sacra". Interim de hac, quam non immerito ardentem dixeris, musicae sacrae quaestione consuli poterit Xav. Zenker, qui rationes ex capite *Docta* diligenter erutas, ad hodiernum ecclesiasticae musicae statum proprio opusculo[2]) pie ac scite accommodavit[3]).

---

[1]) De confirmatione cultus hujus „philosophi martyris sancti" videatur decret. s. rit. congreg. d. 15. Dec. 1883 (Acta S. S. t. 16., pp. 302—303).

[2]) „*Die Musik in der Kirche muss heilig sein*". — Predigt, gehalten bei der kirchlichen Feier der Generalversammlung des Caecilienvereines der Diöcese Brixen in Hall am 12. September 1882 von P. Fr. Xav. Zenker, Priester der Gesellschaft Jesu. — 2. Aufl. — Innsbruck. Vereinsbuchdruckerei 1883.

[3]) Ab ultima quartae stationis parte discedere non possumus, quin juvenes Americanos, „musicae bene moratae" amatores, attentos reddamus, clarissimum praesidem americanae societatis a s. Caecilia dictae, Dnum. Joannem Singenberger, oenipontanae hujus universitatis quondam (1870—1871) alumnum, cantus ecclesiastici et musicae sacrae Milwaukiae professorem, eximio studio id agere, ut discipulos ac lectores suos ad intimos recessus ecclesiasticae illius artis ad mentem decretalis *Docta* deducat.

STATIO QUITNA.

Quinta statio conspicitur inscripta: *E congregationibus privatis excerpta.* Est autem ejusmodi tituli ratio, quia quae *latioribus* protocollorum synodicorum *libris* continentur, hic, „summo digito ac quasi per indicem tantum attinguntur“[1]). A divisione et dispositione actorum stationem hanc non immerito graeca voce *octoteuchon* vocaveris, h. e., codicem octo tomos complexum; a figura loci vero seu a variis, quas materiae ibidem relatae tenent, sedibus *octotopos* seu octo locos, mutuata ab astronomis voce, qua octo sedes ac stationes stellarum designant.

Singulis hujus stationis partibus veluti in transcursu inspectis, in interpretando arctam brevitatem sequemur, tum quod nonnulla ejus capita in praecedentibus jam sint praeoccupata, tum quod ipsa concilii decreta suo tempore sint occasionem datura, de aliis capitibus, ubi visum fuerit, uberius scribendi.

I.

Nuntia telegraphica ad Summum Pontificem et ad cardinalem neo-eboracensem.

Primo hoc loco tria omnino considerari possunt; et initio quidem attendi generatim debet usus artis telegraphicae in rebus ecclesiasticis tractandis; deinde

[1]) Desumpta haec sunt ex Institut. de publicis judiciis, §. 12 ult. (IV., 18); Cod. de vetere jure enucleando, §. 12. Nostram (I., 17), aliisque fontibus authenticis juris, in quibus ex recepta sermonis consuetudine *per indicem exponere* usurpatur pro breviter ac per summa capita rem attingere, quemadmodum animadvertimus p. 26.

nominatim animadvertendum est, quomodo eundem telegraphematum usum et synodus ad epistolare commercium cum Summo Pontifice ac cardinali neo-eboracensi transtulerit, et uterque hierarcha vicissim ad respondendum adhibuerint.

De cognitione alicujus facti, quam quis ope telegraphematis e longinquo est consecutus, quaeri potest, utrum eadem ratione censeri possit certa atque ad agendum sufficiens, ac si per epistolam privatam clausam et authentico publici, quod vocant, postalis officii diario inscriptam fuisset allata?

Pertinet haec materia ad tit. *de rescriptis;* et quidem ad notissimam illam juris quaestionem, cujusnam generis scientia ad hoc requiratur, ut quis facultatibus sibi per rescripta Superioris concessis uti possit: an ea tantum, quae ipso rescripto praesentato demum acquiritur, an vero illa etiam, quae de gratia concessa per epistolam vel nuntium privatim habetur?

Dubium ex regulis canonicis sic esse solvendum monuimus p. 86, ut in *rescriptis*, quae non sint justitiae, sed *gratiae*, sufficiat cognitio privatim accepta, ut adeo facultatibus iisdem contentis omnino uti quis possit *a die*, ut ajunt, *datae*, neque valor maneat suspensus usque *ad diem praesentatae*, scilicet scripturae.

Atqui eadem haec, quae de valore notitiae privatim habitae ex jure certa sunt, transferri ad cognitionem debent, quae per telegraphema est acquisita. Et sane; via hac telegraphica et factam a delegato apostolico ad sacram congregationem esse relationem in causa juris dubia de nonnullis ad votum decisivum admittendis, et a sacra congregatione ex Urbe datam propositae quaestionis solutionem, acta testantur p. XXV[1]). Atque eadem via hic patres Summo Pontifici et cardinali neo-eboracensi studiosissimam suam volun-

[1]) Hanc delegati relationem cum rationibus expositam vide supra p. 86

tatem debita cum observantia probant, eademque Papa et cardinalis propensissima in se studia grati agnoscunt, concilio felicia omnia ac fausta precati. — Sic igitur tuto jam uti possumus facultatibus, quas nobis a Superiore concessas per nuntium telegraphicum rescivimus, sive quod spectent dispensationes in legibus, in impedimentis, in irregularitatibus; sive quod referantur ad facultatem recipiendi ordines sacros aut consecrationem episcopalem[1]); sive tandem quod pertineant ad indulgentias aliosque favores per rescripta gratiae concedi solitos.

Commercium telegraphicum hoc loco relatum evidenti argumento est, quam vere delegatus in literis indictionis concilii dixerit, „Summum Pontificem inter multiplices maximique momenti curas regiminis totius ecclesiae vigilante ac benignissima sollicitudine partem hanc gregis fidelium prosequi" (p. XXI); quantumvis enim patres properarent, novis amoris et obsequii significationibus se totos Pontifici devovere, eos tamen ipse, „paterno omnes cordis affectu specialiter complexus" (p. XXII), praevenit, benedictione apostolica vel primis concilii initiis telegraphice prosperata. — Sed de relationibus concilii ad Sedem Apostolicam satis multa in praecedentibus sunt dicta.

Restat ut, quod hoc loco nos praestituros initio promisimus p. 23, per occasionem commercii telegraphici inter concilium et cardinalem neo-eboracensem pauca quaedam de eminenti illa cardinalatus dignitate ex jure afferamus, ob quam praecipue factum est, ut patres cardinalem summo officio summaque observantia vererentur ac colerent.

---

[1]) Nondum memoria excessit, quod nobis Illmus. episcopus s. Hippoliti, Rmus D. Jos. Fessler, oecumenici concilii Vaticani secretarius, de sua consecratione narravit an. 1862; se nimirum, quum electus fuisset episcopus Nyssenus i. p. i., in angustiis temporis constitutum, via telegraphica facultatem a Pio PP. IX. obtinuisse eligendi sibi episcopum consecratorem, eandemque facultatem in usum fuisse deductam antequam literae apostolicae ea de re scriptae ex Urbe advenissent.

Proximum a Summo Pontifice dignitatis locum obtinent Sanctae Romanae Ecclesiae *cardinales*[1]), sic appellati a *cardine;* „nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiae ostium, quiescit et sustentatur“[2]).

Quae ut rite accipiantur, haec sunt de cardinalium nomine et officio notanda.

Antiquitus ecclesiae omnes habebant suos cardinales, h. e., rectores ac ministros fixos et immobiles, tanquam cardines, circa quos ecclesiae, veluti valvae circa cardines, volverentur. Omnes scilicet, qui certae cuidam ecclesiae erant addicti sive *incardinati*, ut ei semper vel praeessent vel servirent, cardinales dicebantur, iis oppositi, qui definito tantum tempore ecclesiam regebant vel ei tanquam auxiliares adscribebantur[3]).

Sed prae caeteris canonici, praesertim ecclesiae cathedralis, medio aevo *cardinales* appellabantur, quod addicti essent praecipuo cardini, h. e., episcopo et ecclesiae cathedrali, quae proprie *cardo* dioecesis vocabatur. Quin et nostra hac aetate adhuc principales presbyteri ecclesiae patriarchalis Lisbonensis honorifico cardinalium titulo insigniuntur[4]).

Caeterae ecclesiae hoc nomen jam deseruerunt ob reverentiam cardinalium romanorum, qui quum divino *cardini*, h. e., ecclesiae romanae, quae centrum est et caput omnium ecclesiarum, addicti sint, *κατ' ἐξοχήν cardinales* vocantur, ipsique Sedi Apostolicae incardinati, Summi Pontificis senatum constituunt eique, ut *colla-*

---

1) Recole, quae de ordine hierarcharum dicta sunt p. 103.

2) Ita Eugenius PP. IV. in propria constitutione *de S. R. E. cardinalium dignitate, caeteris dignitatibus ecclesiasticis praestantiori*, ad archiep. Cantuarien. data a. 1439. Incipit a verbis *Non mediocri* ac refertur in Bullar. m. rom., t. 1., pp. 332—334, edit. Luxemburg., 1742.

3) Ita c. Presbyteri 3. Dist. 24., pontifex seu episcopus *cardinalis opponitur* pontifici *visitatori*, qui scilicet tanquam visitator ad tempus ecclesiam curare debebat.

4) Cfr. opus nostrum *de rationibus festorum utriusque SS. Cordis* t. 1., pp. 251—252, edit. 5. an. 1875.

terales et coadjutores[1]) in universae Ecclesiae regimine et administratione opem ferunt. Atque ex gravissimo hoc munere consilio Papam juvandi in regimine Ecclesiae universae de vera origine amplissimae dignitatis romani cardinalatus judicari debet[2]). Non ergo mirum videri potest, quod Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in fontibus juris sacri passim vocantur „praecipuae Ecclesiae columnae[3]), templi Dei bases, clarissima Ecclesiae lumina, speciales filii, qui pro animabus populorum, pro fide, pro justitia, pro unitate pervigilant"[4]), quia „amplissima eorum dignitas immediate e primatu Romani Pontificis velut ramus ab arbore et rivulus a fonte prodiit"[5]). Hinc dignitate sunt antelati episcopis et archiepiscopis, licet ordine episcopali careant[6]), „quoniam in ejusmodi praelationibus officium et dignitas sive jurisdictio praeponderat ordini"[7]); et in ejus eminentiae signum titulo *Eminentissimi* ab Urbano PP. VIII. sunt insigniti anno 1630, quum prius *Illustrissimi* dicerentur.

Ex definitione Sixti PP. V. nunc septuaginta cardinales sunt, exemplo septuaginta seniorum, quos secum assumpsit Moyses; atque ex iis quinquaginta oportet esse presbyteros, diaconos quatuordecim, episcopos sex ex vicinioribus episcopatibus quos *suburbicarios* vocant.

---

[1]) Cfr. s. Bernard. *de consideratione*, l. 4., c. 4, apud Migne, Patr. lat. t. 182., p. 778. Cui consonat Bonifacius PP. VIII. c. Fundamenta 17. de electione in 6. scribens: „Romano Pontifici cardinales in executione officii sacerdotalis coadjutores adsistunt".

[2]) Princeps hoc cardinalium munus non excludit officium, ut certis ecclesiis seu titulis sibi a Papa tributis praesint, in quibus sacerdotalem et quasi-episcopalem potestatem exerceant.

[3]) Synod. Lateran. an. 1516, relat. in Septimo decretalium Petri Matthaei, l. 1., tit. 4., c. 2.

[4]) Ita cardinales vocat s. Pius PP. V., in constit. ed. d. 19. Decemb. 1568, relat. ibid., c. 3.

[5]) Cfr. Eugenius PP. IV., l. c., §. 9.

[6]) Praelatio ista inde a Bonifacii PP. VIII. tempore scripta lege videtur statuta.

[7]) Cfr. Eugenius PP. IV., l. c. §. 13.

Sic ergo *super cardinales*, qui ecclesiae romanae atque ipsi Summo Pontifici, ceu cardini et capiti ecclesiae universae, proxime adhaerentes, ex officii proprii ratione opem in Ecclesiae administratione praebent Papae, Eugenius PP. IV. „Sedem Apostolicam quiescere et sustentari“ scribit l. c. Quemadmodum enim fores domus cardini, tanquam firmo fulcimento, incumbunt et vertuntur, ita Romanus Pontifex cardinalium consiliis atque opera velut praecipuae templi Dei basi“ innixus, Ecclesiam universam regit[1]).

Atque haec est eminens illa romani cardinalatus dignitas, ob quam praecipue patres in auspicando concilio archipraesulem neo-eboracensem cultu et observantia sunt prosecuti. Licet enim praeclarae viri virtutes, a Summo Pontifice Pio PP. IX. in ejus promotione publice celebratas die 15. Martii 1875[2]), virum summe venerandum reddidissent, synodus tamen in eo honorando id in primis spectasse censenda est, quod „cardinales pro honoris et dignitatis eminentia partes ac membra sint ipsius corporis Summi Pontificis, quae prae caeteris membris Ecclesiae honorari debeant“[3]); quodque proinde in neo-eboracensi principe, qui omnium Americanorum primus ad eminentissimum illud dignitatis fastigium erat evectus, *ipsam apostolici throni majestatem*[4]) debito honore colerent ac venerarentur.

---

[1]) Qui plura de cardinalibus scire cupit, inter caeteros adeat Devoti, *Institut. canon.*, l. 1., tit. 3., sect. 2., ubi totum hoc argumentum breviter quidem, sed erudite et sclide pertractatur.

[2]) Cfr. Acta Sanctae Sedis, t. 8., pp. 304—305.

[3]) Ita Eugenius PP. IV., l. c. §. 6.

[4]) Verba sunt ejusdem Pontificis l. c.

II.
De quorundam admissione et voto.

Antiquum conciliorum usum secutus, delegatus apostolicus *excusationum et querelarum judices*[1]) *constituerat*, qui procuratorum documenta diligenter examinare, excusationes et querelas forte proferendas attente excipere, causarum sibi commissarum definitionem opportune praeparare, ac demum de omnibus una cum praevio suo judicio ad delegatum referre deberent, ut ita omnia a delegato et concilio (p. XXI.) per sententiam definitivam, omni appellatione remota[2]), sed absque ullius praejudicio, dirimerentur. Quidnam autem synodus, referentibus hisce judicibus, circa admissionem ac votum eorum, de quibus mota erat quaestio, judicaverit ac definierit, praesenti loco refertur.

Ex iis doctrinae causa duo tantum enotamus, quae *de superioribus regularibus ad votum admittendis* sunt sive juxta sive contra jus Ecclesiae commune a concilio decisa.

Ac primo quidem juxta jus commune admissi ad votum decisivum sunt duo abbates generales ordinis s. Benedicti, Rmus. *Bonifacius Wimmer*, abbas generalis congregationis Benedictinae Cassinensis-Americanae, et Rmus. *Fintanus Mundwiler*, abbas generalis congregationis Helveto-Americanae, e quibus prior etiam in oecumenico concilio Vaticano idem jus exercuit[3]).

Quod ibidem circa alios abbates refertur, nimirum duos metropolitas cum viginti duobus aliis patribus optasse, ut omnes votum haberent decisivum, id sane absque ullo erroris periculo concedi a synodo potuis-

---

[1]) Cfr. supra p. 95.

[2]) Impedit haec clausula, ne ulla appellatio suspendat vim sententiae a synodo latae.

[3]) Cfr. Catalogo alfabetico de' Padri presenti al Concilio etc. p. 45.

set, quum ejusmodi abbates ab episcopo benedicti et legitime mitrati, ceu veri praelati, eandem ferme jurisdictionem quasi-episcopalem in religiosos sibi subjectos exerceant, quam praepositi generales ordinum regularium habent in subditos suos.

Contra jus Ecclesiae commune admissus ad votum decisivum est superior generalis congregationis s. Crucis, quemadmodum praedictum jam est supra p. 44. — Nominis similitudine in errorem raptus, eum unus e Rmis. patribus, quoad suffragium in synodis ferendum, „patri generali ordinis regularis aequipollere“ ideoque in conciliis quoque oecumenicis vocem habere definitivam putavit; certum quippe exploratumque est, superiores generales congregationum religiosarum (vota simplicia dumtaxat emittentium), quoad hoc jus, comparari non posse cum superioribus ordinum regularium, qui votorum solemnitatem habent. — Falsum etiam deprehenditur esse, quod idem orator in erroris sui confirmationem subjunxit, „eundem Rmum. Sorin in concilio Vaticano hoc privilegio esse gavisum“. Praeterenimquamquod venerandum hujus superioris generalis nomen in authenticis catalogis patrum synodi Vaticanae non occurrat[1]), habemus contrarium testimonium viri sapientia usuque praestantis, atque in excutiendis Actis Vaticanis probe versati, professoris ac canonici Philippi de Angelis, qui eam in rem ita omnino scribit: „Hoc tamen, quod diximus de ministris generalibus ordinum religiosorum, non est extendendum ad praepositos congregationum regularium, quia istae ab ordinibus religiosis discriminantur; proinde eos relatum privilegium non respicit; et hinc nec

---

[1]) De italico patrum catalogo est institutus sermo p. 45. — Latinum dant *Acta et Decreta Sacrosancti et oecumenici concilii Vaticani*, Friburgi Brisgoviae, typ. Herder, 1871. Ultimis quatuor paginis exhibentur nomina superiorum regularium, *quibus privilegium fuit sedendi in oecum. Synodo.*

ad concilium Vaticanum admissi sunt"[1]). — Patet ergo falso laborare supposito, quae deinde disputata in utramque partem leguntur circa dubium, „an patribus plenarii concilii Baltimorensis liceat plenissimum hoc suffragii jus cuilibet extendere, eo quod Pontifex ita egerit in concilio Vaticano" (p. LXIII).

Nec quidquam roboris huic decisioni, *quatenus contra jus erat*, ex romana concilii recognitione accepisse, fuse jam monstratum est pp. 38 sqq.

Atque dum ista pro necessaria textus intelligentia animadvertimus, simul nos alienissimos a sinistro judicio de actorum valore profitemur; poterat enim quod juri communi erat contrarium et historico fundamento destitutum, ex speciali atque extraordinaria aliqua facultate delegato apostolico tributa validum fieri. — Caeterum, etiamsi admissio illa contra jus commune facta in pristino suo statu remansisset, non tamen infringi ea de causa auctoritas decretorum concilii potuisset, quia de valore actus synodice sive capitulariter celebrati nihil inde detrahitur, quod, qui voce activa erat destitutus, suffragium tulit: dummodo, eo non computato, numerus votorum ex lege praescriptus residuus manserit.

III.
De novis materiis.

Quemadmodum Pius PP. IX. in *ordine concilii Vaticani* hortatus omnes est, ut si quis inter concilii patres aliquid proponendum haberet, quod ad publicam utilitatem conferre posse existimaret, id libere exequi et privatae congregationi ad novas materias deputandae exhibere vellet, per eam diligenter examinandum et cum suo judicio circa admissionem vel exclu-

---

[1]) *Praelectiones juris canonici*, l. 1., t. 31., appendix *de conciliis* p. 263—264, edit. Rom. et Paris. 1877.

sionem ad ipsum Pontificem referendum[1]): ita et delegatus apostolicus propriam deputationem trium archiepiscoporum instituit (p. XXV), cui similes materiae publicum rei christianae bonum in ditionibus foederatis respicientes, nec in schemate romano contentae, privatim exhiberentur, ut et ipsa, rebus mature perpensis, suum de novis propositionibus consilium delegati ac synodi judicio submitteret. Tertio hoc loco igitur materiae enumerantur, quae post requisitum examen a deputatione sunt ad synodalem deliberationem delatae. Pertinent omnes ad forum sacrorum rituum congregationis, eoque redeunt, ut concilium pro obtinendis nonnullis favoribus, in utilitatem publicam redundantibus, Sedi Apostolicae supplicare aut precibus jam oblatis accedere velit.

Prima petitio est clericorum saecularium missionis et puellarum caritatis, ut *sanctus* istorum institutorum fundator *Vincentius a Paulo* declaretur patronus omnium piorum operum orphanis, aegris et egentibus sublevandis. Synodi patres petitionem suam fecerunt, et non ita multo post cum perplurimis hierarchis aliisque personis authenticis ex omnibus fere mundi regionibus easdem preces offerentibus a Leone PP. XIII. benigne excepti auditique sunt *Decreto orbis* a s. r. congregatione edito die 16. April. 1885[2]).

Preces a personis authenticis dicimus *oblatas;* quia Sedes Apostolica in similibus concessionibus cultus et honoris publici communiter non procedit motu proprio, h. e., sponte ac nemine petente; „non enim prius moveri solet, quam reges, principes et aliae personae honestae et authenticae[3]) instanter supplicaverint Summo

---

[1]) Cfr. Acta et decreta cit., p. 68.

[2]) Refertur in Act. S. Sed., t. 18., pp. 47—48.

[3]) Nomine *personarum authenticarum* veniunt ex laicis, provinciarum et civitatum proreges, praesides et gubernatores necnon consilia civitatum, ex clericis vero cardinales, patriarchae, archiepiscopi, episcopi, capitula ecclesiarum, academiae ecclesiasticae, dignitates, ordines regu-

Pontifici[1]). Causae hujusmodi concessionis enim desumuntur a pio populorum affectu una cum instantiis regum et principum et petitionibus episcoporum"[2]). — Recte igitur, qui hanc et sequentes gratias a Sancta Sede obtinere desiderabant, patres concilii ambierunt, ut communes suas preces ad preces petentium adjungere vellent: quod et unanimi consensu factum est.

Altera est postulatio Patrum Societatis Jesu pro introducenda causa beatificationis servorum Dei *Isaaci Jogues* et *Renati Goupil* ejusdem Societatis, et *Catharinae Tegakwitae:* quorum illi fuso pro Christo sanguine, haec vita moribusque regionem statuum foederatorum illustrarunt.

P. Isaacus Jogues, natione Gallus, patria Aurelianensis, post evulsos ungues, praecisos et praemorsos digitorum articulos, innumera tolerata pro Christo ab Iroquiis seu Irokensibus supplicia, ferrata clava caesus et capite plexus obiit die 18. Octob. 1646. Eum ad gloriosam victoriae palmam praecurrerat *Renatus Goupil,* Gallus et ipse, domo Andegavensis, frater laicus, simili martyrii genere trucidatus. Utriusque vitam et agonem refert Math. Tanner, *Societas Jesu militans,* pp. 510—531.

Catharina Tegakwita, vulgo *sancta Irokensis* dicta, a P. Jacobo de Lamberville die festo Paschatis baptizata an. 1676, in missione s. Francisci Xaverii in Laprairie de la Magdalène non sine magna sanctitatis opinione piissime obiit anno 1679. — De omnibus tribus legi merentur, quae nostra hac aetate cl. J. Gilmary Shea in variis operibus historicis de ecclesia catholica in America septentrionali editis fuse scribit, et ex quibus

---

lares, congregationes religiosae. Cfr. opus nostrum *de rationibus festorum utriusque SS. Cordis,* t. I., p. 8.

[1]) Ita Benedict. PP. XIV. *de serv. Dei beatific.* l. 2., c. 36., n. 7.

[2]) Ibid. l. 4., c. 6., n. 2. — Conferri huc possunt, quae de concessione cultus publici SS. Cordis Jesu disputavimus in op. *de rationibus* cit., t. I., pp. 7 sqq.

praecipua rerum capita etiam nostratum consuetudini tradita gaudemus[1]).

Petentibus patres concilii *unanimi*, ut diximus, *consensu*, satisfecerunt, secuti exemplum synodi provincialis Quebecensis anni 1868, quae Ursulinis Canadensibus pro beatificatione suae fundatricis *Mariae ab Incarnatione* promovenda supplicantibus[2]) deesse noluit[3]).

Tertia et ultima petitione deputatio pro novis materiis id egit, ut synodus Summo Pontifici pro impetrandis officiis et missis trium sanctorum supplicaret, „qui novum orbem praedicatione et miraculis illustrarunt". Ex iis primo loco nominatur *s. Philippus a Jesu*, unus ex 26 martyribus Japonensibus, qui simul coronati die 5. Februarii an. 1597, a Pio PP. IX. die sacro Pentecostes an. 1862 in sanctorum album adscripti sunt. — Succedit *s. Franciscus Solanus*, qui vitam apostolicis ornatam meritis felicissimo conclusit exitu in America meridionali an. 1616. — Tandem laudatur *s. Turribius Limanus*, archiepiscopus non magis sancti-

---

[1]) Huc, inter alia, faciunt: *Die kathol. Kirche in den vereinigten Staaten von Nordamerika. . . . Deutsch von den Benedictinern zu St. Meinrad im Indiana-Staat.* Regensburg. Manz. 1864. — *Geschichte der kathol. Missionen unter den Indianer-Stämmen der vereinigten Staaten.* 1529—1860. . . . *Uebersetzt von J. Roth.* Würzburg. Etlinger. — Ornata historia haec est multis visendis imaginibus, ad antiqua exempla fideliter expressis, ex quibus in ipsa libri fronte conspicitur elegans effigies *Catharinae Tegakwitae*, in corpore autem, ad c. 9, imago *Isaaci Jogues*, in sanctis cogitationibus defixi.

[2]) Cfr. coll. Lac., t. 3., pp. 724—725. De rationibus hujus causae plura scripsimus in cit. op. *de festis utriusque SS. Cordis*, t. 1., pp. 462 sqq.

[3]) Praeclaro certamine devotionis erga illustres apostolos, qui „fuso pro Christo sanguine Americam septentrionalem nobilitarunt", patres ultimi concilii provincialis Quebecensis vicissim, quo die synodo finem imposuerunt, h. e., 6. Junii 1886, communes literas gallice exaratas ad SS. D. Leonem PP. XIII. dederunt, quibus exemplum Baltimorensium secuti postularunt, ut in judicio de martyrio trium servorum Dei Baltimorae commendatorum „associarentur" etiam quatuor martyres Canadienses e Societate Jesu, sc. Antonius Daniel († 1648), Joannes de Brébeuf († 1649), Gabriel Lallemant († 1649) et Carolus Garnier († 1649): de quorum apostolica vita, crudeli passione ac glorioso triumpho late agunt auctores jam indicati.

monia, quam doctrina et apostolico zelo praestans, qui in coelos abiit an. 1606, cum Francisco Solano canoni sanctorum insertus an. 1726. — Quoniam Sanctissimus Pater opinione citius preces synodi ratas habuit decreto sacrorum rituum congregationis edito die 17. Septemb. 1885, quod in fronte stationis septimae sistitur, pleniorem istorum sanctorum notitiam ad eum locum differendam censemus.

IV.

De pio Summi Pontificis opere in oriente.

Pertinet hoc opus ad stupendas illas sollicitudines ac curas illustrandas, quas SS. D. N. Leo PP. XIII. in publicam orientis utilitatem sine intermissione confert, quasque leviter jam superius tactas p. 53. alio loco[1]), solemnibus actis pontificiis allatis, diligentius contemplati sumus. Ex iis partem allocutionis in consistorio habitae die 13. Decemb. a. 1880 juverit huc transcripsisse, quod ea prae caeteris veras rationes operis memorati authentice declaret. Sic autem animum suum ad ecclesiarum orientalium salutem propensissimum Sanctissimus Pater ibidem sacro cardinalium Collegio probat: „Curas singulares sub ipsa pontificatus nostri initia in populos orientis conferre properavimus. . . . Nos quidem certe pervetusta orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula et christianae sapientiae primordia; illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro evangelio accepimus, velut abundatissimus amnis in occidentem influxit. Neque interitura laus est virorum ex oriente magnorum, quibus contigit, ut afflatu auspiciis-

---

[1]) Cfr. opus *Symbolae ad illustrandam historiam ecclesiae orientalis in terris coronae s. Stephani*, t. 1., pp. V—VI.

que veritatis catholicae ad omnem excellentiam niterentur, et sanctitate, doctrina, rebus gestis gloriam nominis sui ad posteros propagarent. Atque haec nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut oriente toto majorum virtus et magnitudo reviviscant; eoque magis, quo illic, humanorum eventum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quae spem portendunt, orientis populos, ab Ecclesiae romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros".

Dum ergo Pontifex diu in cogitatione sollicitior esset, qua maxime ratione afferre opem posset necessitatibus illius orbis partis, quae „tantarum virtutum gloria nobilis et christiani nominis originibus consecrata est, arbitratum se esse", scribit delegato apostolico, „maxime ad orientis populos in Ecclesiae catholicae gremium revocandos conferre posse constitutionem scholarum catholicarum tum Constantinopoli tum Athenis[1]); indeque venisse, quod ipsum anno superiore praesentem Romae pro re tanti momenti rogasset, atque etiamnum, quantum per adjuncta liceret, vehementer rogare, ex ejus memoria ne excidat hoc propositum, animo reputans, si res felicem exitum sit habitura, id maximum in modum ad Dei gloriam et Ecclesiae catholicae decus atque incrementum esse cessurum, neque exiguam futuram laudem delegati et Americae gentis liberalitati". — Votis Summi Pontificis libenti gaudentique animo satisfacturus, delegatus cum patribus statuit, ad tam sanctum opus rite promovendum collectam inter octodecim menses esse instituendam.

---

[1]) De catholicis his scholis in oriente constituendis multa praeclara et animadversione digna passim leguntur in ephemeride graeca *Ἀνατολή* (*ἐν Σύρῳ*) et in folio menaeo gallico *Revue de l'église grecque-unie* (à Mesnil-St.-Loup, par Pâlis = Aube =).

V.
De collegiis americanis Romae et Lovanii.

VI.
De americana studiorum universitate catholica.

Accedit decretum
De studio theologico Oeniponte in Tiroli.

Quae tribus his locis acta et decreta de sublimioribus studiis referuntur, ea in unum contrahimus, tum quod ipse actorum textus sat clarus sit, tum etiam quod superiorum facultatum literariarum, universitatis praecipue, gravis causa in catholicis foliis periodicis ditionum foederatarum assiduo labore ac studio ex omnibus partibus diligenter a peritis examinetur.

De collegiis Romae et Lovanii constitutis.

Caput actorum de duobus istis seminariis theologicis, quod per se jam perspicuum est, ut diximus, illustriori etiam splendore lucescet, si ad solemnes literas exigatur, quibus Sanctissimus Pater collegio in Urbe fundato dignitatem ac privilegia pontificii collegii contulit.

Constitutio apostolica erectionis canonicae romani collegii americani in collegium pontificium, edit. d. 25. Oct. an. 1884, non immerito primum locum inter parerga operis tenet pp. 193—196. Eam, quia omni ex parte meretur, ut a juvene theologo americano, studiis doctrinisque dedito, cum otio, considerate ac diligenter legatur integra, summatim non damus, ne quis brevi ejus notitia contentus accuratiori cognitione textus originalis commode supersedere se posse credat.

De americana universitate catholica.

Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII., suprema e specula in salutem omnium late gentium in-

tentus, ac nominatim pro eo, quo impense flagrat religionis catholicae in longinqua America amplificandae studio, decreta Baltimorensia de catholica literarum universitate fundanda faustissimis adprecationibus excepit, maxima verissimaque spe erectus, fore ut ejusmodi institutum Ecclesiae in ditionibus foederatis non minori ornamento, quam animabus lucrandis adjumento sit futura. Sed primis his laetitiae significationibus non contentus, addit acriores subinde stimulos, et provida erga americanos suos filios caritate decretorum executionem efficaciter urget; dum enim ipse ex Sede sua romana obtinendae populorum illorum salutis quascunque init rationes ac vias, vult etiam, ut sacrorum antistites in dioecesibus suis huc intendant curas, acuant industriam facultatemque conferant, confidens ita et in America nunquam defuturos viros literis claros, qui se ex hac parte quoque pro domo Dei opponant haereticorum et infidelium conatibus, haud alio armorum genere callidius contra veritatem utentium.

Ex actis pontificiis ad universitatem pertinentibus literas indicasse satis habemus, quas Sanctissimus Pater ad opus promovendum die 10. Aprilis currentis anni 1887 dedit ad Emum. card. Gibbons, quaeque anglice extant in ephemeride Baltimorensi *The Sun*, die 8. Sept. h. a. — Iis in Americam allatis, selecti illi viri, qui in concilio plenario negotiis universitatis gerendis erant designati *(executive board)*, apud Emum. cardinalem convenerunt eoque praeside duo rite statuerunt, alterum scilicet, universitatem erigi debere in urbe Washington, alterum vero, eidem primum rectorem esse dandum Rmum. D. Joan. J. Keane, episcopum Richmondiensem: quod iste sedulus, prudens magnique in Ecclesiam meriti praelatus unanimi omnium suffragio censeretur ad constituendam regendamque universitatem natus factusque. Sed haec omnia copiosius narrata invenies in laudata jam ephemeride *The Sun* l. c. juncta simul fusiori illa relatione, quam idem Rmus.

antistes Richmondiensis cum Illmo. episcopo s. Pauli, D. Joanne Ireland, de iis vulgavit, quae anno superiori acta ab ipsis sunt Romae circa arduum fundandae universitatis negotium[1]. — Plenus vi ac vigore antistes rector delatam sibi provinciam strenue administraturus, paulo post eam negotii ad optatum exitum perducendi rationem inire coepit, ut in literariis menaeis neo-eboracensibus *The Catholic World* annuntiaret, se jam instante mense Novembri seriem articulorum de mandato sibi facto in eodem folio publici juris facturum: quos articulos cupide exspectamus.

Sed quum, quae ad scholas americanas pertinent, ex obviis foliis nota sint, lectorem nova eorum narratione non obtundemus.

De studio theologico Oeniponte in Tiroli.

Majora operae pretia apud amicos americanos, harum rerum cupidos, merebimur, si authentica illa probataque commendatione scholarum theologicarum, quae in ipsis concilii decretis occurrit, veluti per anticipationem allata, etiam de tertio instituto europaeo, in actis non memorato, pauca quaedam in longinquis illis provinciis adhuc minus nota dicamus, ut ejus quoque

[1]) Cfr. *The Catholic Review,* 8. Oct. 1887, pp. 226—227. — Attentum lectorem in Tiroli non fugiet sententiarum discrimen inter istam relationem et orationem, quam ante ipsos 30 annos (16. Nov. 1857) Oeniponte in c. et r. universitate coram Serenissimo archiduce Carolo Ludovico et selectissima auditorum corona habuit Illmus. Ernestus Liber Baro Moy de Sons, juris utriusque professor et universitatis rector, quum Patres S. J. de mandato Augustissimi imperatoris in facultatem theologicam solemniter introduceret. Quod enim cl. rector oenipontanus ad mentem episcopi Brixinensis Vincentii Gasser rationibus stabilivit, utilitati prosperitatique facultatis theologicae valde conducere, ut ordini religioso tradatur, id admitti in America posse, non judicant Rmi. relationis auctores. — Sententiam ea de re ab episcopo Vincentio latam exhibet Zobl, *Vincenz Gasser, Fürstbischof von Brixen,* p. 214. — Oratio academica Ernesti L. B. Moy de Sons reperitur in *Katholisch. Blätter aus Tirol,* 25. Nov. 1857.

cognitionem consequi per hanc occasionem valeant. Dicimus decretorum numerum 185 (p. 93), his omnino conceptum verbis:

Curent autem episcopi, ut ad collegium americanum Romae vel Lovanii existens vel etiam Oenipontem, alumnos suos mittant, qui prae caeteris spem majoris profectus prae se ferant. Quae commendatio non minus etiam pro futuro tempore valet, quando seminarium principale jam fuerit institutum, quum hoc pro iis, qui studia sua theologica jam absolverint, sit destinatum[1]).

De Oeniponte igitur deque theologica oenipontana schola iis, quorum talia scire in America interest, breves quasdam notitias, ex variis documentis oenipontanis selectas, praesenti loco proponemus.

Notitia topographica.

Tirolis sive Tyrolis est montana provincia perampla, Augustissimo imperatori Austriae subjecta, alpibus Germaniam inter ac Italiam mediis circumsepta omnemque in partem concisa; frequens populis, urbibus, oppidis; crebris amoenisque distincta vallibus, lacubus, fluviis; per plures vias ferreas, sub horrida rupium peraltarum calvitie constructas saepeque montibus artificiose perfossis subterraneas vias currentes, undequaque accessu facillima[2]); regio saluberrima ideo-

---

[1]) Instituendo huic seminario principali patres concilii eum finem praefixerunt, „ut juvenes consueto studiorum absoluto cursu, disciplinis theologicis, vel juri canonico, aut philosophicis una cum naturalibus scientiis aliisque, quae viros ecclesiasticos nostrates decent, tres quatuorve annos impendere possent".

[2]) Ipsa urbs Oenipons unum est ex praecipuis centris viarum ferrearum, ubi praeter alias duae magnae lineae, quae mediam Europam fere perscindunt, decussatim secantur, scilicet linea „Paris-Basel-Innsbruck-Wien-Constantinopel" et linea „Berlin-München-Innsbruck-Florenz-Rom". In duas istas principes lineas autem omnes aliae viae ferreae influunt, quae ex variis urbibus maritimis, ubi naves americanae appelluntur, in continentem europaeum ducunt; hinc est quod Oenipons et ex America commodum et apertum habeat aditum.

que advenis ac peregrinis ex variis mundi partibus confluentibus inundata. — Regnum vocari posse, non immerito asserunt scriptores[1]. — Populus Tirolensis est domi bellique laude ingenii ac fortitudinis clarus; sed major ejus gloria inde habetur, quod nunquam a sancta religione catholica deflexerit, quodque jam pridem, avitae pietatis ardore succensus, primus omnium, per legitimos suos provinciales ordines seu status rite repraesentatus, solemniter se Sacratissimo Cordi Jesu devoverit in publicis provinciae comitiis celebratis an. 1796[2]. Tirolis praeterea a sacrosancta synodo oecumenica in ejus urbe Tridento celebrata historicam celebritatem est consecuta. — In spiritualibus subest tribus sacrorum antistitibus, archiepiscopo Salisburgensi, episcopis Brixinensi et Tridentino: qui quum ante magnam saecularizationem factam anno 1803 principes sacri romani imperii extitissent, hodieque juxta leges austriacas, titulo, insignibus ac privilegiis principum imperii potiuntur.

Provinciae seu comitatus, ut vocant, urbs primaria est *Oenipons* sive *Oenipontum* (Innsbruck), ducto nomine a ponte (Brücke), quo illic fluvius Oenus (Inn) jungitur. Amplis conspicitur aucta suburbiis ac palatiis, inter quae ipsa sedes caesarea eminet. Celebratur multis templis, religiosorum domiciliis, officinis librariis, musaeis, aliisque monumentis ac publicis institutis visu dignissimis. In iis principem sane locum tenet *caesarea et regia literarum universitas completa* erecta a. 1677, cum quatuor suis ordinibus seu facultatibus, theologiae, juris, medicinae et philosophiae.

Facultas theologica disciplinas sacras tradit lingua latina, exceptis tantum paucis illis lectionibus, quae in

---

[1]) Cfr. Agricola, *Hist. provinc. S. J. German. super.*, t. I. dec. 3., n. 37.

[2]) Monumenta authentica ad nationalem hanc solemnitatem pertinentia exhibuimus in opere „*de festis utriusque SS. Cordis*“, t. I., pp. 238—242.

programmate leguntur germanice annuntiatae pp. 141 sqq. In reliquis facultatibus variae materiae ita sunt dispositae, ut singulae fere a pluribus magistris simul doceantur, ab aliis quidem germanice ab aliis autem italice; utriusque idiomatis quippe usus est in Tiroli: qui Germaniae propiores sunt incolae, germanica, qui Italiae, italica utuntur lingua. Atque hinc etiam est, cur tanta facilitate utramque linguam addiscere possint, qui ex longinqua America Oenipontem veniunt sacris disciplinis operam daturi.

Quatuor facultates numerant universim magistros 75. Auditores variant inter 800 et 900.

Scholae theologicae conspectus generalis.

Caesareae et regiae universitatis oenipontanae facultas theologica non minima est inter publicas theologiae scholas Europae: exhibente nunc personali docentium catalogo tredecim sacrae theologiae doctores, qui diligenter omnes audiuntur (hoc anno schol. 1887—1888) a 282 clericis studiosis, qui ex 57 diversis Europae et Americae dioecesibus atque ex 20 variis familiis religiosis Oenipontem confluxerunt sacris disciplinis rite imbuendi. — Ex iis plerique ad vitam et honestatem clericorum ex genuina ss. canonum mente informantur in convictu seu seminario theologorum sancti Nicolai: cui quanto acriori studio adversarii Ecclesiae concitare odium atque invidiam conantur[1]), tanto majorem benevolentiam S. D. N. Leo PP. XIII., vestigiis ingressus Pii PP. IX., immortalis memoriae, assidue praestare pergit: ut adeo huic domui non immerito

---

[1]) In binis comitiis duorum imperiorum, Germaniae et Austriae, Berolini scilicet ac Viennae, hostes cum impetu et tumultuantes in convictum oenipontanum irruerunt anno 1874, innoxiam domum s. Nicolai publica vi expugnaturi atque e medio sublaturi, quod ibidem alumni multis docerentur Ecclesiam fortiter defendere: qua de re hodieque lectione digna sunt, quae ex ephemeridibus collecta prostant in folio „*Correspondenz des Priestervereines*“, 12. Jun. 1874, pp. 292—295.

illud s. Bernardi accommodari posse videatur: *Nec facile dixerim, quid illius seminarii disciplinam atque eruditionem adstruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.*

Facultas theologica c. et r. universitatis.

Disciplinarum genera, quibus perdiscendis auditores facultatis theologicae operam navant, haec sunt: *a)* Propaedeutica philosophico-theologica; *b)* theologia dogmatica; *c)* theologia practica, complectens eam, quae dicitur moralis et pastoralis; *d)* studium biblicum, quo nomine collectivo veniunt: introductio generalis et specialis in sacras literas, archaeologia biblica, hermeneutica et exegesis; *e)* jus ecclesiasticum, publicum et privatum; *f)* historia ecclesiastica; *g)* archaeologia christiana; *h)* eloquentia sacra cum catechetica et paedagogica; *i)* linguae orientales, hebraica, arabica, syriaca et chaldaica.

Disciplinae sacrae ita sunt in facultate theologica universitatis inter 13, quos diximus, magistros distributae, ut intra quatuor annos universae pertractentur. Quae sunt majoris amplitudinis et gravitatis a pluribus etiam traduntur; sic, ut quatuor tantum disciplinas memoremus, studio biblico assignati sunt quatuor docentes, theologiae dogmaticae tres; theologiae practicae duo; juri ecclesiastico pariter duo[1]).

Specialiorem materiarum dispositionem prudens lector ex indice lectionum unius semestris facile cognoscet. En igitur, quae in authentico ac typis impresso universitatis prospectu pro currente semestri hiberno anni scholastici 1887—1888 indicuntur lectiones publicae in facultate theologica pp. XI—XII:

---

[1]) In facultate juridica etiam jus canonicum a duobus aliis professoribus iisque laicis germanice et italice traditur; in imperio Austriae quippe omnes hujus facultatis auditores jus canonicum quoque frequentare debent, quum ex legibus imperii nonnisi „doctores utriusque juris", civilis et canonici, possint creari.

CÆSAREA ET REGIA LITERARUM UNIVERSITAS ŒNIPONTE.

FACULTAS THEOLOGICA.

Praelectiones publicae[1]

semestris hiberni 1887—1888.

Prof. **Dr. Tuzer** (1857):

Hermeneutica biblica, semel per hebdomadam, fer. III. ab hora 10—11 in audit. Nr. II.

Lingua hebraica, bis per hebdomadam, fer. II. et VI. ab hora 2—3 in audit. Nr. II.

Seminarium exegeticum, semel per hebdomadam, Sabb. ab hora 4—5 in audit. Nr. II.

Prof. **Dr. Hurter** (1858):

Theologia dogmatica (theologia fundamentalis), quinquies per hebdomadam, fer. II. III. IV. VI. Sabb. ab hora 9—10 in audit. Nr. I.

Seminarium dogmaticum, bis per hebdomadam, fer. II. ab hora 11—12, fer. IV. ab hora 3—4 in audit. Nr. I.

Prof. **Dr. Jung** (1858):

Theologia moralis et pastoralis (pars gen. et decal.), quinquies per hebdomadam, fer. II. IV. V. VI. Sabb. ab hora 10—11 in audit. Nr. I.

Collationes pastorales, semel per hebdomadam, fer. V. ab hora 6—7 vesp. in audit. Nr. I.

Exercitationes pastorales, semel per hebdomadam, fer. VI. ab hora 2—3 in audit. Nr. 1.

---

[1]) Series praelectionum exacta est ad ordinem temporum, secundum quem professores in universitate docent. Professores ordinarii tamen praecedunt. In parenthesi nominibus adjecta notatur accessus ad publicam cathedram.

Prof. **Dr. Nilles** (1859):

Jus canonicum (de jure ecclesiastico publico), ter per hebdomadam, fer. III. V. Sabb. ab hora 8—9 in audit. Nr. I.

Interpretatio actorum et decretorum concilii plenarii Baltimorensis tertii an. 1884 Pars I., semel per hebdomadam, fer. III. ab hora 11—12 in audit. Nr. III.

Prof. **Dr. Stentrup** (1867):

Theologia dogmatica (Christologia), quinquies per hebdomadam, fer. II. III. IV. VI. Sabb. ab hora 9—10 in audit. Nr. II.

Seminarium dogmaticum, semel per hebdomadam, fer. IV. ab hora 11—12 in audit. Nr. II.

Prof. **Dr. Grisar** (1871):

Kirchengeschichte (die VI ersten Jahrhunderte), 3 Stunden wöchentlich, Montags, Mittwochs, Freitags von 4—5 Uhr, im Hörsaal Nr. I.

Prof. **Dr. Bickell** (1874):

Erklärung der Genesis, 3 Stunden wöchentlich, Montags, Mittwochs, Samstags von 2—3 Uhr, im Hörsaal Nr. I.

Hebräische Uebersetzungsübungen (aus der Genesis), 2 Stunden wöchentlich, Mittwochs, Samstags von 5—6 Uhr, Hörsaal Nr. III.

Syrische und chaldäische Grammatik, 2 Stunden wöchentlich, Montags, Freitags von 3—4 Uhr, Hörsaal Nr. III.

Arabische Uebersetzungsübungen, 2 Stunden wöchentlich, Mittwochs, Samstags von 3—4 Uhr, Hörsaal Nr. III.

Prof. **Dr. Limbourg** (1875):

Theorie der geistlichen Beredtsamkeit, 3 Stunden wöchentlich, Montags, Mittwochs, Freitags von 8—9 Uhr, Hörsaal Nr. III.

Homiletisches Seminar, zweimal wöchentlich, Montags, Freitags im theologischen Convicte.

Propaedeutica philosophico-theologica, ter per hebdomadam, fer. III. V. Sabb. ab hora 9—10 in audit. Nr. III.

Seminarium propaedeuticum, semel per hebdomadam, fer. IV. ab hora 11—12 in audit. Nr. III.

Prof. **Dr. Noldin** (1885):

Propaedeutica philosophico-theologica, quater per hebdomadam, fer. II. IV. VI. ab hora 9—10, fer. II. ab hora 3—4 in audit. Nr. III.

Seminarium propaedeuticum, semel per hebdomadam, fer. VI. ab hora 3—4 in audit. Nr. III.

Liturgik, 1 Stunde wöchentlich, Dienstags von 10—11 Uhr, Hörsaal Nr. III.

Privatdocent **Dr. Biederlack** (1882):

Theologia moralis et pastoralis (pars gen., de virtut. theol.; de praec. decal. et eccles.), quinquies per hebdomadam, fer. II. IV. V. VI. Sabb. ab hora 10—11 in audit. Nr. II.

Seminarium casuisticum, semel per hebdomadam, fer. IV. ab hora 6—7 in audit. Nr. II.

Jus canonicum (de episcopis eorumque adjutoribus), bis per hebdom., fer. II. ab hora 6—7 et Sabb. ab hora 4—5 in audit. Nr. II.

Privatdocent **Dr. Flunk** (1886):

Exegesis (vita divini Salvatoris juxta quatuor Evang.), ter per hebdomadam, fer. II. IV. VI. ab hora 4—5 in audit. Nr. II.

Introductio specialis in libros Novi Testamenti, ter per hebdomadam, fer. II. IV. VI. ab hora 8—9 in audit. Nr. I.

Privatdocent **Dr. Straub** (1886):

Theologia dogmatica (de gratia actuali), quinquies per hebdomadam, fer. II. IV. VI. Sabb. ab hora 3—4, fer. V. ab hora 9—10 in audit. Nr. I.

Seminarium dogmaticum, semel per hebdomadam, fer. II. ab hora 11—12 in audit. Nr. I.

Privatdocent **Dr. Nisius** (1887):

Exegesis (pericopae evangelicae anni ecclesiasticae), ter per hebdomadam, fer. V. VI. Sabb. ab hora 11—12 in audit. Nr. II.

De promotione ad doctoratum s. theologiae.

Qui bonos in literis progressus fecerint, absoluto quadriennio theologico ad examina rigorosa pro obtinenda laurea doctoratus s. theologiae admitti poterunt. Sunt autem ejusmodi examina numero quatuor, singula horarum duarum: 1. ex linguis orientalibus et disciplinis biblicis; 2. ex theologia dogmatica; 3. ex jure canonico et historia ecclesiastica; 4. ex theologia practica et eloquentia sacra.

Praescripta haec tentamina rigorosa non possunt continenter, h. e, nullo interjecto spatio, peragi; debent enim certa temporum intervalla inter unum atque alterum examen intercedere; ex scripta lege quidem saltem trium mensium spatium requiritur, verum ex ipsius candidati arbitrio, cui permissum est interstitia extendere, fere semper intervalla semestria, et saepe etiam longiora, servantur, tum propter amplam materiae molem, tum propter eam, quam res ipsa flagitat, examinum severitatem.

Et ista quidem ita stricte sunt servanda, ut facultati theologicae nulla ratione liceat quidpiam immutare aut indulgere; in examinibus rigorosis quippe et in promotionibus ad doctoratus gradum regitur et ipsa jure pontificio simul ac caesareo, scilicet solemni concordato inter Summum Pontificem et augustissimum imperatorem inito anno 1856. Inde venit, quod doctores s. theologiae Oeniponte creati etiam ad normam juris civilis omnibus juribus ac privilegiis gaudeant,

quibus doctores aliarum facultatum austriacarum in imperio potiuntur.

Poterit iste utriusque auctoritatis concursus in theologicis gradibus conferendis ipso diplomate illustrari, quo et Americani, in facultate theologica rite promoti, ab universitate solemniter ornantur[1]). Est autem ejusmodi:

Nos Rector, et universitas caesareo-regia Leopoldino-Franciscea lectoribus salutem.

Laudabile imprimis majorum nostrorum institutum est, ut, qui honestis studiis atque artibus liberalibus diu se dediderunt, antequam ad vitae communis usum et praxim se conferant, ante omnia subeant rigorosa examina, ut debitum eruditionis suae testimonium legitimo acquirant modo. Itaque quum ornatissimus doctissimusque Dominus N. N. diligentem assiduamque scientiis theologicis quatuor annorum curriculo operam navasset, et jam ad exhibenda doctrinae suae specimina paratus a Nobis petiisset, ut ipsum titulo academico doctrinae suae convenienti ornaremus, ei nos assentiri non dubitavimus, eumque per universam theologiam accurate examinavimus. Quum exinde praeclaram eruditionem suam ac theologiae peritiam abunde Nobis probasset, atque emissa fidei professione gravissimo

[1]) Cum caritate et gratulatione memoria tenemus, ex americanis sacerdotibus ad insignem doctoratus honorem in alma hac universitate fuisse promotos: RR. DD. Zardetti Ottonem, canonicum s. Mauritii et vicarium generalem episcopi Tiberiadis, vicarii apostolici Dakotae; Paulum Hölscher, cancellarium curiae episcopalis Buffalensis; Aemilium Seele, sacrae theologiae in seminario Ludovicopolitano professorem, qui et theologi munere in concilio Baltimorensi est functus; Simonem Lebl, sacrae theologiae in seminario metropolitano Milwaukiensi professorem; Ludovicum Miller, Ord. Min. Conventual. s. Francisci, in urbe Ludovicopolitana parochialis ecclesiae rectorem; Hermannum Hüser, parochum in Huntington, dioecesis Wayne castrensis, et Godofridum Wülffing, parochum in Roxbury, archidioecesis Milwaukiensis. Quibus currente hoc anno scholastico accedet R. D. Josephus Synnett, dioecesis novarcensis sacerdos, qui jam omnibus ere conditionibus a lege postulatis rite satisfecit.

sese obstrinxisset juramento ad Ecclesiae catholicae dogmata ubique ac semper tuenda et conservanda, libenter contulimus petenti honorem, qui virtuti et honestis studiis debetur. Quapropter auctoritate Pontificia utentes ac potestate Nobis ab Augustissimo Imperatore Francisco Josepho I^mo^ concessa eundem Dominum N. N. die .... doctorem in theologia pronuntiavimus ac declaravimus. Fecimus et facimus ei potestatem, omni jure omnibusque gradus et ordinis sui insignibus, privilegiis, auctoritate utendi ad rem tum christianam tum publicam pro viribus promovendam.

In quorum omnium fidem diploma hoc publicum majore universitatis sigillo signatum, nec non propria Nostra, et actuarii academici jurati subscriptione firmatum ei dari curavimus.

Oeniponte etc.

Convictus sive seminarium theologorum, cui antiquum nomen domus sancti Nicolai retentum.

Societas Jesu suprema ecclesiastica et saeculari potestate ad docendas in caesarea et regia literarum universitate oenipontana disciplinas theologicas rite vocata anno 1857, eum sibi in exequendo hoc mandato finem praefixit, ut non solum discentium mentes omni divinarum rerum doctrina imbueret, sed etiam ut eorum animos ad veram pietatem informaret, quo deinde, qui curae suae fuissent hic commissi, aliquando ad sua reversi aliis quoque divinae sapientiae probati magistri et omnis exercendae virtutis auctores existerent.

Quem finem ut Societas Jesu, sacras disciplinas in publica universitate Oeniponte docendo, certo consequeretur, simulque Rmorum. antistitum et religiosarum familiarum praesidum votis satisfaceret, anno sequenti in antiqua domo s. Nicolai convictum sive seminarium

theologicum sibi constituendum duxit, in qua alumni, theologiae in universitate auditores, dignam sacerdote vivendi rationem et sacros labores rite faciendi modum acciperent. Et quoniam erectum est seminarium in antiquo convictu ad s. Nicolai, cui olim, ante suppressionem Societatis an. 1773, idem erat finis praestitutus, novus hic convictus restitutus an. 1858 hodieque *domus s. Nicolai* vocatur.

Fundamentum omnis literarum ac pietatis disciplinae praesides posuerunt in constitutionibus sapientum fere omnium virorum comprobatis, quas s. Ignatius de Loyola collegio germanico et hungarico de Urbe scripsit; pluribus tamen aut additis aut demptis, quae temporum ac locorum ratio postulare videbatur. Ex purissimo hoc fonte ecclesiasticum spiritum haurientes novi convictores s. Nicolai, laudatissimis vestigiis ingressi eorum, qui per duo continenter saecula almam domum a sancto suo patrono appellatam longe lateque illustrarunt, vitam consuetudinemque majorum variis illis studiis atque officiis jam exprimere contendunt, quae brevi explicata reperiuntur in proprio libello domestico inscripto *Consuetudines convictus s. Nicolai Oeniponte.* Typ. Fel. Rauch. 1869.

Convictus s. Nicolai ita constitutus brevi laetissime florere coepit atque ob frequentiam, pietatem, eruditionem omnium oculos in se convertit. Et frequentiam quod spectat, res est ex actis publicis testatissima, inter convictus parietes se toto tempore florem theologicae facultatis discentis apud c. et r. universitatem oenipontanam continuisse: plurimos in eo vel a sacerdotii honore, vel a religiosa professione, vel a stirpis nobilitate, vel ab obitis in republica muneribus aestimandos. Sed de numero ac conditione alumnorum deque domus spatiis ter laxatis ipsi catalogi annui cum collectivis convictus epistolis typis impressis sunt consulendi.

De favoribus pontificiis in convictum collatis.

Ut domus s. Nicolai restituta adeo laeta caperet incrementa ejusque delecta juventus tam amplum nomen brevi consequeretur, unus praeter caeteros adjuvit ipse Summus Pontifex Pius PP. IX., incolas convictus omni genere liberalitatis munifice et large cumulando: quorum beneficiorum ut publica perennisque apud posteros et memoria extaret et gratia, alumni omnia rescripta pontificia in fasciculum collecta typis exscribenda curarunt, quem sub titulo *codicis epistolici convictus s. Nicolai* ad calcem *historiae domus s. Nicolai Oeniponte* exhibuimus an. 1870. Ex iis pauca haec enotasse non abs re fuerit:

„*Mirum non est, quod saepe ad vos oculos curasque nostras convertamus, vosque iterum iterumque adhortemur ad pietatem, ad docilitatem, ad obsequium in praeceptores vestros, ad alacritatem in obeundo studiorum curriculo: potissimum cum e tot alienigenis convictum istum coaluisse discamus, ut dum vos monemus, complures simul gentes alloqui videamur, variisque nationibus ea moliri subsidia, quae cujusque patria a singulis exspectat*“[1]).

„*Divitem in misericordia Deum humiliter enixeque exoramus, ut fausta omnia ac felicia vobis concedere, et uberrima divinae suae gratiae dona super vos effundere semper velit, quo magis in dies digne ambulantes in vocatione, qua vocati estis, et euntes de virtute in virtutem veluti industrii ac navi operarii valeatis qua voce, qua opere, qua exemplo dominicum agrum sedulo excolere, et contra humani generis hostem viriliter pugnare*“[2]).

„*Non immerito confidimus fore, ut Dei spiritus virtute acti et roborati valeatis occurrentia disjicere obsta-*

---

[1]) Ex literis SS. D. N. Pii PP. IX. ad convict. oenipont. d. d. 4. Maji 1867.

[2]) Ex literis d. d. 27. Maji 1869.

cula et perutilem adhibere operam tutelae et incrementis Ecclesiae salutique patriae vestrae: quod sane nominatim toto corde adprecamur etiam paucis illis dissitae Americae filiis, qui pari proposito inter vos versantur"[1]).

Praedecessoris sui exemplum secutus S. D. N. Leo PP. XIII. non minus praeclara benevolentiae signa impertitus convictui est, tum humanissimis literis ad alumnos datis d. 30. Aprilis an. 1879, tum novis gratiis variis occasionibus concessis. Quam eandem eximiam liberalitatem in convictores s. Nicolai usque pergens conferre, eos Sanctitas Sua singulis fere annis aliis iisque insolitis muneribus explet, quum tempore paschali delectos quosdam alumnos Romam mittunt, filialis obsequii testimonium nomine omnium verbis declaraturos factisque praestituros. Mirum igitur videri non debet, quod convictus theologorum ad s. Nicolai, Summo Pontifici tot argumentis comprobatum, et optimis juvenibus abundet, et ab aliis etiam longe plurimis majorem in modum expetatur, quin tamen propter angustias loci impetrare optatum possint.

De favoribus antistitum americanorum.

Insignibus favoribus Rmi. episcopatus americani quoque se semper ornatum fuisse, convictus oenipontanus merito laetatur. Id vel ex eo patet, quod Rmi. sacrorum antistites ac plures regularium ordinum praefecti vel inde a prima convictus restitutione anno 1858

---

[1]) Ex literis d. d. 4. Decemb. 1873. — *Pauci illi dissitae Americae filii* eo anno erant numero 17, in quibus, praeter memoratos doctores oenipontanos Hölscher, Miller, Seele et Wülffing, eminuit Rmus. Jacobus Zilliox, ex abbatia s. Vincentii O. s. B., qui die 22. Julii 1885 solemni benedictione constitutus est abbas mitratus novi monasterii novarcensis. Ex iis etiam R. D. Norbertum Kersten speciali mentione dignum loquitur insigne Vicarii generalis officium, quo diu jam in dioecesi Sinus viridis non sine laude fungitur. Caeteri omnes in variis statuum unitorum dioecesibus in cura animarum constituti „tutelae et incrementis Ecclesiae salutique patriae perutilem adhibent operam“.

facta juvenes suos fidei curaeque praesidum domus s. Nicolai instituendos commiserint atque ex alumnis convictoribus operas sibi instanter expetierint. Sic, ut unum tantum exemplum ponatur, statim ab ineunte anno schol. 1858—59 cum primis domus alumnis convictum ingressus est *Florianus Payer*, optimae spei juvenis, qui apostolicis laboribus confectam vitam in urbe Roffensi clausit 11. Febr. an. 1877; quo eodem die ibidem et alius convictor in flore aetatis beatam, ut speramus, mortem obiit, nimirum *Augustinus Kraus*, qui non ita pridem parochiae administrandae erat praefectus. Utrumque defunctum domus s. Nicolai alumnum praesentibus cadaveribus, in ecclesia s. Josephi simul expositis, post datam absolutionem digne laudavit ipse Rmus. D. Mc Quaid, episcopus Roffensis, quem aliunde etiam, quod grati testamur, oenipontanus theologorum convictus benevolum patronum studiosumque rerum suarum fautorem semper est expertus. — Sed qui primis annis *pauci*, ut verbis Pii PP. IX. utamur, in magna convictorum multitudine *versabantur dissitae Americae filii*, faventibus illustrissimis statuum foederatorum antistitibus, paulatim ita creverunt numero, ut currente hoc anno 1887 ad triginta tres ascenderint.

Similia peculiaris planeque paternae benevolentiae documenta a multis aliis Rmis. episcopis americanis accepta sibi convictus cum laetitia gratulatur. Verum ea hic volentes scientesque omittimus; nam paritatem fugimus atque ex ea taedium. Omnium loco unum dumtaxat adscribimus factum Rmi. D. Ryan, episcopi Buffalensis, quem longa erga nos beneficentiae consuetudo paratiorem fecerat et exercitatiorem ad bene de convictu oenipontano promerendum. Illustrissimus hic praesul quippe clericos suos adeo absolute domui s. Nicolai concredidit tantumque in studio ac prudentia praesidum fidit, ut P. Regentem an. 1874 constitueret suum vicarium generalem, cui res omnes theologorum suorum cum legitima potestate essent commissae.

Recensitis hucusque suis de convictu meritis tandem quam maximum cumulum Rmus. episcopatus americanus addidit, condito, quod supra relatum est, decreto; pro quo beneficio ipsa facultas theologica caesareae et regiae universitatis singularibus verbis gratias agere properavit his ad Emum. cardinalem Baltimorensem datis literis:

Innsbruck, Tyrol,
June 18, 1866.

Your Eminence[1]),

While perusing the Acts of the last American Plenary Council, lately received, we were agreeably surprised to find our theological school, together with Rome and Louvain, recommended by the Fathers of the Council for their theological students.

---

[1]) Eminentia Vestra!

Actis ultimi concilii plenarii americani, quae nuper accepimus, perlectis, gaudio necopinato sumus perfusi, quum inveniremus, nostram hanc facultatem theologicam quoque una cum Romano et Lovaniensi collegiis a concilii patribus fuisse theologiae studiosis commendatam.

Placeat Eminentiae Vestrae universoque americano episcopatui humiles atque intimas nostras gratias pro fiducia adeo benigne in nobis collocata admittere ac ratas habere. Ejusmodi benevolens comprobatio modesti laboris nostri, ab augustissimo illo consessu profecta, id efficiet, ut potentius excitemur ad opus nostrum prosequendum, eos scilicet, qui curae nostrae fuerint concrediti, ad literas et ad spiritum vere ecclesiasticum informandi.

Et quoniam magni omnino aestimamus nostras relationes cum occidentali continente, eximia illa optimaeque spei vinea Ecclesiae, id nobis proposuimus, ut peculiarem attentionem ad cognitionem rationemque literarum theologicarum ac juris canonici foederatorum statuum dirigeremus.

Nolentes nimis abuti Eminentiae Vestrae pretioso tempore, et nihilominus desiderio moti, concilii patribus gratias nostras pro insigni eorum benevolentiae caritate referendi, humiliter oramus, ut praesentes literae, in catholica aliqua ephemeride promulgatae, Adm. Rev. fratribus vestris notae fiant.

Osculantes sacram purpuram, praecipuae nostrae observantiae sensus testamur,

Eminentiae Vestrae
obedientes servi
professores facultatis theologicae Oeniponte.

May it please Your Eminence and the whole American Episcopacy to accept our humble and heartfelt thanks for the confidence so kindly placed in us. So favorable an acknowledgement of our modest work from that august assembly will act as a mighty impulse in our endeavors to instruct and educate in the true ecclesiastical spirit those entrusted to our care.

In consideration of the high esteem in which we hold our relations to the western continent, that great and promising harvest-field of the Church, we intend to pay special attention to the theological literature and canon law of the United States.

Unwilling to trespass too much on Your Eminence's valuable time, but still desiring to return our thanks to the Fathers of the Council for their kindly consideration, we humbly request that this letter be made known to your Rt. Rev. Brethren by publication in a catholic newspaper.

Kissing the sacred purple, we remain with expressions of the deepest veneration,

Your Eminence's obedient servants
The Professors of the Theological Faculty
of Innsbruck.

Dum Emus. princeps literis ad decanum facultatis datis die 22. Oct. ejusdem anni clementer respondit, se epistolam oenipontanam statim, ad voluntatem facultatis theologicae, in ephemeridibus germanicis et anglicis publicandas curasse, per eandem occasionem etiam ex sua parte praecipuae suae observantiae sensus oenipontanae huic „scholae pietatis ac literarum“ benevole profiteri, atque omnibus ejusdem facultatis doctoribus fausta omnia a Domino ita precari dignatus est:

„I beg leave to assure you of the high regard in which I hold your school of piety and learning, and to tender to yourself and your devoted associates of Innsbruck's Theological Faculty my best wishes“.

Catalogus

americanorum s. theologiae auditorum in oenipontana c. et r. universitate anno 1887.

A

Theologi in sacris ordinibus constituti.

R. D. Hugenroth Bern., dioec. Sinus viridis presbyter.
„ „ Kern Eduard., dioec. s. Ludovici presbyter.
„ „ Krenz Leo, dioec. Peoriensis presbyter.
„ „ Lamothe Arthur, Vic. Ap. Minnesotae sept. presb.
„ „ Mac Hugh Richard., dioec. Manchester. presbyt.
„ „ Mahoney Joan., archidioec. Milwaukiensis presb.
„ „ Poupeney Joseph., dioec. Leavenworthien. presb.
„ „ Raftery Eduard., dioec. Providentiensis presbyt.
„ „ Siegelack Franc., dioec. Brooklyniensis presbyt.
„ „ Siepen Franc., dioec. Vincennopolitan. presbyt.
„ „ Straten Joseph., dioec. Roffensis presbyter.
„ „ Synnett Joseph., dioec. Novarcensis presbyter.
„ „ Trautlein Franc., dioec. Buffalensis presbyter.
D. Burelbach Franc., archidioec. Chicagiensis diaconus.
„ Nash Joan., dioeces. Buffalensis diaconus.

B.

Theologi in minoribus ordinibus constituti.

D. Busch Joseph., dioec. s. Pauli de Minnesota acolyth.
„ Kohmescher Aloys., archidioec. Cincinnaten. acolyth.
„ Niemann Henric., dioeces. s. Josephi acolythus.
„ Schuhmann Georg., dioec. Ludovicopolitan. acolyth.
„ Steinbrecher Franc. dioeces. Sinus viridis acolyth.

C.

Theologi ordinum candidati.

D. Corbett Joan., dioeces. Brooklyniensis.
„ Eschmann Carol., dioeces. Altonensis.
„ Essmann Leo, dioeces. Bostoniensis.
„ Illig Joseph., dioeces. Eriensis.
„ Knappe Leo, dioeces. Bostoniensis.
„ Lainck Anton., dioeces. Oregonopolitanae.
„ Marshall Carol., archidioec. Neo-Eboracensis.
„ Scherer Franc., dioeces. Buffalensis.
„ Schneider Frideric., dioeces. Brooklyniensis.
„ Shorter Joseph., dioeces. Leavenworthiensis.
„ Staub Jacob., dioeces. Roffensis.
„ Weiss Georg., dioeces. Ludovicopolitanae.
„ Wentker Joseph., dioeces. s. Ludovici.

In convictum s. Nicolai recipi cupientes ea de re ad R. P. Rectorem oenipontani collegii Societatis Jesu (Universitätsstr. 8. — Innsbruck — Austria) scribent.

Et ista quidem, quae ad intelligendam synodicam commendationem oenipontanae hujus scholae theologicae attulimus, si forte europaeo lectori fusius videantur proposita, quam necesse fuit, ne tu tamen nimio sermone explicata putes pro juvene americano, rerum antiqui orbis adhuc ignaro, qui, laudabili cognitionis amore incensus, dum peregrinationem transmarinam meditatur, rationes studiorum in europaeis universitatibus antea discere cupit, quam longae ac periculosae navigationi se committat.

VII.
De anglica scripturae sacrae versione.

Ad praesentem locum facit quarta regula indicis librorum prohibitorum cum declaratione jussu Benebenedicti PP. XIV. adjecta an. 1757 atque iterum a Gregorio PP. XVI. confirmata die 8. Maji an. 1844.

„Quum experimento manifestum sit, verba sunt indicatae regulae 4., si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant“. — Sed hodie ea in re jure utimur, quod a Benedicto PP. XIV. clarius sancitum est declaratione per decretum s. congregationis indicis propositum d. 13. Jun. 1757, quod ita habet: „Quodsi hujusmodi bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur“. Quam eandem declarationem innovavit suamque fecit Gregorius PP. XVI. die et anno jam indicatis.

Hac lege manifestum est neque textum originalem tangi, neque versionem graecam neque latinam, quae dicitur Vulgata, sed solas versiones sermone patrio factas, ex quibus, ut adducta regula indicis ait, ob hominum temeritatem aliquid detrimenti oriri posset, si passim absque necessariis cautelis fieri permitterentur.

Quum autem episcoporum sit, sacrorum bibliorum sensum secundum genuinam Ecclesiae mentem populo

aperire eumque scripto et sermone rite continere, patres Baltimorenses recte ac jure de sacris bibliis in authentica versione anglica proponendis in synodo egerunt: exemplum ea in parte secuti episcopatus Hungariae, qui et ipse in concilio plenario Posonii congregatus an. 1822 sui officii esse duxit, quaestionem de vulgari s. scripturae versione hungarice edenda communi tractatu agitare ac decidere[1]).

VIII.
De bonis ecclesiasticis regularium curae commissis.

De hac materia extant literae plenae gravitatis, veritatis, auctoritatis, dignitatis, quibus SS. D. N. Leo PP. XIII. plura controversiarum capita inter episcopos et regulares Angliae ac Scotiae definivit die 8. Maji 1881: celeberrimam constitutionem „*Romanos Pontifices*“ dicimus, quam sapientissimus Pontifex etiam ad status foederatos Americae septentrionalis extendit decreto s. congr. de propaganda fide, edito d. 25. Sept. an. 1885, prout in ultima statione dicetur.

Quod iis literis de bonis ecclesiasticis regularium curae commissis constituitur, „ut episcopi jus habeant a missionariis regularibus aeque ac a parochis cleri saecularis rationem exigendi“, id etiam ut „de forma ac nomine ea bona possidendi“ valeret, patres in synodo decreverant, quatenus scilicet non jam religiosae familiae nomine, sed communi illo titulo possiderentur, quo „caetera bona ejusdem generis per dioecesim et sub directione episcopi possidentur“.

Verum s. congr. de p. f. consultius esse duxit, hoc decretum non esse retinendum, quod haec quaestio plenius non fuisset examinata; voluit tamen Summus Pontifex, ut in futuro concilio plenario quaestio iterum ad trutinam revocaretur: Sedis Apostolicae quippe in

---

[1]) Cfr. Coll. Lac. t. 5., p. 936.

ejusmodi causis decidendis plena sapientiae, prudentiae, aequitatis ratio est.

Caeterum, quum synodicum istud decretum, adeo universalibus terminis conceptum, juri communi adversaretur, fieri omnino non potuit, ut per generalem illam revisionis sententiam in forma communi approbaretur, qua concilium in Urbe recognitum fuisse demonstravimus pp. 39—40. Ex jure communi enim, ut in multis aliis doctrinae capitibus[1]), ita et in ejusmodi bonis ecclesiasticis regularium curae commissis distinguendum est subjectum proprietatis a subjecto utilitatis. Subjectum proprietatis plerumque ipsa est religiosa familia, cui communiter donata sunt bona ad varia opera misericordiae spiritualis et temporalis exercenda vel ad curam animarum administrandam; subjectum utilitatis autem sunt fideles, quibus ista omnia ex bonis praestantur. — Subjectum proprietatis „plerumque" ipsam esse religiosam familiam diximus; quia in casu aliquo particulari fieri utique potest, ut benefactores jus proprietatis in bona curae regularium commissa sibi vel aliis expresse reservent. — Quum autem in decreto nullum factum esset discrimen inter duo ista bonorum genera, patribus fuit, accommodate ad prudentiae et aequitatis rationes, ex Urbe responsum, „decretum non esse retinendum ob defectum plenioris examinis quaestionis; velle tamen Summum Pontificem, ut in futuro plenario concilio iterum ad trutinam revocetur".

---

[1]) Ita v. g. circa potestatem jurisdictionis Ecclesiae a Christo concessam ex principiis juris publici tenendum est contra Richerianos aliosque adversarios, apostolos eorumque in episcopatu successores esse ejus potestatis subjectum inhaesionis ac proprietatis, fidelium multitudinem vero subjectum emolumenti atque utilitatis. Similiter in jure privato, in causa canonicae incorporationis beneficii parochialis vel scholastici quoad temporalia tantum, monasterium vel dignitas, cui beneficium legitime est incorporatum, fit verum subjectum proprietatis bonorum beneficii incorporati, dum fideles, in quorum emolumentum beneficium primitus erat fundatum, etiam post peractam incorporationem, remanent subjectum utilitatis, ipsisque, ut antea, solita officia praestari debent.

STATIO SEXTA.

De literis pastoralibus a synodo ad catholicos statuum foederatorum datis.

I.

De epistolis pastoralibus generatim.

Omissis rationibus historicis ac dogmaticis epistolarum pastoralium, breviter animadverti haec possunt.

Duo sunt epistolarum pastoralium genera; alias enim antistites in auspicando munere suo, ac plerumque ipso consecrationis die, ad dioecesim suam dant, alias vero temporis cursu vel statis fixisque terminis (v. g. ineunte Quadragesima) vel extraordinariis oblatis occasionibus scribunt, ut populum sibi commissum cum auctoritate doceant et religionem catholicam debite defendant.

De epistolis pastoralibus ex Urbe Roma datis.

Postquam Summo Pontifici sunt reservatae ecclesiae cathedrales, episcoporum consecrationes vel ab ipso vel de ejus mandato fiunt. Qui Romae consecrationem accipiunt, ex ipsa Urbe literas pastorales ad dioeceses suas scribere solent, eas tamen non simpliciter signant: *Datum* vel *dabam Romae tali die*, sed *Datum extra portam N. tali die;* adscribitur autem illa Urbis porta, per quam via ducit ad dioecesim episcopi, qui literas scribit. — En tibi illustre exemplum primae epistolae pastoralis Pii PP. IX.: *Joannes Maria ex*

comitibus Mastai Ferretti, patricius Senogallensis, et Anconitanus, Dei et Apostolicae Sedis gratia archiepiscopus Spoletinus, SS. D. N. Leonis Papae XII. praesul domesticus et pontificio solio adstans, venerabilibus fratribus ac dilectissimis in Christo filiis, collegio canonicorum, animarum curatoribus utrique clero, optimatibus ac populo universo dioecesis suae, pacem et salutem a Domino sempiternam. . . . Dabam Romae extra portam Flaminiam[1]*, III. Nonas Junias, sacro Pentecostes die, ipso consecrationis nostrae an. 1827.*

Solus cardinalis episcopus Portuensis et s. Rufinae non adscribit *extra portam*, quod antiquitus suburbicaria haec dioecesis aliquam partem ipsius Urbis Romae complecteretur[2]. Caeteri cardinales autem reguntur jure communi. Sic romanas suas epistolas pastorales signarunt cardinalis Capelletti, episcopus Reatinus: *Datum extra portam Salariam die sacro B. M. Virgini in coelum evectae, ipso consecrationis nostrae an. 1833;* et cardinalis Cadolini, archiepiscopus Ferrariensis: *Dato in Roma fuori della porta Flaminia, questo dì 12 febrajo 1843.*

II.
De epistola pastorali synodi Baltimorensis.

Quae de praestantiori auctoritate actorum synodicorum ex utroque jure didicimus supra p. 6, ea transferri nominatim debent ad literas pastorales, quas antistites in concilio congregati, communi studio plenaque maturitate praeparatas, conspirante consensu ad clerum ac populum scribunt.

Quamvis epistola pastoralis concilii Baltimorensis opus artis plane eximium est, simul tamen omnium intelligentiae conspicitur mire accommodata; patres

---

[1]) Porta del popolo.

[2]) Cfr. Moroni, *Dizionario*, t. 51., p. 281., et t. 54., p. 212.

concilii enim adeo perspicue atque explicate loquuntur, ut singula doctrinae capita, adhortationes singulae clarum habeant intellectum.

Ab omni interpretatione ea propter supersedentes, unum tantum ad penultimam epistolae paragraphum *(Catholic Societies)* addimus, quod alio loco jam fusius sumus prosecuti; illustre exemplum *devotionis erga SS. Cor Jesu* dicimus, quod Americani ad imitandum prodiderunt Europaeis: bona spe ducti, fore ut, flagranti illo, quo novus orbis reperitur incensus, Sacratissimi Cordis Jesu studio auditoribus nostris proposito, mutua veluti adhortatione simus utrorumque pietatem firmaturi. Ita vero brevem hunc de SS. Cordis Jesu religione commentarium usibus Americanorum accommodabimus, ut in prima ejus parte de admirabili cultus propagatione in terris americanis *historice* dicamus. In altera deinde correctionem illam, quam Sedes Apostolica concilio cuidam americano anni 1873 circa formulam de SS. Corde Jesu loquendi adhiberi jussit, ad genuina scientiae principia exigemus; eritque pars ista proprie *didactica.* In tertia parte tandem ostendemus, vulgatas precationum formulas, quibus episcopi americani in dioecesibus suis SSmo. Cordi Jesu consecrandis usi sunt, omnis erroris expertes omnique labe vacuas esse. Eam idcirco non immerito *apologeticam* dixeris.

De cultu SS. Cordis Jesu in America propagato.

De admirabili nostrae hujus devotionis propagatione multis egimus in opere *de festis utriusque SS. Cordis.* Ex iis pauca tantum huc transferemus, quae de terris americanis scripto sunt consignata t. 1., pp. 194 sqq.

Religionem SS. Cordis Jesu saeculo superiori jam in variis Americae partibus floruisse, patet tum ex iis

quae dicta sunt supra pp. 92—93, 111, 138[1]), tum ex iis, quae referuntur infra sive de universis Portugalliae regnis et dominiis SS. Cordi Jesu dicatis[2]) sive de ven. Maria ab Incarnatione mirifice de eodem cultu inter Canadenses promerita[3]), tum maxime ex catalogo confraternitatum apud s. rit. congregationem oblato anno 1764, in quo innumerae fere sodalitates sub titulo SS. Cordis in novo orbe recensentur erectae.

Quam ita a majoribus stabilitam invenerunt devotionem, eam recentioris aetatis episcopi sincerissimo in idem Sacratissimum Cor studio atque amore novis semper incrementis auxerunt, sive dioecesibus SSmo. Cordi Jesu consecratis, sive epistolis pastoralibus quam plurimis conscriptis ac vario idiomate omnibus propemodum regionibus fructuose disseminatis, sive editis constitutionibus synodalibus de cultu SS. Cordis promovendo. In eorum commemoratione paulo diutius versari non gravabimur, quo torpens nostra inertia clara sibi atque efficacia ex iis sumat incitatioris studii exempla.

1. Constitutiones synodales.

Ex decretis concilii provincialis Neogranatensis anni 1864, tit. VI. c. 4.

„Dum haec pro confraternitatum bono praecipere statuimus dumque omnes et singulas vehementiori affectu prosequimur, illas *a missionibus auxilium ferendo* et *ab orationis apostolatu* nuncupatas vehementissime commendamus, atque parochos admonemus, ut suis in paroeciis has studeant instituere; quin minoris

---

[1]) Ad 5. edition. dicti operis *de festis utriusque SS. Cordis* lector hic remittitur.

[2]) In *parergo* hujus partis I. dicti operis.

[3]) Part. III., c. 2. §. 3. De venerabili Maria ab Incarnatione recole superius quae dicta sunt p. 131.

existiment, quae *a Sacro Corde Jesu* nomen habens tanto animarum salutis bono in principe provinciae civitate florescit"[1]).

Ex decretis Quitensibus anni 1873.

Quae insignis illius provinciae praesules ad propagandam SS. Cordis Jesu religionem praestiterunt, ex solemni decreto supremi magistratus civilis, serenissimi praesidis Garcia Moreno universique senatus reipublicae Aequatoris referre placet, quum ipsum hoc nostra aetate in suo genere plane singulare decretum et memoria dignissimum sit et omnibus sanctissimo huic cultui addictis peraccommodum accidat[2]).

I.

Decretum tertii concilii provincialis Quitensis, editum d. 31. Augusti anni 1873.

Considerando el tercer Concilio provincial Quitense, que el mayor bien que puede gozar un pueblo es el de conservar pura la fe católica, apostólica, romana; que este precioso don no se consigue por merecimientos propios sino por la gracia y misericordia del Señor; deseando por lo mismo con grande anhelo alcanzar de Dios esta gracia especial para la República y estando íntimamente persuadido que la impetrará, si postrado con humildad ofrece la Nación al santísimo y amorosísimo Corazón de Jesús.

Decreta:

1⁰. El tercer Concilio provincial Quitense ofrece y consagra solemnemente la República del Ecuador al

---

[1]) Collect. Lacen. t. 6, p. 541.

[2]) Non omnia colligemus monumenta eximiae Quitensium devotionis erga SS. Cor. Jesu, quod operis esset scriptionisque longioris, quodque egregie praestitit cl. D. Manuel María Pólit in suis Menaeis „*La república del Sagrado Corazón de Jesús*" Quitensibus cleri typis editis, praesertim tribus prioribus tomis. Ex iis pauca tantum indicabimus, quibus cognitis facile erit de caeteris judicare.

sacratísimo Corazón de Jesús: y con la fe, humildad é instancia que le son posibles, le ruega sea, desde hoy para siempre, el Protector de ella, su guía y amparador, á fin de que nunca jamás se aparte de la fe católica, apostólica, romana y de que sus moradores conformen sus costumbres con esta fe, que únicamente puede hacerlos dichosos en el tiempo y en la eternidad:

2⁰. El Concilio implorará de la Santa Sede la gracia de que el santísimo Corazón de Jesús sea declarado Patrón principal de la República del Ecuador:

3⁰. En todas las catedrales de la provincia eclesiástica ecuatoriana, se celebrará con la solemnidad posible la fiesta del sagrado Corazón de Jesús:

4⁰. Los ordinarios procurarán, en cuanto puedan, que en las iglesias catedrales y parroquiales se establezcan cofradías del santísimo Corazón de Jesús, á fin de que el mayor número posible de ecuatorianos le amen y honren:

5⁰. Se dedica al santísimo Corazón de Jesús el mes de Junio de todos los años. En él los fieles procurarán honrarle de totos modos, y se consagrarán á su servicio de una manera especial; y

6⁰. Las solemnidades correspondientes á la consagracion se harán en todas las catedrales y parroquias en la cuaresma próxima venidera[1]).

II.

Decretum supremi regiminis reipublicae Aequatorialis editum die 8. Octobris 1873[2]).

„El Senado y Cámara de Diputados del Ecuador, reunidos en Congreso, considerando:

---

[1]) Decretum quod hic ex authenticis literis publice propositis hispanice damus, in originali refertur latine in cit. „*La república*", t. 2., p. 643.

[2]) In linguam gallicam versum extat in *Le Messager du Coeur de Jésus,* Févr. 1874, pp. 139—140; italice habetur in *Unità cattolica* d. 21. Januar. 1874 et in *Civiltà cattolica* d. 16. Maji 1874.

1°. Que el tercer Concilio provincial Quitense ha consagrado, por un decreto especial, la República del Ecuador al sacratísimo Corazón de Jesús, poniéndola bajo su proteccion y amparo; y

2°. Que corresponde á la Legislatura coadyuvar en nombre de la Nación á un acto que, siendo tan conforme á sus sentimientos de eminente catolicismo, es tambien el medio más eficaz de conservar la fe y alcanzar el progreso y bienestar temporal del Estado.

Decretan:

Art. 1°. Se consagra la República del Ecuador al santísimo Corazón de Jesús declarándole su patrón y protector.

Art. 2°. Se declara fiesta cívica, asistencia de primera clase, la del santísimo Corazón de Jesús, que se celebrará en todas las catedrales de la República por los prelados diocesanos, con la mayor solemnidad posible.

Art. 3°. En todas las catedrales se erigirá un altar dedicado al Corazón de Jesús. Excítese al efecto el celo y piedad des los diocesanos.

Art. 4°. En el fróntis de cada uno de los altares espresados en el artículo anterior, se colocará una lápida costeada por las rentas nacionales, en la cual se escribirá el presente Decreto.

Communíquese al Poder Ejecutivo para su ejecución y cumplimiento. — Dado en Quito, capital de la República, á ocho de Octubre de mil ochocientos setenta y tres.

El Presidente del Senado: R. de Ascásubi. — El Presidente de la Cámara de Diputados: Vicente Lucio Salazar. — El Secretario del Senado: Carlos Casares. — El Secretario de la Cámara de Diputados: Pedro José Cevallos. — Palacio de Gobierno en Quito, á 18 de Octubre de 1873.

Ejecútese — G. García Moreno; — El Ministro de lo Interior: Francisco Javier León".

Ex decretis concilii provincialis Oregonensis s. Pauli anni 1488.

„Omnibus hujus provinciae presbyteris vehementer commendatam volumus dulcissimam illam ac maxime salutarem devotionem erga SS. Cor Jesu, quod novissime pientissimus Deus, hominum miseriis commotus, velut coelestem fontem patefecit, ex quo saluberrimas aquas non modo nobis, sed etiam animabus, quarum curam gerimus, derivare poterimus. Quocirca unusquisque studeat hanc devotionem non modo in se fovere, sed et aliis opportune et importune, omni arrepta occasione, insinuare et excolere innitatur, sibique unusquisque persuasum habeat, eo uberius fructus in sacro ministerio se esse percepturum, quo ferventiorem in hac devotione sese praestiterit“ [1]).

Ex decretis concilii plenarii Baltimorensis II. anni 1866.

„Quum ultimus Ecclesiae finis sit salus animarum, fovere debent sacerdotes illas praecipue confraternitates, quae pietati conservandae vel augendae directe conducunt, et hanc ob causam plurimis indulgentiis ab Ecclesia ditatae sunt. Hujusmodi vero sunt:

I. Confraternitas Sanctissimi Sacramenti . . .

II. Confraternitas Sacratissimi Cordis Domini Nostri Jesu Christi, quum Ecclesia pronuntiaverit, hanc devotionem modo speciali horum temporum necessitatibus convenire [2]).

2. Consecrationes dioecesium sacratissimo Cordi Jesu factae.

Sed prae caeteris antiquo orbi ad imitandum proponi meretur exemplum, quod Rmi. episcopi statuum foederatorum Americae borealis annis proxime elapsis

---

1) Collectio Lacen. t. 3., p. 125. 2) Ibid. p. 527.

prodiderunt, novo atque inaudito pietatis certamine dioeceses suas SSmo. Cordi Jesu consecrando et fideles ad assiduum ejus cultum graviter exhortando, editis instructionibus pastoralibus pietate, eruditione ac perspicuitate eximiis et ad formandos SS. Cordis Jesu cultores appositissimis[1]). Quae quum longiores sint, quam ut eas in forma extensa sistere possemus, earum seriem saltem hic referre volumus, facti memoriae sic apud gratos posteros aliquo modo servandae propagandaeque causa. Per eas igitur has dioeceses statuum foederatorum solemniter SSmo. Cordi Jesu consecratas fuisse, resciscere potuimus:

ADioec. Baltimorensis, d. 19. Oct. 1873;
Dioec. Carolopolitana, d. 12. Junii 1874.
Provincia Cincinnatensis, d. 1. Jan. 1874; nimirum:
ADioeces. Cincinnatensis;
Dioec. Ludovicopolitana (Louisville);
„ Detroitensis;
„ Vincennopolitana (Vincennes);
„ Clevelandensis;
„ Covingtonensis;
„ Wayne Castrensis (Fort-Wayne);
„ Columbensis;
„ Marianopolitana et Marquettensis (Sault Ste. Marie and Marquette).
Dioec. Crossensis (La Crosse), d. 5. Apr. 1874;
Provincia s. Francisci in California, d. 18. Januar. 1873; nimirum:
ADioec. s. Francisci in California;

---

[1]) Eas pro singulari sua humanitate ac benevolentia e longinqua America nobis mittere dignati sunt duo viri eximii: Rmus. Dnus. Ryan, eppus. Buffalensis, et R. P. Jos. E. Keller, Praepos. Provinc. Maryland, Soc. Jesu († 1886), qui ambo, ut in promovendo cultu SSmi. Cordis Jesu jam pridem solertiam suam demonstrarunt, ita nunc nihil in se curae passi sunt desiderari, ut nos in adornanda hac nova editione juvarent: quod hic cum honorifica et grata utriusque mentione praeterire nec voluimus nec potuimus.

Dioec. Montereyensis et Angelorum (Monterey and los Angeles);

Dioec. Vallispratensis (Grass Valley);

Vic. Apost. Leavenworthensis (Kansas), d. 8. Decemb. 1873;

Dioec. Milwaukiensis, d. 7. Jun. 1873;

Dioec. Natchetensis (Natchez), d. 22. Mart. 1874;

Dioec. Nesqualiensis (Nesquali), d. 18. Jan. 1874;

ADioec. Novae Aureliae (New-Orléans), d. 14. Junii 1873;

Dioec. Mobiliensis, d. 2. Junii 1874.

Provincia Neo-Eboracensis d. 8. Dec. 1873, scilicet:

ADioec. Neo-Eboracensis (New-York);

Dioec. Buffalensis[1]);

„ Brooklyniensis;

„ Portlandensis;

„ Hartfordiensis;

„ Burlingtonensis;

„ Albanensis;

„ Bostoniensis;

„ Roffensis (Rochester);

„ Campifontis (Springfield);

„ Providentiensis;

„ Ogdensburgensis;

„ Novarcensis (Newark);

ADioec. Oregonopolitana (Oregon City), d. 8. Decemb. 1873;

Dioec. s. Pauli de Minnesota, d. 7. Septemb. 1873;

Dioec. Philadelphiensis, d. 15. Oct. 1873;

Dioec. Pittsburgensis, d. 8. Decemb. 1873;

Dioec. Richmondiensis et Vic. Apost. Carolinae Septentrionalis, d. 28. Decemb. 1873;

---

[1]) Rmus. D. Stephan. Vincent. Ryan, eppus. Buffalensis, praeter literas omnibus insignis illius provinciae episcopis communes d. d. 15. Nov. 1873, propriam eamque inter modernorum praesulum epistolas plane eximiam instructionem pastoralem de dioecesi SSmo. Cordi Jesu consecranda edidit die 28. ejusdem mensis, qua novis quibusdam quasi calcaribus admotis suorum animos adhuc magis ad pietatem accenderet.

Dioec. Savannensis (Savannah) 1872 (Cf. The Messenger of the S. H. Octob. 1873, p. 447);
Dioec. Sinus viridis (Green Bay), d. 15. Febr. 1874;
Dioec. Wheelingensis, d. 1. Nov. 1873;
Dioec. Wilmingtoniensis, d. 26. Oct. 1873;
Dioec. Scrantonensis, d. 24. Maji 1874. Iis accedit Provincia Quebecensis, ex ipsius concilii provincialis decreto in hunc modum concepto anno 1873: „Mandamus omnibus et singulis animarum curam habentibus, ut die ab ordinario praefigenda, coram Sanctissimo Sacramento ad genua provoluti, Sacratissimo Cordi Jesu ipsi se et omnes suos in perpetuum consecratos pronuntient".

3. Festum SS. Cordis Jesu ut festum primarium pro America petitum.

Dioecesibus suis ita SSmo. Cordi Jesu consecratis quum operi coepto ad absolutionem perfectionemque nihil praeter altiorem festi ritum solemnitatemque deesse intelligerent, plures Rmi. antistites ultimam quasi manum rei imponendo ad extremum Summo Pontifici supplicarunt, ut festum SSmi. Cordis Jesu tanquam *festum primarium cum octava privilegiata Americae* concedere dignaretur, et in republica Aequatoriali quidem metropolita ipse, nomine synodi provincialis et fidelium totius reipublicae; in statibus foederatis autem tres primores hierarchae, nomine proprio ac suarum provinciarum tantum. Preces Quitensium quia nomine concilii oblatae erant jam exauditae sunt per hoc

Decretum,

quo eligitur Sacratissimum Cor Jesu patronus praecipuus reipublicae Aequatorialis.

Quiten. et dioecesium suffraganearum.

Rmus Dnus. Josephus Ignatius Checa archiepiscopus Quiten. juxta decretum alterum concilii provincialis

Quitensis III. nomine tum suo tum suffraganeorum suorum ac fidelium totius reipublicae Aequatorialis a Sancta Sede humillime postulavit, ut Sacratissimum Cor Jesu in patronum praecipuum eligeretur praefatae reipublicae. Praedictae vero preces a sacra congregatione concilii transmissae fuerunt pro opportuna resolutione ad hanc sacrorum rituum congregationem, quae rescribere rata est: „*Nihil obstare quominus votum Rmi. archiepiscopi Quitensis exaudiatur, si Sanctissimo placuerit*".

Facta de praedictis per infrascriptum secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideli relatione, Sanctitas sua elegit in patronum praecipuum reipublicae Aequatorialis Sacratissimum Cor Jesu, ejusque festum in universa ditione illa ab utroque clero saeculari et regulari sub ritu duplicis primae classis cum octava amodo recoli mandavit: servatis tamen rubricis; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 17. Decembris 1875.

C. Epus. Ostien. et Velitern. Card. Patrizi
L. † S. *S. R. C. Praef.*
Plac. Ralli S. R. C. Scrius.

Ex ditionibus foederatis Americae septentrionalis communem epistolam ea de re ad Summum Pontificem exeunte anno 1874 dederunt metropolitae, quorum in divinam Sanctissimi Cordis religionem singulare studium in America nulla unquam obscurabit oblivio, nimirum tres Illmi. et Rmi. archiepiscopi, Baltimorensis DD. Jacobus Roosevelt Bayley, Neo-Eboracensis DD. Joannes McKloskey, Neo-Aurelianensis DD. Josephus Napoleo Perché. Sunt autem literae in haec verba conscriptae[1]:

---

[1]) Ipse archiepiscopus Baltimorensis Roosevelt-Bayley pro ea, qua praestabat, singulari exquisitaque benevolentia, flagrantique studio, quo ardebat, religionis SS. Cordis Jesu propagandae nobis hunc libellum supplicem ex America mittendum curavit, ut eum novae operis nostri editioni insereremus.

Beatissime Pater,

Nos infra scripti, miseratione divina et Apostolicae Sedis auctoritate, archiepiscopi in statibus foederatis Americae septentrionalis, humiliter ad pedes Beatitudinis Vestrae provoluti, notum facimus, nos ad placandam divinam majestatem in tot ac tantis Ecclesiae et Apostolicae Sedis angustiis, ad derivandos in nos et in fideles populos nostrae curae commissos, ex inexhausto fonte, quem Ecclesiae suae Christus in cruce aperire dignatus est, fortitudinis, fervoris atque in fide et bonis operibus constantiae uberrimos thesauros, dioeceses nostras cum omni qua potuimus solemnitate, cum ingenti fidelium gaudio ac praeclaris pietatis significationibus, Sacratissimo Cordi Jesu devovisse et consecrasse; necnon jussisse tum clerum tum populum in nostrum uniuscujusque ditione degentem, ut in illo divino Corde, quod Dominus in tribulatione dilatavit nobis, perfugium sibi, solatium in omni tristitia, munimen contra omne periculum, fidissimum denique ex diluvio inundantis malitiae asylum quaerat.

Hunc igitur Sacratissimi Cordis Jesu cultum, quem non immerito putamus, in hisce diebus pessimis, Ecclesiae divinitus revelatum, tamquam antidotum venenosis erroribus, seu scutum impenetrabile, quo filii ejus acerbissimum hoc certamen sine vulnere dimicare valeant, omni studio propagare, et in cordibus fidelium altius semper imprimere, nostri pastoralis officii partem haud exiguam existimantes, Beatitudinem Vestram hac nostra communi epistola rogamus et flagitamus, ut ad praedictum finem felicius et abundantius assequendum, concedere precibus nostris dignetur:

„Ut in tota hac nostra ditione, ab universo clero tum saeculari tum regulari, festum Sacratissimi Cordis Jesu, quotannis, in die jam constituta, sed tamquam primarium primae classis cum octava celebretur, ac velut totius regionis patronale“.

Et quum non videatur postulandum, ut pro Dominica infra octavam officium proprium assignetur, ut saltem ipsa octava dies debito honore non careat, lectiones proprias, ex sanctorum patrum operibus selectas, huic nostrae petitioni subnectimus, rogantes Sanctitatem Vestram, ut velit illas suprema sua auctoritate sancire, et veniam dare, ut in octava Sacratissimi Cordis Jesu, ab omnibus, qui in his regionibus ad divinum officium recitandum obligantur, istae lectiones tamquam propriae, sive in choro, sive in privata recitatione legantur.

Et pro hac tanta gratia, ex qua maximam in gregem nobis commissum coelestium donorum abundantiam confidimus manaturam, reddat idem Cor Sacratissimum Redemptoris nostri pacem et prosperitatem Sanctitati Vestrae; reddat Ecclesiae regum populorumque honorem ac reverentiam; hostes Sedis Apostolicae humiliet et dissipet; et post diram tempestatem ventis et mari imperet, ut fiat tranquillitas magna.

Et hoc orabunt incessanter Sanctitatis Vestrae

devotissimi et amantissimi filii
ac obsequentissimi servi.

Quas preces firma spes est in futuro concilio plenario communi consensu iteratum iri, sicque habituras aliquando, ut optamus, exitum.

Et ista quidem ex priori tomo indicati operis nostri circa propagationem cultus SS. Cordis Jesu in America enotasse sufficiat.

Ex altero tomo praeter splendidas illas americanas formulas consecrationis et acclamationes synodales, quas ibidem exhibuimus pp. 326—331, huc spectant, quae de uno ex primis Apostolis Americae septentrionalis, quorum causam beatificationis jam introductam esse supra diximus p. 131, referuntur p. 339; nimirum de ven. servo Dei Gabriele Lallemant, quae sunt

ejusmodi: „Si quid arduum in studio virtutis tibi occurrit, si vincendus animi cordisque tui indomitus aliquis affectus, tunc te anima amore amabilissimi Cordis Jesu. Ita ad magnam perfectionem eluctatus est venerabilis Pater Gabriel Lallemant, Gallus, S. J., qui quum adhuc philosophiam doceret, in sacro recessu amore Cordis Jesu ita exarsit, ut eodem ad omnia ardua deinceps superanda se identidem hisce verbis animaret: *Age, anima mea! Pereamus sancte, et dulcissimo Cordi Jesu voluptatem, quam possumus, pariamus.* A verbis his facta non aberant; nam fidei propagandae zelo accensus, ut fuse narrat Tannerus[1]), in novam Franciam abiit, ubi a barbaris toto corpore tostus, et carne frustatim avulsa devoratus, insignem martyrii palmam reportavit d. 17. Martii 1649, cum maxima, ut indubium est, Sanctissimi Cordis Jesu voluptate".

Sed de prima commentarii parte, quae est de propagatione cultus jam satis multa.

De correctione romana concilii americani circa modum loquendi de cultu SS. Cordis Jesu.

Intelligimus concilium provinciale Quebecense anni 1873, quod juxta relata in opere nostro[2]) ita locutum fuerat, ac si objectum cultus publici crederet Cor Jesu, *quatenus est fons et origo infiniti ejus amoris.* In qua loquendi formula judices romani voces *fons et origo* in *symbolum* mutari jusserunt: duplici, ut patet, ducti ratione; primo quidem, ne ipsi concilium Quebecense recognoscendo et in forma consueta approbando quidquam de quaestione aliqua philosophica statuisse aut confirmasse viderentur, deinde vero ne, ipsis tacentibus, a sententia in Ecclesia recepta recederetur, quod

---

[1]) *Societas Jesu militans,* pp. 537—539.

[2]) *De festis utriusqus SS. Cordis,* t. 1., pp. 155, et t. 2., p. 326.

scilicet objectum cultus publici habeatur Cor Jesu, *quatenus est symbolum infiniti ejus amoris.* Utramque rationem late consideravimus in opere citato. Qui illud ad manus non habet, ad vim correctionis romanae rite assequendam juvari utcunque poterit selectis, quas breviter subdimus, animadversionibus de natura symboli, de symbolica rei significatione, de corde symbolico, h. e., de corde, ut est symbolum amoris, de caritate Christi, cujus symbolum in Corde posuerunt correctores decreti Quebecensis.

De natura symboli.

Ductum est nomen *symboli* a graeco *συμβάλλω*, *confero*, *compono*, *comparo*, *conferendo et comparando conjicio*, *conjectura assequor;* quapropter ex ipsa vocis etymologia denotat rem unde aliquid conjicimus, h. e., signum sive indicium alterius rei signatae.

Distinctione facta inter signum naturale et signum arbitrarium, inter symbolum verbale et symbolum reale, symboli vocabulum hic presse sumitur pro signo naturali, quod nos in alterius rei cognitionem ducit eam figurate adumbrando propter analogiam, quam cum ipsa habet. Sic ignis est symbolum amoris, lilium symbolum castitatis, ob analogiam, quam cum ipsis habent.

Symbolum reale, quum analogiam cum re habeat, quam figurate adumbrat, ejus naturam declarat. Sic ignis, symbolice repraesentans amorem, consideratus ut symbolum, naturam amoris declarat, cum quo habet similitudinem.

In omni symbolo reali tria sunt distinguenda; *res signans*, *res signata* et *ratio significatus:* quae tria veluti essentiae principia philosophi de relationibus generatim disputantes vocabulis technicis appellant relationis *subjectum*, *fundamentum* ac *terminum*, ut v. g. Suarez, *Metaphys. disput.* 46, sect. 6[1]).

---

[1]) Tom. 26, pp. 781 sqq., edit. Paris. Vivès 1866.

Concordant sacri canones, in quibus *signum* definitur *res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire,* sive id fiat *de sui natura* (signum naturale) sive *ex aliqua institutione* (signum arbitrarium), *sicut circulus, qui foribus popinae suspensus conspicitur, vinum venale ostendit*[1]).

Res signans, subjectum reale, in se sensibilis ac materialis sit oportet, ut symbolum usui hominum inserviat, quamvis opus non sit, ut sensu aliquo externo actu percipiatur.

Res signata, terminus, veluti finis haberi potest, ad quem obtinendum res signans tanquam medium adhibetur; idcirco enim signo seu re signante, h. e., symbolo utimur, ut intelligentia nostra juvetur ad intuendam rem signatam. Ast, quamvis ita res signata, spectato fine symboli, elementum princeps seu objectum praecipuum sit, res signans autem elementum auxiliare, putandum tamen non est, rem signantem necessario inferioris dignitatis esse debere prae re signata. Patet ex symbolo corporis Christi, quod v. g. sub specie panis in eucharistia symbolum est sic olim a sanguine separati.

Ratio significatus, fundamentum, dicitur *forma symboli,* repetendaque est ex rei signantis analogia cum re signata. Efficit autem, ut symbolum quoddam compositum sit ex re signante, tanquam *subjecto* aut *quasi subjecto,* et *ex formalitate symboli,* h. e., ex symbolica, quae in subjecto inest, significatione rei signatae tanquam *forma symboli.* De quibus omnibus plura diximus in opere jam adducto.

De symbolica rei significatione.

Quemadmodum interpretes generatim in utroque jure diligenter distinguunt *symbolicam* vocis significationem ab ejusdem sive proprio sive metaphorico sensu,

---

[1]) C. Signum. 33. Dist. 2. jcta. gl.

ita nominatim in solvenda quaestione *de objecto cultus Sacratissimi Cordis Jesu* attendendum est discrimen in quo tria haec versentur: *Cor proprie atque in se spectatum, Cor symbolicum, et Cor metaphoricum.*

Jurisconsultis symbolica haec significandi potestas in eo est, ut vocabulum rem quidem proprie denotet, sed non absolute, h. e., non simpliciter atque in se spectatam, quemadmodum in propria et absoluta significatione fit, sed quatenus adjunctam habet significationem alterius rei, seu quatenus res, quae proprie significatur, alterius hujus rei symbolum reale habetur[1]). Unde patet, *esse symbolum* et *esse verum* non pugnare; quia res symbolico sensu accepta seu symbolum non est symbolica, ut ita dicam, in essendo, sed in repraesentando: quatenus scilicet repraesentat symbolice id, cujus est symbolum.

De corde symbolico seu de vero corde spectato ut est symbolum amoris.

Quibus praemissis perspicuum est, in determinanda vi ac potestate sententiae romanae „*Cor Jesu spectari ut symbolum ejus caritatis*“ quaeri omnino debere, sitne Cor, quod Ecclesia tanquam objectum publici cultus determinavit, Cor physicum proprie et absolute sumptum, sc. ut caro est et praecipua corporis Christi pars, propter hypostaticam ejus cum Verbo unionem infinita veneratione dignum? An Cor symbolicum, h. e., Cor physicum proprie quidem sumptum, sed non absolute, verum cum inhaerenti illi symbolica amoris

---

[1]) Ex jure nota, praeter alia, sunt symbola realia *clavis* alicui traditae in signum dominii vel proprietatis, *annuli* in digitum antistitis immissi cum adnexa dignitatis ecclesiasticae significatione, *sigilli* personae publicae concessi ad determinata jura significanda. Denotant enim hic vocabula *clavis*, *annulus*, *sigillum* res materiales istis nominibus expressas, non quidem absolute et simpliciter in se spectatas, sed vero cum ea, quam adjunctam habent, symbolica significatione variorum jurium, quorum symbola realia habentur.

significatione? An vero Cor non proprie, sed metaphorice acceptum, h. e., Cor tropicum, figuratum, translatum? quo in sensu Cordis vocabulum tum in sacris literis, tum alibi occurrere, atque a piis Sacratissimi Cordis cultoribus in privato cultu recte salubriterque sumi in op. cit. diximus t. 1., p. 329.

Ex publicis actis cum probatis auctoribus confecimus in opere nostro, adaequatum objectum festi esse *Cor symbolicum Salvatoris*, seu Cor physicum proprie sumptum cum formalitate symboli, sensu jam declarato, h. e., unum objectum compositum ex tribus illis essentiae principiis seu causis, quae symbolum constituunt; ita ut, in hoc symbolo *res signans* ipsum sit verum ac carneum Cor inseparabiliter unitum personae Verbi; *res signata* vero eaque, spectato fine hujus festi, onge magis pr aecipua, infinitus amor Christi maxime erga homines; formalitas symboli seu *ratio significatus* tandem intima illa cohaerentia seu potius analogia Cordis Christi cum immensa ejus caritate, omissa, ut diximus in opere adducto t. 1., p. 154—155, quaestione philosophica de ejusdem amoris origine ac sede. Utramque *rem: signantem* et *signatam*, utrumque symboli extremum: *subjectum* et *terminum* cum naturali utriusque nexu, Cor Christi proprie dictum et illam, quae symbolice in eo repraesentatur, caritatem, h. e. *Verum Cor Salvatoris symbolice demonstrans infinitum ejus amorem,* eadem acta haud obscure objectum cultus SS. Cordis Jesu appellant.

Sedes Apostolica igitur, dum Cor Jesu colendum proponit, quatenus symbolum est infiniti ejus amoris, id agit, ut nobis exhibeat unum adaequatum cultus Sacratissimi Cordis objectum, quod tamen complectitur duo partialia objecta intestino inter se nexu per analogiam unius cum altero colligata, symboli subjectum ac terminum, scilicet ipsum verum ac physicum Cor Salvatoris ceu *rem signantem,* et infinitam Christi caritatem, ut *rem signatam.* Ex his, attento fine symboli,

praecipua est pars signata, seu caritas Christi; quapropter Ferd. Tetam. objectum etiam scite definit, ut sit *amor Christi in ipso Corde materiali demonstratus:* rem principem scilicet primo loco efferendo. Quae definitio iis maxime probatur, qui verum spiritum ac scopum ultimum hujus religionis potissimum declarare volunt; ii enim non sine ratione putant, initium dicendi sibi esse ab illo fine sumendum, ad quem tota devotio ex Ecclesiae institutione spectat: lectores statim ab exordio disputationis attentos reddendo, *substantiam devotionis SS. Cordis Jesu eo spectare, ut in symbolica Cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur*" (Pius PP. VI. in lit. ad eppum. Prato-Pistorien. d. d. 30. Junii 1781).

De caritate Christi, cujus symbolum in Corde posuerunt censores decreti Quebecensis.

De tribus elementis symboli SS. Cordis Jesu fuse disputatum est tomo 1. operis nostri *de festis utriusque SS. Cordis*, a p. 336 ad p. 384. Iis pauca quaedam adjecisse juverit, quae in alio opusculo *Cor Jesu divini Redemptoris nostri symbolum* ad mentem Marquesii et Tetami in pauca contracta scripsimus pp. 25—27, et sunt hujusmodi:

Quaeritur, quaenam sit caritas Christi, cujus symbolum ejus Cor esse judices romani declararunt? Caritas Christi erga Deum, an erga homines? Caritas Christi creata, an increata?

Resp. ad 1. Cor Jesu secundum se indifferenter tam est symbolum ejus caritatis erga Deum, quam ejus caritatis erga homines, quia eandem habet analogiam cum utraque. Verum in suo cultu ac festo non sumitur nec consideratur ex professo ut symbolum caritatis erga Deum, sed erga homines. Ex institutione enim ac fine hujus festi patet, ejus objectum ultimum non

esse Christum ut amator est Dei, sed ut amator est hominum; ac proinde formale ejus objectum non esse caritatem Christi erga Deum, sed vero erga homines. Atqui in hoc cultu publico ac festo Cor Jesu consideratur ut symbolum ejus caritatis, quae est objectum formale talis cultus ac festi.

Resp. ad 2. Cor Christi in sensu stricto symbolum est caritatis creatae, ejus praesertim, quam Dominus in passione et eucharistia ostendit; in sensu lato vero symbolum est caritatis tum creatae tum increatae.

Ratio prioris partis est, quia Cor Christi, notante Marquesio, amoris est symbolum, cum quo habet cognationem et analogiam; hanc autem habet omnino proprie cum humano Christi amore, non ita vero cum ejus amore increato et in se divino. — Accedit quod, sicut Christus pro nobis est passus ut homo, et passionis suae memoriam in eucharistia renovat ut homo: ita in passione et eucharistia eam caritatem maxime demonstravit, qua nos prosequitur ut homo.

Atqui *haec caritas Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui*, ea potissimum est, quae *sub symbolo Cordis Jesu recolitur*, uti Ecclesia declarat in clausula Lectionibus 2. Noct. adjecta. Atque haec duo, passio et eucharistiae sacramentum, *praecipua illa in nos caritatis ejus beneficia sunt, quae* hoc festo *in sanctissimo Jesu Corde gloriantes recolimus:* quapropter etiam totum fere officium inter haec duo amoris mysteria dividitur, praesertim in Lectionum responsoriis.

Ratio alterius partis est, quia quum cor hominis arctissimam habeat cognationem cum amore creato, habet consequenter aliquam affinitatem cum amore increato, cujus imitamentum, — verba sunt ejusdem Marquesii, l. c., n. 17 — et participatio est amor creatus. Id quod majorem vim habet in Christo ob perfectissimam consensionem voluntatis humanae cum divina;

quum enim caritas Christi creata quam simillime imitetur ejus caritatem increatam, symbolum quod illam repraesentat hanc etiam necessario adumbrat. Praecipua tamen utriusque partis confirmatio sumitur ab auctoritate s. congregationis, quae in hujusce festi officio symbolicam significationem restringit ad caritatem Christi creatam, imo ad eam, quae in passione et eucharistia elucet; in decreto autem ipsius festi ejusdem symboli repraesentationem extendit ad amorem increatum, quo filius Dei factus est homo, et amorem creatum, quo filius hominis factus est obediens usque ad mortem et mansuetudinis ac humilitatis exemplar se praebuit. Ait quippe: *Hujus officii ac missae celebratione symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo unigenitus Dei filius humanam suscepit naturam* (en amorem increatum, qui incarnationem praecessit et filium Dei movit, ut humanam naturam assumeret), *et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis Corde* (en amorem creatum, quem Christus, ut homo, obediendo, patiendo, ac propterea mansuetudinis et humilitatis se exemplar praebendo, quum in vita, tum vero maxime in morte demonstravit).

Caritas ergo, cujus symbolum esse Cor Jesu dixerunt romani correctores decreti Quebecensis, contrahi potest ad solam caritatem creatam, imo ad eam dumtaxat, quae apparet in mysterio crucis et altaris. Sed potest etiam extendi ad amorem increatum, qui in incarnatione elucet, una cum amore creato, qui eminet in mansuetudine, humilitate et obedientia Christi usque ad mortem: utrumque recte, ut probat exemplum s. congregationis, quae illa restrictione in officio, et hac ampliatione in decreto usa est. Unde jure statuitur, caritatem Christi, symbolice in ejus Corde adumbratam, in sensu stricto esse solam caritatem creatam, in sensu lato autem esse caritatem creatam et increatam. — Sed finis partis didacticae sit.

De illegitima criminatione contra americanas consecrationis formulas adducta.

In tertia eaque apologetica parte breviter dicendum restat de difficultatibus inde adversus americanas consecrationis formulas petitis, quod *ad* SS. Cor Jesu dirigerentur[1]; erant enim ex recentioribus, qui praeeunte Blasio[2]) preces *ad* Cor Christi factas erroris, absurditatis, quin et nestorianismi insimularent. Falsam criminationem uberiori defensione repulimus tomo 1., pp. 389—396. Ex ea, angustiis spatii inclusi, haec tantum enotamus.

Licet alia sit ratio suscipiendi cultum, alia autem ratio exaudiendae orationis (— cultum siquidem suscipere possunt et ipsa sensu carentia objecta propter eam, quae in ipsis inest, execllentiam; at exaudire preces non possunt nisi rationales substantiae, ut praeclare ostendit Suar. *tract. advers. Reg. Angl.* l. 2., c. 2., n. 16. —);

Licet item, sicut in omnibus aliis pietatis exercitiis, sive quae ad B. M. V., sive quae ad Sanctos alios ipsumque Christum pertinent, ita etiam in devotione Sacratissimi Cordis Jesu ex indiscreta quorundam pietate peccari aliquando possit;

Nullo tamen pacto concedendum est, preces generatim *ad* ipsum Cor Jesu dirigi non posse;

Nulla item ratione dandum, ea quae speciatim in orationibus, litaniis et consecrationum formulis *ad* Cor Jesu directis communiter leguntur usitata, reprehendenda esse et expungenda: cujusmodi sunt ex una parte praecipua redemptionis nostrae mysteria (incarnationis, passionis, institutionis eucharistiae, resurrectionis etc.), ex altera vero parte divinae denominationes et actiones, quae, utpote specialia amoris argumenta, peculiarem relationem ad Cor habent.

---

[1]) Cfr. operis nostri citati t. 2., pp. 326—330.

[2]) *Dissertatio commonitoria* c. 32.

Et preces quidem jure merito *ad* Sacrum Cor Jesu dirigi, seclusa etiam approbatione Ecclesiae et Sanctorum praxi, brevi hac consideratione rei signantis in symbolo nostro, seu ipsius veri Cordis patet:

a) Quum in physico Christi Corde, hypostatice, intime et inseparabiliter unito personae Verbi divini atque inde Verbum simul complexo, vere sit et concipiatur ipse Christus Dei filius, atque adeo persona, quae et nos exaudire et operari per se valeat, devota mens Sacrum hoc Cor invocando, necesse est ipsa vi cogitantis animae, ipsum Christum filium Dei habeat in mente, atque ad ipsam personam Verbi, ceu suppositum Cordis, preces fundat.

Confirmatur ex aliis vetustissimis et celebratissimis precibus, nedum ad humanitatem, verum etiam ad ipsas singillatim humanitatis partes:

Anima Christi sanctifica me.
Corpus Christi salva me etc.

b) Quoniam Cor Jesu, ut vere est ἐνυπόστατον, tanquam pars naturae humanae in una eademque divina Verbi *hypostasi* subsistit, atque ita cum natura divina unam Christi personam compositam constituit, mens orantis habet unum Christum, ad quem preces diriguntur; et sic Cordi Jesu, notante Muzzarellio, applicari possunt probatae regulae theologicae de communicatione idiomatum, h. e., de eodem Corde affirmari possunt proprietates tum divinae, tum humanae; ut ecce: *Cor Jesu, pro me lancea perforatum, salva me*, intelligendo priorem partem de Corde carneo, alteram vero de natura divina (*Regole da osservarsi*, pp. 14 sqq.).

Mysteria redemptionis humanae Sanctissimo Cordi Christi merito tribui, ex iis manifesto compertum est, quae de objecto cultus publici in praecedenti parte diximus. Quaecumque enim adversarii congerunt, ut ostendant mysteria haec neque Cordi physico proprie et absolute sumpto, neque Cordi tropice accepto tribui

posse, ea omnia bono animo transmittimus. Retenta scilicet, distinctione inter Cor absolute sumptum, Cor tropicum et Cor symbolicum, omnino tenendum est, Cor illud, quod Ecclesia tanquam objectum cultus publici determinavit, neque Cor esse physicum simpliciter spectatum in se, neque Cor tropice acceptum, seu Cor metaphoricum, sed vero Cor symbolicum, h. e., Cor physicum quidem, in humana Christi natura cum natura divina unam Christi personam compositam constituens, sed tamen cum inhaerenti illi symbolica erga homines amoris significatione, seu Cor symbolice demonstrans immensam illam divini Redemptoris caritatem, ex qua nobis omnia redemptionis mysteria venerunt. Est autem vere dignum et justum, aequum et salutare, ut devota mens redemptionis haec mysteria veluti totidem certissima ac stupenda Christi erga homines amoris signa meditando, ad ipsum illum, unde ea fluxerunt, fontem ascendat, immensum amorem dico, in ipso physico Corde symbolice adumbratum. Huic igitur amori, symbolice in Corde repraesentato, seu, quod idem est, Cordi symbolice amorem demonstranti ceu fonti proprio, evidentia illa caritatis argumenta recte adscribuntur, quae in singulis redemptionis mysteriis accepimus.

Denominationes vero actionesque divinas quod spectat, fieri merito posse, ut eae Cordi Jesu tribuantur, quamvis proprie ad ipsam divinam personam Verbi spectent, praeterquam quod ex regula Muzzarellii modo jam adducta constat, etiam consideratione *significationis symbolicae,* quam Cor intime adjunctam habet, ostenditur. Quum enim, Cor Christi meditando et invocando, Sacrum hoc Cor non tantum adoremus et colamus ut Verbo substantialiter unitum, verum etiam ut *symbolum amoris Christi Jesu*, fieri omnino debet, ut in decursu orationis et meditationis symbolica haec Cordis significatio nos ducat, ut in Corde, quod meditamur tanquam symbolum amoris Christi, ipsum Chri-

stum intelligamus nostri amantissimum, quem propterea sub eadem Cordis voce alloquimur, et cujus praeclaras ac divinas denominationes et actiones amoris testes, eodem, in quo symbolice significantur, Corde semper retento praedicamus. Quae allocutiones, licet *ad* Cor ceu rem signantem in symbolo fiant, ad ipsum tamen Verbum directe pertinent, quod ut suppositum Cordis principale est agens omnium illorum actuum, qui Cordi tribuuntur. Sic auctor lectionum 2. Nocturni, facta Cordis invocatione, statim transvolat in ipsam Verbi personam, Cordi ex affectu voce tenus applicans, quae vere ipsi personae Verbi applicanda sunt: *Quia semel venimus ad Cor, non sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doce nos. . . .* Atque alia plura idipsum suadent piissimorum hominum exempla, quae libro 1. ex actis adduximus, ut ecce sanctarum *Gertrudis* et *Mechtildis*, *Blosii*, *Lanspergii*, *ss. Bernardi*, *Bonaventurae*, *Franc. Salesii*, et aliorum. — Sed haec hactenus. Alias defensionis rationes attulimus loco indicato,

Quas videas per te, si tibi corde sedet[1]).

---

[1]) Ita gl. ad c. Hac constitutione 15. de off. et pot. jud. del. in 6.

STATIO SEPTIMA.

Responsa S. Sedis ad postulata patrum.

I.

Decretum S. R. C.

De festis s. Philippi a Jesu, s. Turibii et s. Francisci Solani.

Sanctis Turibio, archiepiscopo, et Francisco, presbytero, anteponitur s. Philippus a Jesu, quod is, quum in ipsa America ortum habuisset, „tanquam conterraneus et concivis peculiari quadam ratione esset honorandus; neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas etiam aliquid habeat praerogativae", quemadmodum Pius PP. II. pluribus exequitur in bulla canonizationis s. Catharinae Senensis edita d. 30. Maji a. 1461[1]). — Quod duos alios Sanctos spectat, in allato hoc sacrae congregationis decreto emendatur ordo in postulato patrum servatus (p. LXIV.); qui enim ibidem archiepiscopo antepositus legitur presbyter, hic juxta ordinem hierarchiae ecclesiasticae eidem conspicitur postpositus. — Quam autem pleniorem notitiam trium Sanctorum hoc loco nos daturos promisimus supra p. 132, eam subministrandam censemus ipsis lectionibus propriorum officiorum in forma integra exhibitis, quae tales sunt:

---

[1]) Extat apud Bollandianos in Act. SS. ad d. 30. April., ejusdem mensis t. 3., pp. 981 sqq.

1. Lectiones propriae s. Philippi a Jesu.

Lectio 4. — Philippus de las Casas, sive a Jesu, Mexici Hispanis parentibus natus, ea adolescens vivebat libertate ac licentia, ut ipsismet parentibus ideo prope esset exosus: quod ita illius pupugit animum, divina simul gratia illustratum, ut Franciscanum institutum arripere statuerit. Sumpta tamen habitu, nec satis gnarus quam arduum cum callido hoste iniisset certamen, cessit illius illecebris, abiitque e religione. Ea inconstantia tantum dolorem parentibus attulit, ut, ne ipsorum perpetuo vulneraret obtutum, in Chinam eum negotiationis ergo ablegarint. Aliquanto post tempore, cogitantem quam periculosam in libertate, patria procul, vitam ageret, quaeque in religione (Deo quoque ad ea ruminanda impellente) vidisset ac reliquisset bona, novus ardor accendit et haec postliminio repetendi, et toto animo divini spiritus instinctibus obsequendi. Manilam ergo, nescio cujus negotii causa, profectus, eo absoluto, ambit denuo religiosum habitum, et impetrat in coenobio sanctae Mariae de angelis patrum Minorum excalceatorum: ubi egregia approbatione, peracto tyrocinio, solemnia demum vota professus est[1]).

Lectio 5. — Hujus mutationis perlato Mexicum nuntio, vehementer exhilarati parentes, supremum ordinis in India praesidem, quem commissarium generalem appellant (is tunc Mexici erat) obsecrant, filium sibi in seraphico illo habitu videre ut per eum liceat. Lubens piis parentibus ea in re gratificatus commissarius, scripsit in Philippinas, ut confestim Mexicum Philippus mitteretur. Ea causa navem sancti Philippi tutelae creditam atque insignitam nomine conscendit: quae vi tempestatis convulsa, et in Urandum Tuzzani regni portum ejecta, ipse brevi portum aeternae bea-

[1]) In breviario proprio O. s. Fr. sanctus Philippus dicitur „clericus et acolythus“ factus.

titudinis laurea martyrii redimitus tenuit. Omen Philippo martyrii fuit, quod dum procellis jactaretur, in qua is erat, sancti Philippi navis, ea parte coeli, quae Japonem respiciebat, vidit crucem candidam, figura expressam simili earum, in quas dein sublati martyres fuere; post in sanguineum colorem mutasse itidem ad horae quadrantem; demum nigra nube obvolutam. Omini respondit eventus. Nam saeviente in Japonia adversus christianae fidei praecones persecutione, beatus Philippus in vincula conjectus, et cum aliis sociis fuit morte damnatus[1]).

Lectio 6. — Perductus itaque cum ceteris in triumphalem campum, paratam sibi crucem positis humi genibus amplexatus, in haec prorupit verba: O fortunatam navem! O felicem sancti Philippi galeonem! O jacturam mihi minime damnosam, sed omni lucro quaestuosiorem! Ei cruci, dum transversarium lignum inseritur, cui qui pendet utcumque insideat, fallente mensura, quam solo fortasse intuitu faber collegerat, demissius aliquanto positum est, quam ut inniti beatus martyr posset. Quamobrem erecta cruce, cui sancti viri alligata ferreis vinculis brachia, collum ac tibiae erant, ita subsedit pondere suo corpus, ut ea numella, quae guttur stringebat, pene suffocaretur: magno igitur fervore animi, Jesu! Jesu! inclamat. Quo animadverso judex, priusquam strangularetur, configi lanceis jubet: atque ita primus omnium triplici lanceae ictu palmam martyrii obtinuit, qui postremus in Japoniam venerat. De eodem, et de viginti quinque martyrii sociis Urbanus octavus Pontifex Maximus officium recitari et Missam respective celebrari concessit. Ipsius autem beati Philippi gloria magna devotione Mexici colitur, dicato in illius honorem templo, et Capuccinarum virginum insigni coenobio[2]).

---

[1]) An. 1597. — [2]) Optandum sane, ut quae in breviario romano sextae lectioni officii sanctorum Japonensium adjecta legitur clausula

2. Lectiones propriae s. Turibii de Mogrovejo.

Lectio 4. — Turibius Alphonsus, ex nobili Mogroveja gente Majorgae in regno Legionis natus[1]), liberalibus disciplinis et juri canonico Vallisoletti primum, deinde Salmanticae in majori collegio Ovetensi sancti Salvatoris ita operam dedit, ut tamen potiorem temporis partem orationi aliisque piis et christianis exercitiis impenderet. Id comprobatum est, cum emissam in ejus cubiculum impudicam mulierem praecipuus virginitatis sectator constanti animo extemplo expulit. Inde jejuniis, vigiliis et proprii corporis castigatione continuo vitam exercuit, et nudis quoque pedibus Compostellam ad sancti Jacobi sepulchrum peregrinatus est.

Lectio 5. — A Gregorio decimo tertio Limanae ecclesiae ex quaestore fidei invitus praeficitur[2]). Quo in munere apostolicam sollicitudinem in nova christianitate vel solidanda vel amplianda adhibens perfecti praesulis partes explevit. Quare singulis dominicis diebus vel in ecclesia, vel in hospitali domo, in parvis etiam oppidulis et subdiu concionabatur plebemque catechismo instruebat. Synodus etiam dioecesanas et provincialia concilia juxta Tridentini statuta habuit[3]), et in eis complura decreta postea a Sede apostolica confirmata, condita sunt, quibus modo ecclesia Americana regitur. Hinc morum emendatio, cleri disciplina, juvenum seminaria, virginum ac male nuptarum coenobia, aegrotorum xenodochia, aliaeque aedes et templa, ejus etiam sumptu constructa, emanarunt.

Lectio 6. — Dioecesim suam, amplissimam quidem, incredibili labore totam saepe visitavit, omnesque pene ecclesiae suae proventus in pauperum usus, quos creditores suos vocabat, erogavit, octingentis, ut ferunt,

---

„de his martyribus Sanctorum albo recensitis anno 1866", etiam huic lectioni legitima auctoritate addatur.

[1]) An. 1538. — [2]) An. 1581. — [3]) Annis 1582, 1591, et 1601.

hominum millibus sacro chrismate unctis. Innumeras contradictiones, sive ab iis, qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis, qui intra, propter ecclesiae libertatem summa patientia sustinens[1]), acriter defendit, martyrii cupidissimus. Tandem sacerdotio et miraculis clarus, quae etiam post mortem ipsius sanctitatem comprobarunt, dum propriae dioecesis visitationi incumberet, anno millesimo sexcentesimo sexto, aetatis suae sexagesimo octavo, sumptu in ecclesia sacro viatico, ad mortis nuntium exclamans: Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus, die vigesima tertia Martii obdormivit in Domino: quem Innocentius undecimus in beatorum numerum retulit[2]), assignata ejus festivitati die vigesima septima Aprilis. Deinde novis quamplurimis fulgentem signis Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus quarto Idus Decembris anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo sexto sanctorum fastis adscripsit.

3. Lectiones propriae s. Francisci Solani.

Lectio 4. — Franciscus Solanus, Montiliae, Hispaniae Baeticae oppido, nobili genere natus[3]), ac Domini timorem jam inde a puero edoctus, apostolico muneri, quod erat postea suscepturus, in ea aetate praelusit. Nam condiscipulos et natu majores ardenti oratione ad poenitentiam hortari, dissidentes componere, res humanas contemnere, divinas serio meditari solitus erat. Adolescens in ordinem Fratrum Minorum observantium nomen dedit; in eoque asperioris disciplinae, humilitatis, ac pietatis exemplis oculos omnium ad se trahere coepit. Lectulus illi juncorum strues, pro indusio cilicium, quod grandi fune ita stringebat, ut latera

---

[1]) De litibus inter s. Turibium et proregem Peruae exortis cfr. Juvenc., *Histor. Societ. Jesu*, part. 5., l. 23. 8., ubi etiam varii illi tractatus inter s. Turibium et Societatem Jesu habiti referuntur, quos a vitae beati antistitis scriptoribus vel omissos de industria, vel incuria praeteritos auctor suspicatur.

[2]) An. 1679. — [3]) An. 1549.

acerrime discruciaret. Noctu se flagris, et catenis caedebat, dies anni complures pane tantum et aqua victitavit; seque aliquando in spinarum acervo nudum projecit, beatum Franciscum imitatus, ut sensus omnis patientia doloris frangeretur. In sacris autem concionibus ipsius caritas maxime enituit, qua plurimos Christo lucrifecit.

Lectio 5. — Pestilentia per Baeticam saeviente, ad corpora simul animasque curandas se totum convertit, et ipse lue mortali tandem implicatus, ac Dei manu e periculo ereptus, in pristino ministerio constantius perstitit, dum morbus omnino extingueretur. Puerum quoque foedis ulceribus laborantem, ea lambendo sanitati restituit. Exinde magnum esse coepit in Baetica Solani nomen. Sed ille hominum laudes aversatus, Deique gloriam, non suam, unice quaerens, Superiores oravit, ut se in Africam mitterent, ad catholicam fidem praedicandam, pro qua etiam, si se daret occasio, vitam profundere peroptabat. Missione africana non impetrata, americanam obtinuit, magnisque periculis, non sine miraculo, mari terraque perfunctus, ad sibi paratam Domino vineam laetus accessit[1]); a qua colenda nulla eum itinerum longitudo, aut vigiliarum molestia retardavit.

Lectio 6. — Peruanas regiones assidue peragrans, ingentem numerum infidelium ad Christum convertit, christianos a vitae impuritate ad honestam passim traduxit. Saepe in concione, cum copiose de Deo, ejusque Virgine Matre locutus esset, in extasim rapiebatur, aliquando de Domini cruciatibus verba facturus, voce lacrymis interclusa, audientium fletus, ac gemitus eliciebat. Summis tandem laboribus pro Dei gloria amplificanda confectus, mortemque praesentiens imminentem, sacramentis perceptis ad iter coeleste se com-

---

[1]) An. 1589.

paravit; ac totus in Domino cogitatione defixus, piasque preces ad eum fundens, et in crucis figuram compositis manibus, exspiravit aetatis anno secundo et sexagesimo, Christi millesimo, sexcentesimo decimo sexto, ipso die sancti Doctoris Bonaventurae, quem eximia pietate in omni vita fuerat prosecutus. Demortui color, antea subniger, est in album mutatus vultusque species venusta confestim apparuit, et suavis odor e corpore coepit erumpere.

II.

Decretum s. congregat. de propaganda fide

De alienatione bonorum ecclesiasticorum.

De hoc argumenti genere extat in corpore juris canonici titulus proprius „de rebus ecclesiae alienandis vel non", qui in decretalibus Gregorii PP. IX. est 13. lib. 3.[1]). — Vetustissima est canonum regula, eaque probata conciliis Summisque Pontificibus, quod res ecclesiae alienari non possint: quemadmodum praeter doctores in cit. titulum scribentes, multis exemplis allatis ostendit Devoti, *Institut. can.*, l. 2., tit. 19.

Ratio hujus interdicti in eo est sita, quod perpetuus sit triplex ille finis, ad quem bona ecclesiae sunt destinata, nimirum ut ex iis clerici vivant, pauperes alantur et religionis cultus sustineatur. Ne ergo sub administrationis titulo res ecclesiae distraherentur, earum alienatio vel omnino prohibita, vel certis quibusdam solemnitatibus coërcita fuit.

Quoniam lex „*de rebus ecclesiae non alienandis*" in favorem causae piae noscitur constituta, maxime favorabilis est, indeque omnia ejus verba latissimam merentur interpretationem.

---

[1]) In reliquis decretalium collectionibus in corpore juris can. contentis in forma interdicti conceptus legitur: „de rebus ecclesiae non alienandis". (III., 9. in 6; III., 4. Clem.; III., 4. Extrav. com.).

Hinc 1⁰ per „*res*“ non solum intelliguntur bona immobilia et mobilia pretiosa, sed etiam jura, actiones, census, decimae et caetera omnia, ex quibus fructus capiuntur: haec enim immobilibus aequiparantur.

2⁰ „*Ecclesiarum*“ nomine veniunt quaecunque loca pia et religiosa, cujusmodi inter alia sunt monasteria, hospitalia, seminaria et similia, quae alendis, educandis, sustentandis quibusvis hominibus ope egentibus addicta sunt.

3⁰ „*Alienationis*“ nomen denique comprehendit omnes actus, per quos ecclesia circa res suas temporales gravamen patitur, cujusmodi esse censentur donatio, venditio, permutatio, emphyteusis, hypotheca specialis, juris jam acquisiti cessio, unio ecclesiarum et similes, per quos rei ecclesiae utcunque inferri detrimentum potest.

Quia vero quandoque res ecclesiasticas expedit alienare, ipsa tituli nostri rubrica innuit, fieri alienationem aliquando posse, nempe justa de causa, et — quoad immobilia et mobilia pretiosa[1]) — adhibitis solemnitatibus.

Triplicem justam alienationis causam agnoscunt canones: necessitatem ipsius ecclesiae, evidentem ejus utilitatem, pietatem, puta, si famis tempore alendi sint pauperes aut captivi redimendi.

Solemnitates, praeter justam causam, ad alienationem rerum immobilium et mobilium pretiosarum requisitae, ad tria haec capita reducuntur: ad tractatum et consensum cleri[2]), his temporibus per capitulum repraesentati; ad consensum et auctoritatem Superioris, episcopi vel alterius praelati ejusmodi potestate praediti; ad beneplacitum Sedis Apostolicae, a qua causae iterum

---

[1]) Res ecclesiae mobiles non pretiosae immo et mobiles exigui valoris et inutiles vel noxiae ex justa causa licite alienantur absque ullis solemnitatibus.

[2]) C. Sine exceptione 52. C. XII. q. 2.

expenduntur iisque recte cognitis alienatio permittitur[1]). Et haec quidem ex universalis legis praescripto.

Ex jure particulari etiam necessarius esse potest consensus ejus, qui sibi tale privilegium in limine fundationis ecclesiae reservavit, vel principis ob specialia concordata inter ipsum et Summum Pontificem ea de re inita.

Concessio res ecclesiasticas alienandi generatim facta legibus odiosis est accensenda atque inde ad restrictivas interpretationis regulas exigenda. Hinc inchoanda est alienatio a rebus minus necessariis, nec ad perpetuam alienationem veniri debet, si per locationem, oppignorationem et alios similes contractus finis obtineri possit. — Quibus ita praemissis, facili negotio intelligitur decretum romanum hoc loco relatum, quod episcopis statuum foederatorum „ad decennium concedit indultum, quo ad solemnitates a jure canonico statutas circa alienationem bonorum ecclesiasticorum servandas non adstringuntur: ea tamen lege, ut praedicta facultate utantur perspecta prius ex consultorum consilio necessitate vel evidenti utilitate ecclesiae, utque in fine cujuslibet triennii antistites ad s. congregationem de propaganda fide referant, quibus in casibus, et pro quibus summis, ea usi sint, exposito etiam statu oeconomico illarum missionum pro quibus aes alienum contractum fuit“.

Simile paene est indultum, quod episcopis austriacis Sedes Apostolica, absque tamen clausulis onerosis decreto praesenti adjectis, concedere ad decennium solet.

---

[1]) De beneplacito apostolico ad res ecclesiae alienandas requisito prae caeteris juris capitibus agit celebris Extravagans com. *Ambitiosae*, un. de rebus ecclesiae non alienandis (III., 4), a Paulo PP. II. edita an. 1468, de qua multi multa scripserunt, quemadmodum ex obviis Doctorum commentariis ad h. t. patet. — Ex iis animadvertisse satis fuerit, episcopos in verba hujus decretalis jurare, eamdemque nostra quoque aetate et Pio PP. IX. in constitutione „Apostolicae Sedis“ ed. 12. oct. 1869 et a SS. D. N. Leone PP. XIII. ex decreto inquisitionis d. d. 22. Decemb. 1880 tanquam legem universalem fuisse agnitam ac declaratam.

Sed quoniam interpretationis nostrae brevitas impedimento est, quominus alia ex recentioribus fontibus ad decretum s. congregationis illustrandum afferamus, lectorem hujus argumenti cupidum ad Celsissimum principem et episcopum Brixinensem, Rmum. D. Aichner delegamus, qui prae caeteris leges nunc vigentes enucleate, graviter accurateque exponit in *Compendio juris ecclesiastici*, §. 226., pp. 755—761, edit. 5.

III.

Decretum s. congregat. de propaganda fide

De termino concursus

ad triginta dies prorogato.

Concursus pertinet ad solemnia illa examina, quae sacri canones variis actibus legitime celebrandis rite praemitti jubent. Ex iis notissima sunt *scrutinia baptizandorum*, per quae olim publice investigabatur, quinam ex catechumenis idonei jam essent ad baptismum accipiendum[1]; *scrutinia ordinandorum*, in quibus in vitam, mores, scientiam eorum inquiritur, qui ordines suscepturi sunt[2]; *examen confessariorum*, quo sacerdotes ad excipiendas confessiones apti et „idonei judicantur et approbationem obtinent"[3]; *examen sponsorum*, quo parochi, ex canonum praescripto[4], ad normam Ritualis romani[5] praeter alia diligenter „investigare debent, utrum aliquod impedimentum obstet[6]. — Inter omnia vero praecipuum est examen *concursus*, per quod, ex nova lege Tridentina[7], singulorum candidatorum beneficii parochialis liberae collationis ca-

[1]) De septem scrutiniis catechumenorum videri possunt, quae scripsimus in *Kalendario utriusque ecclesiae*, t. 2., pp. 144—145, 387.

[2]) Huc spectat tit. 12. libri 1. Decretalium „de scrutinio in ordine faciendo". [3]) Ita conc. Trident. sess. 23., c. 15. de reformat.

[4]) C. Quum inhibitio 3. fin. de clandestina desponsatione (IV., 3).

[5]) De sacramento matrimonii, tit. 7., c. 1, nn. 1—3.

[6]) „*Libro examinis sponsorum*", qui protocolla de canonica nupturientium „investigatione" rite peracta continet, eadem illa fides publica competit, quam in aliis libris parochialibus inesse diximus supra pp. 93—94.

[7]) Sess. 24. c. 18. de reformat.

nonice scrutanda sunt merita, ut legitime constet, quisnam literarum peritia, morum probitate aliisque dotibus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis caeteris competentibus praestet.

Ductum videtur nomen a *concurro*, qua significat pugnam inire, congredi; cuncti enim, qui post edictum ab episcopo factum, nomina sua dando, se candidatos beneficii declarant, inter se ad modum justae pugnae concurrunt de vacante ecclesia tanquam de proposito bravio legitime certaturi; qui enim peracto examine, magis aptus fuerit ab episcopo judicatus, beneficium certo obtinere debet, adeo ut nulla atque irrita habeatur collatio, si ipsi minus idoneus sit antelatus.

Tridentinam concursus legem plures Summi Pontifices identidem declararunt atque ampliarunt, praesertim s. Pius V., Clemens XI., Benedictus XIV., variis editis constitutionibus, quarum potiora doctrinae capita ipsum hoc concilium provide explicat[1]), ut novi et inusitati experimenti, quod tantopere a more consuetudineque Americanorum abhorret, cursum atque exitum faceret expeditiorem. Nec aliud spectat decretum romanum praesenti loco exhibitum: quod quum et ipsum sanctionem Tridentinam supponat, verba concilii, quae ad objectum decreti pertinent, omnino adscribenda sunt, antequam, quid privilegium valeat, exponatur. Sic igitur patres loquuntur in priori parte capitis 18. citati:

„Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta synodus, ut, quum parochialis ecclesiae vacatio (etiamsi cura ecclesiae vel episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur[2]), etiam in ecclesiis patrimonialibus[3]) seu recepti-

---

[1]) Decreta. Tit. 2., c. 6. „de concursu, pp. 25—30. Appendix, pp. 203—204.

[2]) In una eademque ecclesia exerceri a pluribus cura animarum potest vel in solidum, vel etiam ita, ut inter eos cura sit divisa, exercente uno curam in aliquibus, altero autem in aliis.

[3]) Sunt quidem ex recentioribus qui, praeeunte Nicolao de Milis

vis[1]) nuncupatis, in quibus consuevit episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infra scriptum examen teneri mandat) per obitum vel resignationem, etiamsi in curia seu aliter quomodocunque contigerit, etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta[2]) fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae romanae ecclesiae cardinalium seu abbatum vel capitulorum: debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. — Porro episcopus, et qui jus patronatus habet, intra decem dies vel aliud tempus ab episcopo praescribendum idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si episcopo aut synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint,

---

(*repertor.*), beneficium patrimoniale pro patronali sumant; verum ex authenticis fontibus eruitur, beneficium patrimoniale illud dici, quod clericis patrimonialibus conferri debet, h. e., filiis legitime ex aliqua familia, vel communitate vel colonia descendentibus. Sic, ut monumentum americanum afferamus, concilium mexicanum anni 1585 patrimoniales vocat „descendentes ab incolis, qui ex Hispania in dictam provinciam transmearunt“ (inter conc. hispan. tom. 4., pp. 387—388).

[1]) Distinctione facta inter ecclesias numeratas et receptivas, „numeratae“ in jure dicuntur, quae certum numerum canonicorum seu aliorum beneficiatorum habent; receptivae contra eae vocantur, in quibus beneficiati secundum incrementum vel deminutionem fructuum crescunt aut decrescunt.

[2]) Reservationi simillima est affectio; utraque dispositione enim potestas conferendi beneficii ordinario collatori aufertur et superiori vindicatur; in eo tamen differunt, quod reservati beneficii collatio superiori sit lege stabili asserta, ita ut ab ordinario collatore nunquam amplius conferri possit; dum affectum beneficium contra pro ea vice tantum,

examinentur ab episcopo, sive eo impedito ab ejus vicario atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in dioecesana synodo ab episcopo vel ejus vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet ecclesiae tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant. . . .“

De termino concursus.

Praesens sacrae congregationis decretum de solo tempore seu termino examinis agit; caetera, quae ad concursum spectant, in ipso concilio exposita leguntur.

Terminus, graece *τέρμα*, in jure significat signum aliquod visibile finis possessionis, h. e., lapis aut stipes, qui ponitur ad denotandos fines agrorum, regionum, ditionum. Accipitur etiam pro fine cujuscunque rei, praecipue vero temporis intervalli a lege vel a magistratu definiti ad actum aliquem commode expediendum, communiterque vocatur *dies certus.* Eo sensu accepta voce dicuntur termini praefixi ad agendum, ad exceptiones proponendas, ad cursum appellationis prosequendum, estque ultimus hic terminus appellationis proponendae reo fatalis, et *dies*, quos complectitur, *fatales* censentur, quoniam eorum lapsu, quasi fato quodam, jus appellationis perimitur. Quodsi temporis spatium ad actum rite parandum concessum, justo brevius appareat, ex rationabili causa „terminus a jure statutus legitima auctoritate *prorogatur*[1]).

In Tridentina lege concursus exequenda quinque termini a jure statuti distinguuntur: 1. ad vicarium in

---

per appositionem manus Summi Pontificis, ipso facto, dispositioni Sedis Apostolicae reservetur: quod quibus modis fieri possit, praeter alios, explicat Schmalzgrueber, in tit. *de praebendis et dignitatibus* n. 211 (III., 5).

[1]) Exemplum prostat c. Solet 2. de sentent. excom. in 6 (V., 11).

ecclesia constituendum; 2. ad edictum concursus proponendum; 3. ad candidatorum nomina colligenda; 4. ad concursum cum nominatis candidatis perficiendum; 5. ad beneficium digniori conferendum. Quatuor priores termini proprii sunt legi concursus; quintus autem communis est omnibus collationis formis; cujuscunque beneficii collatio quippe intra sex menses, a die cognitae vacationis, est expedienda[1]), ne hoc elapso tempore jus conferendi ad superiorem devolvatur[2]).

De termino ad constituendum vicarium statuto.

„Statuit sancta synodus, ut, quum parochialis ecclesiae vacatio . . . contigerit, . . . debeat episcopus *statim*, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium constituere".

Quamvis adverbium *statim* regulariter dilationem non admittit, tenendum tamen cum Barbosa[3]) est, intelligi vocabulum debere „cum temperamento secundum materiam subjectam", ut adeo celeritatem actus expediendi denotet, non autem omne temporis intervallum excludat. Atque hinc est, cur interpretes juris sacri censeant, differri constitutionem vicarii posse usque ad tres dies a die habitae notitiae vacationis[4]).

Quodsi in ecclesia vacante alii sacramentorum ministri jam adessent, qui interea curam quoque illam, quae ad defunctum spectabat, exercere possent, vel si parochi vicini idem commode ac libenter praestarent, tunc „opus non esset", alium sacerdotem vicarium constituere[5]).

---

[1]) C. Quia diversitatem 5. X. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis (III., 8).

[2]) C. Nulla 2. eod. tit.

[3]) *De dictionibus . . . in utroque jure usu frequentioribus*, dictio 384, n. 4.

[4]) Cfr. Barbosa, *Collectanea doctorum in conc. Trid.* ad hunc locum, n. 37.

[5]) Alia ad rem habes apud Barbosa, l. c. n. 39.

De termino ad edictum concursus proponendum servando.

Quum etiam collatio ecclesiarum parochialium liberae collationis ex jure communi facienda sit idoneo tempore, h. e., intra sex menses, episcopus edictum concursus pendente hoc semestri tempore ita proponere debet, ut provisio sit ante lapsum termini expedita. Iis servatis episcopo liberum est, edictum quocunque maluerit die proponere ad evocandos candidatos ad examen concursus tempore legitimo subeundum.

De termino evocandis beneficii candidatis praefigendo.

Quod concilium Tridentinum statuit, „ut episcopus intra decem dies *vel aliud tempus ab eo praescribendum* candidatos examinatoribus“ praesentet, id ex declaratione s. Pii V. ita est intelligendum, ut episcopus terminum inscriptionis candidatorum non ultra alios decem dies prorogari possit. Est autem in utroque casu terminus omnino peremptorius ac concurrentibus fatalis; et idcirco qui nullo detentus legitimo impedimento in tempore decem vel viginti dierum inscribendis nominibus publice ab episcopo praefixo non comparuit, is lapso termino non potest amplius audiri et ad examen admitti, re licet integra et examine nondum fieri coepto vel etiam ad aliud tempus dilato. Ut autem de legitimis his terminis certo constare queat, de essentia concursus esse censetur, ut literae publicae, quibus episcopus examen indicit, contineant certum diem edicti propositi et concursus subeundi.

De termino ad ipsum concursum peragendum constituto.

Legitimus ille terminus decem vel viginti dierum statutus est ad colligenda concurrentium nomina, non vero ad ipsum concursum peragendum. Hinc, elapso etiam termino illo liberum est episcopo, concursum pro obtinenda parochia liberae collationis differre usque

ad ultimum diem semestris: dilatione tamen vel ab initio in ipsis publicis literis annuntiata vel postea cum candidatis jam inscriptis per personalem citationem communicata[1]).

De termino concursus Americanis prorogato.

Ex inspecto romano decreto patet, privilegium ecclesiis americanis concessum ad illum legis Tridentinae terminum pertinere, qui statutus a concilio et a s. Pio PP. V. est, ut sacerdotes facta inscriptione sese vacantis ecclesiae candidatos declarent; est enim ipse ille terminus, qui jure communi decem vel viginti dies complectitur, pro Americanis ex peculiari privilegio Summi Pontificis ad mensem prorogatus. Quodsi mense elapso, propter improvisum impedimentum, episcopi nondum commode possent concursum habere, eum etiam ad aliud tempus differrent, non tamen ultra semestre in sacris canonibus pro expedienda beneficii collatione definitum. Candidatis autem, quorum nomina legitime sunt in album concurrentium relata, eo in casu indicandus esset dies, non quidem per novum edictum, sed per citationem personalem, quia ubi certus est oppositor, citandus est personaliter et non per edictum, quemadmodum expresse tradunt, qui regulas et praxim fori ecclesiastici declarant.

Ex causis concessi privilegii ea sane princeps est, quae in decreto petitur ex „amplitudine dioecesium et ex locorum distantia“: ut nimirum, termino ad triginta dies prorogato, plures convenire ad concursum possent; quod certe maxime rationi congruum esse dignoscitur. Erat enim aliquo modo damnum illud resarciendum, quod episcopi americani per extraordinariam limitationem candidatorum canonicae suae libertati ipsi intulerant lato, quod in codice sub n. 43 refertur,

---

[1]) Videantur, qui eam in rem citantur auctores apud Ferraris, *Bibliotheca*, v. concursus, art 3., nn. 61—63.

odioso[1]) decreto (p. 26), „admittendos tantum esse sacerdotes, qui per decennium saltem sacrum ministerium exercuissent". Dum aliarum gentium antistites ex illimitata illa ad beneficium concurrendi libertate, qua sacerdotes omnes, etiam aliarum dioecesium, ad normam sacrorum canonum gaudent[2]), id commodi consequuntur, ut haud exiguam copiam approbatorum candidatorum habeant, ex quibus facile magis aptum eligere possint, episcopi americani contra, post concursum legitime perfectum, magna identidem afficientur difficultate, quum facile evenire possit, ut etiam ea de causa vix unus alterve simpliciter dignus adsit, quod plures alii sacerdotes, qui, spectatis rebus omnibus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, magis idonei

---

[1]) In re beneficiaria *favorabile* esse censetur, quidquid ad episcopi et ecclesiae libertatem tutandam, firmandam, ampliandam confert. Ejusmodi inter alia est *jus variandi*, quod patrono laico ex c. Quum propter 24. X. de jure patronatus (III., 38) competit, uno jam praesentato, postea alium vel alios una cum priore cumulative praesentandi, ita ut episcopo liberum sit, eum ex omnibus illis successive praesentatis instituere, quem facto concursu magis idoneum judicaverit; item, ut et ex disciplina concursus Tridentini exemplum ponatur, favorabilis censetur ea, quae sacerdotibus est a jure asserta facultas ad beneficium curatum concurrendi, quia libertas episcopi digniorem eligendi eo magis ampliatur, quo major est concurrentium numerus: unde decreta romana et illum candidatum adhuc admitti jubent, qui ratione legitimi impedimenti non comparuit in tempore praefixo ad nomen suum inscribendum, elapso termino autem venit, re adhuc integra (cfr. Ferraris, *Biblioth.* v. concursus, art. 3., n. 17). — *Odiosum* e contrario in praesenti materia judicatur, quidquid comparatum sic est, ut de jure episcopi beneficia suae dioecesis libere conferendi quidpiam detrahere possit: cujusmodi est lex aliqua particularis, qua numerus concurrentium ad ecclesiam parochialem necessario imminuitur; quia juridica conditio ejus, cui ex lege communi plena poftestas competit unum ex pluribus libere eligendi, eo deterior censetur iacta, quo per aliquod statutum locale minor est reddita eorum copia, ex quibus unum eligere queat. Memoratum decretum concilii Baltimorensis igitur legibus odiosis accenseri debet.

[2]) Quod in Austria requiritur praevium triennale servitium in cura animarum, id legi civili originem suam debet. Conditionem ecclesia toleravit, quod aliorum concurrentium jam nimis magna multitudo adesset, quam ut per nonnullorum exclusionem episcopi potestatem suam ultra limites sacrorum canonum (c. Consuluit nos 24. X. de offic. et pot. jud. deleg.) coarctasse dici possent.

et magis apti fuissent judicati, memorato decreto Baltimorensi prohiberentur ingenium et virtutem suam in concursu periclitari. Ex ea difficultate igitur ut se, quantum possent, episcopi evolverent, merito Sedi Apostolicae supplicarunt, ut — laxato concursus termino — pluribus candidatis accessum ad examen faceret commodiorem, sibique, examine finito, dignioris ex tota approbatorum multitudine electionem redderet expeditiorem.

Corollarium

de juridica conditione missionum, quae inamovibilitatis praerogativa fruuntur.

Quum lex Tridentina concursus solas ecclesias parochiales afficiat[1]), ex eo jam, quod rectoratus inamovibiles non nisi concursu adhibito obtineri possunt, inferri omnino licet, missiones inamovibilitate praeditas beneficiis parochialibus accensendas esse. — Et eas quidem a ratione „beneficiorum" non deficere, ex eo patet, quod in iisdem nihil eorum desit, quae sacri canones ad constituendum verum proprieque dictum beneficium ecclesiasticum requirunt[2]); esse autem „parochialia", lex concursus, ceu tutum principium cognitionis, osten-

[1]) Quodsi alicubi lege particulari statutum reperitur, ut alia quoque beneficia per concursum conferantur (uti v. g. in Italia insulisque adjacentibus officia theologi et poenitentiarii), tunc ejusmodi beneficia tamen plerisque conditionibus in lege Tridentina positis soluta sunt.

[2]) Ea de re ineunte anno currente, die scilicet 24. Januarii, doctam disputationem academicam in publico consessu facultatis theologicae hujus universitatis habuit D. Henric. Niemann, dioecesis s. Josephi clericus, cujus argumentum in publico ac typis impresso documento sic erat annuntiatum: „*De decretis concilii plenarii Baltimorensis anni 1884 circa rem beneficiariam*". Summa vero eorum, quae, novas illas Baltimorenses sanctiones ad genuinas scientiae normas exigendo, fuse disseruerat, auctor, haec erat, quod ejusmodi missiones, consideratis omnibus rerum principiis (essentiae, existentiae, cognitionis), beneficiorum loco ac numero vere sint habendae.

dit; quoniam nulla alia, ut diximus, sunt, quae experimento ad normas Tridentinas facto impetrari debeant. — Verum in statibus foederatis nondum *formaliter* erectae sunt parochiae; quare beneficia curata rectoratuum inamovibilium pristinam suam naturam hucusque non omni ex parte exuerunt. Hinc fit, ut missiones inamovibilitate gaudentes *ecclesiae mixtae* dici debeant, quae nimirum ejusmodi sint, ut naturam utriusque conditionis sequantur, parochiae proprie dictae et ecclesiae missionis, indeque ex juris principiis illud sibi vindicent, quod in altero fuerit optimum: ex natura beneficii parochialis canonicam inamovibilitatem, ex conditione ecclesiae missionis autem exemptionem ab obligatione diebus dominicis et festis missam pro populo applicandi, quamvis, ut id praestetur, valde deceat. Poterit ista, quae in ecclesia mixta obtinet, conjunctio jurium utriusque conditionis notissimo illo exemplo illustrari, quod sacri canones in *mixto jurepatronatus* praebent; hoc enim naturam utriusque jurispatronatus, ecclesiastici et laicalis, ita sequitur, ut ex laicali habeat jus variandi et ex ecclesiastico spatium sex mensium ad faciendam praesentationem. Eadem ratione ergo est in ea, quam *mixtam* vocamus, ecclesia jus inamovibilitatis rectoris legitime instituti et privilegium exemptionis a missa pro populo offerenda: quorum alterum parochiae canonice erectae, alterum ecclesiae missionis proprium est.

IV.

Decretum s. congreg. de propaganda fide

De ordinatis titulo missionis.

Duo in hoc decreto distingui debent: ordinatio titulo missionis facta et juramentum candidatis praestandum. — Quod utrumque quum egregie sit declaratum in propria „instructione s. congregationis de propag. fide“ edita die 27. April. 1871 atque exhibita

in appendice pp. 204—209, ex ea selecta quaedam fragmenta, interpretationis causa, huc transferemus, additis tamen paucis nonnullis brevibus et obiter sub manu natis animadversionibus, quibus juvenis lector juvari utcunque poterit.

De ordinatione ad titulum missionis.

Ex iis, quae sub initium operis de ratione nominis *tituli* animadvertimus pp. 6—7, duo sunt paucis recolenda:

1. Titulus ab antiquissimis temporibus ipsa erat ecclesia, cui clericus in ordinatione perpetuo adscribebatur, et de cujus reditibus accipiebat necessaria ad vitam honeste transigendam;

2. Ab ecclesia, quae clericis suis alimenta praestabat, translatum est vocabulum tituli ad ipsas illas praestationes atque ad jus, quod ordinati per hanc adscriptionem acquirebant, exigendi quod ad decentem cultum et ad victum suppeteret.

Sic igitur titulus principio erat jus alimenta ex communi ecclesiae aerario accipiendi, ex lege communi affixum ipsi ordinationi, per quam clericus perpetuo illi ecclesiae adscribebatur, cui serviret. „Ex lege communi“ dicimus hoc jus ipsi ordinationi affixum; quia licet aliquando eveniret, ut episcopi nonnullos eximios viros ideo certae cuidam ecclesiae in ordinatione non adscriberent, quod eos propter eximiam, quae xcellebant, pietatem atque doctrinam ecclesiae universae utiles fore prospicerent[1]), jure communi tamen statutum erat, *neminem absolute ordinari*, *μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι*[2]): *absolute* seu *sine titulo*, h. e., sine designata ecclesia, cujus ministerio esset perpetuo mancipatus et de cujus bonis vicissim haberet alimenta. — Et iste erat primus ac naturalis ordinationis *titulus ecclesiae*, ex cujus aerario ordinatus vivebat.

---

[1]) Ea ratione ordinati leguntur ss. Hieronymus et Paulinus.

[2]) Conc. Chalcedon. can. 6. Apud Migne, Patr. gr. t. 137., p. 404.

Primo illi titulo ecclesiae successit *titulus beneficii*, quod ordinato necessaria ad vitam honeste transigendam suppeditat. Facta nimirum separatione ordinationis ab adscriptione in album clericorum certae ecclesiae sublatoque communi aerario, unde clerici haberent, quibus decenter viverent, institutae sunt peculiares praebendae, quae beneficia vocantur; atque ita jus percipiendi reditus temporales, olim ordinationi affixum, transiit ad concessionem beneficii, quo clericus fruitur, donec vitam agat. Qui ex jure, quod beneficio haeret, ad vitam necessaria percipit, *titulo beneficii* ordinari dicitur.

Eodem quoad substantiam redibat antiquus ecclesiae ac novus beneficii titulus; alimentis utroque in casu suppeditatis ex bonis ecclesiasticis; vereque in laudata s. congregationis instructione ad mentem sacrorum canonum asseritur n. 3. „titulum beneficialem ordinarium ac praecipuum titulum sacrae ordinationis dici debere“.

Sed quomodo honestae clericorum sustentationi erit providendum, si ordinati alimenta neque ex communi ecclesiae aerario, neque ex bonis beneficialibus sibi assignatis percipere possunt?

Ne clericus his in angustiis constitutus cum dedecore ordinis sui aut stipem quaerere aut sordidum aliquod munus exercere cogatur, permittit jus commune, ut ordinando *titulus patrimonii* aut *titulus pensionis* constituatur[1]): qui quamvis respectu ordinarii tituli beneficii sunt extraordinarii dicendi, pro se tamen habent favorem juris communis, ideoque omnibus aliis titulis sunt praeferendi, qui per modum dispensationis seu exceptionis a lege communi concessi rebus vere

---

[1]) Concil. Trident. sess. 21., c. 2. de reformat. Ad titulum pensionis revocantur varii alii tituli, quos nostrates passim memorant, ut ecce: fundi religionis, seminarii, dioecesis, mensae, collegii aliique his similes, qui juxta taxam in dioecesi constitutam ab episcopis rite admittuntur.

odiosis accensentur[1]). Hinc deficiente titulo beneficii, adest illa „necessitas ecclesiarum“, quae episcopis concedit, ut clericos suos ad titulum patrimonii vel pensionis, quantum fieri potest, promoveant, antequam alios ordinationis titulos a jure communi non permissos, sed per exceptionem tantum concessos admittant.

Quodsi nihil eorum praesto sit, ex quibus titulus ad normas juris communis constitui possit, tunc demum ingredienda est via odiosa exceptionis seu dispensationis petendae, non quidem ab episcopo, quemadmodum per errorem docetur in „praelectionibus juris canonici habitis in seminario s. Sulpitii“[2]), sed a Summo Pontifice, cui soli competit facultas in lege communi dispensandi.

A Sede Apostolica id olim quatuor modis indulgeri consuevisse, historia disciplinae ecclesiasticae nos edocet; vel enim simplici dispensatione a lege concessa absolute ac sine ulla conditione adjecta promovebantur ad ordines; vel ad titulum sufficientis literaturae admittebantur; vel antea votum solemne paupertatis extra religionem professi titulo paupertatis ordinabantur; vel titulo missionis ex speciali dispositione Sanctae Sedis assumebantur[3]).

Tres priores modi fere in desuetudinem abierunt; quartus autem ex ea, quae nunc viget, disciplina adhibetur, frequenterque a Summo Pontifice conceditur.

---

[1]) Ex eo quod ex una parte favorabile censetur, quod juxta legem communem esse probatur, ex altera vero odiosum judicatur quidquid legi communi derogare dignoscitur, in sacris canonibus generatim statutum est, „correctiones jurium, si sustineri valeant, evitari debere“ (c. Quum expediat 29. de electione in 6.), ac nominatim circa „dispensationem“, docetur, „eam utpote exorbitantem a jure, oportere velut odiosam restringi“ (c. Is qui 1. de filiis presbyterorum in 6.).

[2]) Tom. 2., p. 32., n. 293. Paris. Lecoffre, 1859.

[3]) In actis concilii Vaticani etiam occurrit „schema constitutionis *de titulis ordinationum*“, per quam liceret episcopo, candidatum titulo juris communis destitutum „titulo servitii dioecesis seu ecclesiae“ ordinare, in qua ex aliquo ecclesiastico officio honestam sustentationem acciperet.

Exempla ordinationis cum simplici atque absoluta dispensatione a titulo factae habemus tum in nonnullis collegiis pontificiis extra Urbem Romam constitutis[1]), tum etiam in pluribus dissitis provinciis ecclesiasticis, ubi sacrorum antistitibus „ut promovere valerent ad sacros ordines candidatos, quos ipsi necessarios judicassent, licet titulum non haberent, identidem legitur pro gratia indultum"[2]).

Multo rariora sunt exempla eorum, qui olim ad titulum „sufficientis literaturae" seu doctoratus ordinati reperiuntur. Eum sub certis quibusdam conditionibus hodieque adhiberi posse, cum aliis putat Fermosini, ad tit. de temporibus ordinationum, quaest. 7., nn. 16—18 (I. 11).

Nec frequentius occurrit „titulus paupertatis" solemni voto extra religionem promissae. Quandoque legitur cum titulo sufficientis literaturae conjunctus: ita tamen ut uterque simul sumptus unum tantum efficere censeatur, quem a potiore ejus parte titulum paupertatis appellabant[3]). Ultimi, quos tali titulo provisos sciamus, sunt s. Ignatius de Loyola ejusque socii, qui Venetiis die 10. Junii anni 1537 ad quatuor minores ordines, die 15. ad subdiaconatum, biduo post ad diaconatum, et die 24. ad presbyteratum a Vincentio Nigusano, episcopo Arbensi, promoti sunt titulo sufficientis scientiae ac voluntariae paupertatis, „sic dispensante, ut habetur in actis, Rmo. Dno. Dno. Hieronymo Verallo sacri palatii causarum auditore et in toto Venetiarum dominio cum potestate cardinalis a latere legato

---

[1]) Ejusmodi praeter alia erant collegia illyrico-hungaricum Bononiae, et illyricum Laureti, de quibus egimus in opere *Symbolae*, t. 2., pp. 1038—1039.

[2]) Tale rescriptum gratiae episcopus sanctae crucis de la Sierra in Indiis occidentalibus obtinuit die 8. Julii 1719, quemadmodum refertur in „Thesaur. resolut"., I., 217.

[3]) Simili ratione adhuc „titulus beneficialis" habetur, si beneficio insufficienti tantum patrimonii adjungatur, quantum requiritur, ut ex utroque simul legitimus beneficii titulus constituatur.

apostolico: *in cujus manibus dictus Ignatius de Loyola* (et similiter ejus socii) *paupertatem vovit perpetuam, solemnitatibus in similibus observari solitis, debite observatis*"[1]). Estque omnino animadvertendum, ordinationem istam candidatis „extra religionem" constitutis ad titulum paupertatis fuisse datam; licet enim s. Ignatius eo tempore jam de condendo ordine Societatis Jesu cogitasset, nihil tamen adhuc molitus fuerat, quum triennio tantum post ad id ei potestas facta sit a Paulo PP. III.: ita ut tum ipse tum socii ejus, prorsus singulares essent nulloque vinculo, nisi spiritalis amicitiae et eorundem studiorum inter se colligati[2]).

Ex quo autem Ecclesia votum solemne paupertatis a solis regularibus proprie dictis nuncupari permittit, titulus iste pro iis, qui extra religionem vivunt, jam vigere desiit.

Residuus est titulus missionis, qui saepe quidem loco simplicis atque absolutae dispensationis a titulo conceditur[3]), in praesenti decreto tamen sumitur pro vero jure „ex apostolico ministerio in missione, cui ordinatus fuerit addictus, ad victum necessaria consequendi". (Instruct. n. 6). Qui titulus ita definitus jure merito confertur, quia semper clericis jus est, propter officium spirituale de altari vivere. Habet rationem

---

[1]) Cfr. Act. Sanct. Julii tom. 7., p. 468., edit. Paris. 1868.

[2]) Videatur, qui hoc argumentum egregie explicuit, Victor de Bück *De solemnitate votorum*, c. 5. Bruxellis, Vromont, 1862.

[3]) In Germania, et alibi etiam, saepe ad titulum missionis, ex indulto pontificio, ordinantur qui, quamvis habeant, quod suppetat ad decentem eorum tuitionem, non tamen sine incommodo legibus satisfacere possunt, quae pro constituendo patrimonio canonico sunt praescriptae. — Quod idem ferme valet de alumnis collegii germanici et hungarici de Urbe, qui et ipsi ad titulum missionis majoribus ordinibus initiantur; tantum enim abest, ut se apostolico ministerio in regionibus missionum devoveant, victum inde consecuturi, ut immo jam ante ingressum in collegium in ipsa patria locum habere debeant, quo se finitis studiis recipiant, ut ecclesiasticis fungantur muneribus, ex quibus deinde, si propria bona non possideant, ad vitae necessaria percepturi sunt, donec beneficium ecclesiasticum obtineant.

legitimi tituli, licet rebus odiosis, utpote per dispensationem a jure communi concessus accenseatur atque ut talis in constitutione[1]) ac permutatione cum aliquo ex titulis juris communis habeatur[2]). Quo vero odium illud, quod exceptionem et dispensationem semper et ubique sequitur, temporis progressu in missionibus deminuatur ac paulatim tollatur, sacra congregatio de propag. fide laudatae instructioni hanc favorabilem monitionem inseruit n. 14. „Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros ordines admissi fuerunt, servatis de jure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. *Quin immo hortatur s. congregatio ordinarios, ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducantur*“. — Quam adhortationem ideo „favorabilem“ dicimus, quia favor, qui juri communi competit, id omnino efficit, ut omnis actus, qui ad pristinum jus sanctionem odiosam seu legem correctoriam reducit, non odiosus sed favorabilis sit, indeque latiorem admittat interpretationem. Ex eodem illo juris communis favore sequitur, titulum patrimonii vel pensionis, debere, stante „necessitate ecclesiae“ ex defectu beneficiorum exorta, „quantum fieri possit“, in dioecesibus ditionum foederatarum Americae septentrionalis „introduci“, episcopis immo licitum esse, ad eundem titulum rite constituendum, ubi patrimonium vel pensio non sufficiat, defectum supplere missarum stipendiis, vel aliis fidelium oblationibus, si communiter ac morali certitudine sufficienti numero praevideantur occurrere,

---

[1]) „Meminerint superiores, titulo missionis parce utendum esse“. (Instr. n. 7).

[2]) Potest, servandis rite servatis, titulo missionis subrogari patrimonium, vel pensio, vel beneficium; estque ipse hic subrogationis actus etiam ideo favorabilis, quia aerarium missionis onere liberat sacerdoti alimenta praestandi.

debite assignatis[1]); ejusmodi titulus enim, qui in favorem juris communis ex duobus elementis fuerit compositus, a principaliori ac canonica sua parte, h. e., a patrimonio vel pensione appellabitur, quum et hoc casu principium hermeneuticum vigeat, ad exceptionem seu ad correctionem legis vitandam, recedendum etiam esse, dum citra absurdum id fieri possit, a proprietate verborum communique eorum significatione[2]).

Quae omnia ut rite et ad mentem Sanctae Sedis[3]) in usum deducantur, episcopi in suis synodis praefiniant oportet, quaenam redituum quantitas censeatur sufficiens ad alimoniam clericis subministrandam[4]).

De juramento ab ordinatis ad titulum missionis emisso.

Favor ille, quem memoratae pontificiae adhortationi titulos legis communis introducendi ideo inesse diximus, quod „statui dioecesium ad jus Ecclesiae commune propius adducendo“ inserviat, immensum crescit, si ratio habeatur onerosi ac juri communi adversi juramenti, quod justis de causis, ut alibi saepe, ita nomi-

---

[1]) Quae s. Alphons. de Lig., *Theol. mor.* lib. 6. n. 815 cum aliis docet de missarum stipendiis ad titulum licite assignandis, „si communiter occurrant sufficienter ad sustentationem“, ea doctores etiam ad illas fidelium oblationes transferunt quae, licet eventuales sint, moralem tamen quamdam certitudinem habent, freti ea in re bullae s. Pii PP. V. Ad exequendum editae d. 1. Nov. 1567, qua episcopi in determinanda portione congrua vicarii ecclesiae incorporatae computare jubentur „omnia, etiam incerta emolumenta et alias obventiones, *quae communiter percipi solent*“.

[2]) Consuli de hoc argumento meretur, qui generatim de genuinis rationibus tituli ordinationis fuse accurateque disputat Phillips, *Kirchenrecht,* t. 1., §§. 57—58.

[3]) Praesens disciplinae caput etiam ad illam partem finis concilii plenarii spectat, quam Summus Pontifex in eo collocarat, „ut dioecesium status propius ad commune jus Ecclesiae, quantum fieri posset, accederet“, quemadmodum habet breve delegationis supra memoratum p. 70.

[4]) In multis Europae dioecesibus nunc determinata legitur summa quingentarum libellarum gallicarum (frs. 500): quae utrum alibi quoque sufficiat, prudenti episcoporum judicio definiendum relinquitur. Cfr. Benedict. PP. XIV. *de syn. dioec.,* l. 12., c. 9.

natim in America est titulo missionis annexum[1]); id enim et ordinatorum et episcoporum libertatem, utrisque ex communi jure sancte assertam, graviter imminuere cernitur.

Et episcopos quod attinet, ejus rei testis ipsum est praesens decretum romanum, quo iidem obtinuerunt, ut sacerdotes permolesto vinculo, quo per juramentum adstricti in certa aliqua dioecesi manere debent, quadantenus saltem liberatos jam facilius ad alias ejusdem provinciae dioeceses transferre possint.

Sacerdotes ipsos autem, suscepto hujus juramenti onere, in legitima illa, quam sibi alias ex sacrorum canonum permissu vindicare possent, libertate non una ex parte coarctari, lectio formulae juramenti perspicuum facit[2]). — Quod argumentum nobis tamen non est hoc loco retractandum, quum varias ejus quaestiones sive de clericorum ingressu in religionem, sive de episcoporum juribus circa conditiones tum studiosis in seminario tum candidatis ante ordinationem praescribendas, sive de restitutione sumptuum educationis in discessu e dioecesi facienda, sive de promissione per certum temporis spatium in dioecesi serviendi; quum has, inquam, aliasque similes quaestiones in proprio commentario „*de libertate clericorum religionem ingrediendi*“[3]), ex professo, late ac, quantum pro ingenii et

---

[1]) Americani ad titulum missionis ordinati, praestito suo juramento, obligationem susceperunt a jure communi multo alieniorem indeque multo odiosiorem quam (ut alios omittamus) alumni pontificii collegii germanici et hungarici de Urbe, qui similiter ad titulum missionis ordinantur; dum enim hi simpliciter jurant ac spondent, se, „ubi e collegio dimissi fuissent, statim in patriam ad juvandas animas reversuros esse“, Americani vovent ac jurant, se ita in determinata illa missione (dioecesi, vicariatu apost., praefectura apost.), cui semel fuissent destinati, perpetuo mansuros, ut ad aliam missionem (dioecesim, vicariatum apost., praefecturam apost.) eorundem statuum unitorum transire non possint, nisi praevio consensu Sedis Apostolicae obtento novoque pro secunda missione juramento emisso.

[2]) Exhibetur in appendice ad concil. p. 209.

[3]) Cfr. supra p. 14.

eruditionis nostrae tenuitate potuimus, accurate jam explicuimus. Ex eo suffecerit aliquem casum recens in Urbe Roma solutum huc transsripsisse, quo canonica libertas clericorum titulo juris communis ordinatorum una cum restricta conditione eorum, qui praestito juramento ad titulum missionis promoti sunt, simul illustratur. Referuntur ejus causae acta pp. 120—122, ex quibus tu historicam ἀρχιτελείαν, h. e., initium et finem accipe.

„Quum Reverendissimus episcopus Passaviensis, in Bavaria, necessitatibus dioecesis suae omni meliori modo provisurus, ad id consilii devenisset anno 1881, ut neminem ex suis clericis, publice educatis, ad sacerdotium promoveret, qui se non antea in scriptis ad haec duo obligasset: 1⁰ ad serviendum dioecesi in statu sacerdotis saecularis saltem per sex annos, et 2⁰ ad sumptus educationis seminario restituendos casu quo — post illos sex annos elapsos — dioecesim ex quademumcunque causa, ingressu in religionem non excepto, relinquere vellet: quatuor diaconi, ad titulum juris communis de more ordinati, per odiosas has conditiones sibi propositas de canonica sacerdotum libertate nimium quantum detrahi rati, subscribere non minus reverenter quam firmiter recusarunt. — Exinde ab ordinatione repulsi ad Sanctam Sedem recurrerunt, quae post longum maturumque examen insoliti casus, per organum congregationis negotiorum extraordinariorum rem ita componi jussit, ut quatuor candidati ipsi quidem ordinationis beneficium *ad mentem Summi Pontificis* ab episcopo suo peterent, episcopus vero oratores diaconos absolute, h. e., sine onerosis illis conditionibus, juri communi adversis, ad sacerdotium promoveret. Erat autem *mens Summi Pontificis*, utrique parti, episcopo et diaconis, per nuntiaturam monachensem significata die 18. Martii 1882, ut quatuor diaconi episcopo suo obedientiam canonicam solemniter promittendo sancteque servando non amitterent „liber-

tatem statum majoris perfectionis amplectendi, si quando Deo placeret, ipsos ad tale vitae genus vocare".

Acceptis binis literis, nuntiaturae et diaconorum, episcopus, summa cum observantia Sedi Apostolicae addictus ut est, recessu a priori suo praecepto de onerosis literis subscribendis facto, justis probatisque suorum clericorum votis benigne satisfacere properavit, in collatione presbyteratus, quam statim (12. April. 1882) sine illis conditionibus celebrari voluit, communi obedientiae et reverentiae promissione contentus.

Sic igitur factum videmus, ut quatuor isti diaconi ad titulum juris communis, ut diximus, prius ordinati, et ad normas sacrorum canonum tandem ad sacerdotium evecti, servitio dioecesis suae cum zelo et perseverantia juxta communem Ecclesiae legem se devovendo, canonicam illam libertatem plene conservarent, quam juramentum ordinatis ad titulum missionis multipliciter restrinxit.

V.

Decretum s. corgregationis de propag. fide

De extensione constitutionis „Romanos Pontifices".

Ipsum hoc est insigne illud extensionis decretum, quod superius jam adduximus p. 156. — Tria in eo breviter considerabimus: 1. vim ac rationem juridicam extensionis legis particularis sive privilegii ad alias ecclesias; 2. causam propriam praesentis hujus extensionis ad status foederatos factae; 3. ipsam materiam constitutionis ab Anglia et Scotia ad ecclesias americanas extensae.

De vi ac ratione extensionis legis.

Rationes juridicas „extensionis" doctores plerumque explicant in tractatu de clausulis, et quidem eo in capite, quod est de clausula „ad instar alterius

ecclesiae". Ex iis nonnulla haec animadvertimus, quae instituto nostro sufficiant.

Extensio legis particularis sive privilegii ad alias ecclesias tantundem valere censetur ac communicatio eorum, quae in eadem lege continentur, „ad instar alterius ecclesiae" concessa.

Generatim sumpta importat, ut sortiatur eundem et parem effectum cum aliis, ad quae adaequatur: ut adeo per relationem omnia, quae in priori dispositione statuta sunt, censeantur repetita et alteri ecclesiae applicata, et tantum sit in referente quantum in relato.

Est autem extensio haec seu communicatio facta, non dependenter a priori ecclesia sive a modo, quo lex in ea executioni mandatur, sed directe, per se et aequaliter; ita ut, peracta extensione, jus in altera ecclesia jam per se stet, eamque non alio modo regat, ac si primo ac per se pro ea fuisset conditum.

Hinc etiam est, cur ejusmodi extensionis effectus is esse dicatur, ut, valore legis in priori ecclesia lapsu temporis aucto vel deminuto vel extincto, non ideo quidpiam circa vim legis in altera ecclesia immutatum esse censeatur: non enim sub ea conditione concessa est extensio, ut ejus valor penderet a modo, quo prior ecclesia eam in futurum esset observatura, (quemadmodum aliquibus ordinibus religiosis aliorum ordinum privilegia cernuntur communicata), sed facta est absolute ac per se; et ideo quoad obligationem legis nulla manet dependentia unius ab altera ecclesia[1]).

De causa extensionis praesentis bullae.

Causam extensionis bullae ad ditiones foederatas Americae borealis decretum inde repetit, „quod ea, quae providentissime in hac constitutione praescribun-

---

[1]) Alia ad hanc rem pertinentia videantur apud Barbosa, *de clausulis*, c. 5., jctis. doctoribus, qui regulas communicationis privilegiorum proponunt in commentariis ad lib. 5., tit. 33.

tur, magnopere conditioni ejusdem ecclesiae congruant". — Utriusque ecclesiae conditio scilicet simili ferme ratione mixti juris est, communis et peculiaris, sacrorum canonum et particularium decretorum. Et de America quoque valet, quod Leo PP. XIII. de Anglia et Scotia in laudata bulla scripsit: „Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos (et idem valet de America) ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent"[1]). Merito igitur s. congregatio de prop. fid. „Sanctissimo Domino libentissime supplicandum esse duxit, ut votis concilii Baltimorensis[2]) satisfacere et extensionem concedere dignaretur", ut ita, quae „ad sapientiae, prudentiae, aequitatis normas[3]) erant pro ecclesiis in Anglia et Scotia decisa, etiam in foederatis statibus Americae valerent.

Fuisse autem pro Anglia et Scotia rem omnem diligenter quaesitam accurateque expensam, notum est tum ex historia ipsius constitutionis, tum ex luculento testimonio Pontificis, cujus in religionis et disciplinae ecclesiasticae integritatem singulare studium etiam ex hujus causae tractatione ac definitione perlucet. En quae bulla de totius disputationis ordine in parte historica refert: „Quo gravius autem et cautius a Nobis judicatio[4]) fieret, non modo iis, quae ultro citroque ad-

---

[1]) In appendice concilii, p. 215.

[2]) Similia „vota antea jam emiserant" patres concilii Neo-Eboracensis IV. anni 1883, quatenus „per sapientis et aequissimae hujus constitutionis extensionem fieret, ut omnes communi consilio concordique actione, quae sunt Christi agere pergerent", ut in decretis legitur c. 8.

[3]) Relege, quae de agendi ratione Sanctae Sedis diximus p. 157.

[4]) *Indicatio* legitur in appendice concilii p. 214. — Dolemus, quod in bullam hoc loco exhibitam nonnulli errores typographici irrepserint; non tamen idcirco affirmare audemus, correctionem levi manu fuisse ab editore peractam, quum probe sciamus experti (ut heic p. 109, not. 2; p. 145, not. 1; p. 200, not. 1; p. 201, not. 2), quam petulanter daemon librarius, ultima hora etiam, in imprimendo folio, utut diligenter emendato, adhuc sub praelo turbas ciere amet.

ducebantur, juribus et auctoritatibus diligenter animum adjecimus, sed etiam sententiam perrogavimus congregationis specialiter deputatae aliquot sanctae romanae Ecclesiae cardinalium e duobus sacris consiliis, quorum[1]) alterum episcoporum et regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis, quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis[2]), fideliter nobis exposuerunt, quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum cardinalium consilio causaque probe cognita judicium nostrum de controversiis ac dubitationibus, quae propositae sunt, per hanc constitutionem pronuntiamus".

De materia constitutionis extensae.

Materia seu argumentum bullae „Romanos Pontifices" peculiari ecclesiarum conditioni congruit, quae mixto jure reguntur, communibus Ecclesiae canonibus scilicet et particularibus legibus, quae in missionibus obtinent.

Ad tria autem capita revocantur, quae Pontifex decidit; primum continet quaecunque pertinent ad exemptionem religiosarum familiarum ab episcopali jurisdictione; alterum exhibet ea, quae sacrum ministerium respiciunt, quod a regularibus missionariis exercetur; tertium tandem complectitur ea, quae spectant bona temporalia regularium, usumque, in quem illa oportet converti. — De singulis pauca tantum.

Circa regularium exemptionem duo sunt praecipue jure communi definita: primum, ut regulares omnes

---

[1]) In cit. appendice concilii falso scribitur *quarum*.

[2]) Inter viros peritos a cardinalibus peculiaris hujus congregationis in cognitione causae adhibitos eminuit P. Antonius Ballerini, qui in secretioribus gravissimi negotii rationibus pervestigandis atque illustrandis ingenii consiliique sui lumen ostendit.

sint exempti ab episcopi potestate, et uni Sedi Apostolicae subjecti, — intellecto tamen privilegio secundum mentem concilii Tridentini et recentiores constitutiones pontificias —; alterum ut parva monasteria contra, in quibus sodales religiosi sex minimum non habitant, de jurisdictione episcopi non censeantur subtracta[1]).

Jure particulari autem, quod in missionibus servatur, statutum est, ut etiam parvae domus religiosae, quantumvis incolarum paucitate infrequentes, exemptionis privilegio gaudeant, quum regulares viri, in missionibus degentes, existimentur „tanquam viventes inter claustra indeque propriis suis superioribus subjecti remaneant“[2]).

Ex utroque hoc fonte hausit Pontifex, quae de exemptionis privilegio definivit, asserta nimirum ex jure communi ipsa canonica regularium exemptione; ex jure missionum vero confirmata illorum hospitiorum exemptione, quae ita parva sunt, ut ne sex quidem sodales capiant. — Nec minus reperiuntur mixti juris esse, quae de animarum cura dicuntur. Exemplo sit, quod episcopi ex communi lege teneantur missam pro populo applicare, ex particulari jure autem pro missionibus statuto non obligentur ad solemnia juris servanda in ordinariarum missionum dismembratione.

---

[1]) Constitutionibus in appendice concilii laudatis p. 215. — Innocentius PP. X. e medio sustulit parva virorum monasteria, in quibus sex saltem regulares non habitabant; et si quae adhuc extarent, episcopo, tanquam Sedis Apostolicae delegato, subjecta esse voluit. Innocentius PP. XII. immo episcopo subjecit monasteria, in quibus duodecim sodales religiosi non sunt. Cfr. Giraldi, *Exposit. juris pontif.*, part. 2., sect. 155.

[2]) Constitutio „Romanos Pontifices“ praeter alias auctoritates adducit decretum Clementis PP. VIII, quo expresse definitum legitur, ejusmodi religiosos viros „reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra“, quamobrem „in concernentibus curam animarum ordinario loci subesse; in reliquis vero non ordinario loci, sed suis superioribus subjectos manere“.

Tandem ut asserta mixtura juris et ex ultima constitutionis parte manifesta sit, animadvertimus, ex juris communis praescripto confirmatam in eadem esse potestatem regularium ea bona libere atque independenter ab episcopo administrandi, quae ad ipsos „qua regulares" spectant; ex jure particulari missionum vero iisdem regularibus impositam fuisse obligationem rationis episcopo reddendae de gesta administratione eorum bonorum, quae regularibus donata sunt „intuitu missionis": insuper habitis regulis canonicis, quibus gravissimum disciplinae caput „de ecclesiarum incorporatione" alibi ad juris communis normam regitur[1]). Quod quidem apprime consonat cum particulari jure a conciliis americanis passim firmato; in quibus ne incorporationis vocabulum quidem in sensu canonum occurrit; quae enim, ut ejus rei exemplum afferamus, in concilio Baltimorensi n. 267 (p. 153) memoratur „parochiarum incorporatio", ea nihil commune habet cum incorporatione canonica; sed est legalis concessio personalitatis juridicae, qua ecclesiae, ut piae causae, ens illud morale per fictionem juris auctoritate civili perpetuo tribuitur, quod exinde jam reputatur legitimum subjectum esse jurium et obligationum illius causae atque adeo capax declaratur dominii et successionis[2]): quemadmodum ex juris sacri praescripto in ipsa beneficii erectione persona juridica per magistratum ecclesiasticum constituitur[3]). Mirum igitur acci-

[1]) De canonica conditione ejusmodi missionum regularium, quibus animarum cura est conjuncta, graviter et copiose disputat Marković, *Le parrochie francescane in Dalmazia*. Zara, 1885. Cfr. quae in hoc opus animadvertimus in „*Zeitschrift für kath. Theologie*", 1885, pp. 711—712.

[2]) Eodem sensu „incorporationis" terminus adhibetur in praeclaris statutis synodi dioecesanae Roffensis, ipso hoc anno 1887 celebratae, cap. „de incorporandis ecclesiis", uti legitur p. 3.

[3]) Distinguenda est haec piae causae persona juridica ab ea, quam in collegio sive in societate legitime constituta inesse diximus supra pp. 28—29. De utriusque rationibus propriis aget commentarius in ipsa decreta concilii.

dere non potest, quod particulare illud statutum, quod circa rationem gestae administrationis episcopo reddendam editum in bulla „Romanos Pontifices“ est pro Anglia et Scotia, etiam ad americanas ecclesias extensum sit, atque inde in statibus foederatis quoque in ea bonorum administratione, quae sub dominio juris communis ad regulas canonicae incorporationis est exigenda, ecclesiasticis legibus servandis tantisper supersedeatur. — Sed haec administrationem tantum respiciunt. Ipsam bonorum proprietatem vero quod spectat, Sedes Apostolica nondum quidpiam statui a plenario concilio sivit, quod non jam fuisset in pontificia constitutione pro Anglia et Scotia decretum, quemadmodum ex reprobato legis schemate supra didicimus pp. 156—157.

VI.

Responsum

De festis, declaratione benedictina et quasi-domicilio.

Responsa in jure vocantur sententiae sive opiniones doctorum virorum, quibus permissum est jus publice interpretari et consulentibus de dubiis juris quaestionibus propositis responsiones cum auctoritate dare, quae vulgo „responsa prudentum“, h. e., jurisconsultorum (Jctorum.) audiunt. Iis similia in hodierna jurisprudentia sunt consilia juridica (germ. Rechtsgutachten, gall. consultation de droit, angl. legal advice, ital. parere giuridico), quae a publicis jurisconsultorum collegiis et facultatibus academicis vel etiam a singularibus doctis jurisperitis identidem peti edique solent.

Verum non juridico hoc sensu neque significantiori aliqua potestate nomen „responsi“ in praesenti titulo usurpatur: quemadmodum tamen et ex analogia cum

praecedentibus titulis[1]) et ex propria indole codicis nostri, ceu authenticae actorum collectionis, fas fuisset suspicari; sumitur enim in communi notaque significatione pro sententia aut epistola, qua quis, ad qualemcunque sibi propositam quaestionem vicissim loquendo sive scribendo[2]), interroganti verbo aut scripto satisfacit. — Responsi nomine igitur hoc loco venit epistola, qua Emus. cardinalis Simeoni, Emo. archipraesuli Baltimorensi rescribendo, episcopatum statuum foederatorum de variis decretis a supremo tribunali sancti Officii, h. e., a congregatione sacrae romanae et universalis Inquisitionis circa dubia a synodo plenaria proposita certiorem reddit.

Incongruum idcirco non fuisset, si consueto vocabulo technico retento ita factus esset titulus:

Decreta s. Officii

de festis, declaratione benedictina et quasi-domicilio.

Ea ratione quippe vel ex ipsa inscriptione lector statim intellexisset, cujus originis atque auctoritatis sint documenta ultimo loco exhibita; primaque hac tanti tribunalis mentione, in ipso titulo ultimae actorum partis facta, novo veluti stimulo ad extremum incitatus, alacrior attentiorque lectionem absolvisset. Hic enim etiam apud clericos sacri juris cupidos suo modo valet sententia s. Ambrosii, in breviario semel atque iterum adducta: „Primus discendi ardor nobilitas est magistri".

Inter sacras cardinalium congregationes, cum potestate ordinaria in aula papali constitutas[3]), primum locum tenet „sanctum Officium" sive „congregatio

---

[1]) „Decretum", quod in sex prioribus hujus stationis titulis occurrit, esse terminum technicum, monuimus supra p. 13.

[2]) Veteribus „spondeo" erat dico, loquor; unde „respondeo" proprie est vicissim dico, ad voluntatem rogantis loquor.

[3]) De iis recole, quae superius animadvertimus pp. 55—56.

sacrae romanae et universalis inquisitionis", cujus praefecturam ipse Papa sibi reservavit. „Sanctum officium inquirendi", auctoritatemque procedendi et judicandi in omnibus causis ad fidem ac mores spectantibus in universo orbe christiano, in omnes fideles, clericos et episcopos, exercet. Nota ex recentiori aetate sunt supremi hujus tribunalis decreta circa usuram, magnetismum, cremationem[1]), iterationem sacramentorum baptismi et ordinationis[2]); item circa sepulturam fidelium in coemeteriis haereticorum, circa libros ex indice librorum prohibitorum delendos[3]), et alia in variis menaeis literariis passim vulgata.

Poscente igitur causarum gravitate, sacra congregatio de propaganda fide negotia sibi a concilio plenario proposita ad sanctum Officium remisit, ut ab eo rite expensa cum auctoritate definirentur.

Decretum s. Officii
de festis.

Prima quaestio erat de (reducendis) festis diebus seu feriis sacris, universae foederatarum ditionum ecclesiae de praecepto jam agendis: quam quidem merito fuisse ad sacram hanc congregationem remissam inde patet, quod haec materia propius ad christianam religionem spectet, quum honorem et cultum Dei, sanctorum venerationem, finem supernaturalem et aeternam animarum salutem respiciat: quemadmodum heic breviter innuimus p. 108 et alio loco latius etiam ex professo sumus prosecuti[4]).

Sed et alia ratio supremae congregationis interventum requirebat; Sedes Apostolica quippe olim judi-

---

[1]) Ita vocant abusum comburendi hominum cadavera.

[2]) Vetustiorem sancti Officii sententiam ea in causa latam dedimus in *Symbolis* t. 1., p. 109.

[3]) Ultimum opus, quod indice liberatum sciamus, est liber Patris Croiset, *de devotione SS. Cordis Jesu*, de quo videatur „*Zeitschrift für kath. Theologie*", 1887, pp. 755—756.

[4]) In *Disputationibus academicis*, III., pp. 151—152.

caverat, „aequum haud videri, ut ex eo, quod in nonnullis locis minori numero festa vigeant, idcirco minui etiam debeant, ubi juxta universalis Ecclesiae disciplinam alia adhuc servantur; studiumque episcoporum non eo esse dirigendum, ut dioeceses istae omnes uniformes evadant in iis, quae difformia sunt ab universalis Ecclesiae disciplina, id siquidem incongruum esset et *nationalis* ecclesiae speciem facilius ingereret“[1]). Accedit, quod et „ipsis patribus concilii plenarii anni 1866 visum fuerat, festos dies tunc in unaquaque provincia servari solitos esse retinendos“[2]).

Ut ergo de valore ejusmodi decretorum, quae in gravissima universalis Ecclesiae disciplinae causa, consulto Papa fuerant edita, nonnihil detraheretur, supremum illud tribunal adiri debuit, cui a Summo Pontifice talia negotia noscenda et definienda commissa sunt.

Ex rationibus a synodo adductis ea maxime valuit apud s. Officium, quod „quum fideles in parandis vitae necessariis magna ex parte ab acatholicis pendeant, qui labores diebus festis, nisi in dominicas incidant, intermitti non patiuntur, maxima eorum (fidelium) pars nonnisi cum gravissimis incommodis iisdem diebus ab operibus abstinere et ss. missae sacrificio interesse possit“[3]). — Eadem haec est urgens ratio, qua Summi Pontifices permoti catholicis, qui schismaticis permixti in regionibus vivunt, ubi correctio gregoriana kalendarii nondum est a gubernio civili recepta[4]), saepe concesserunt, ut antiquo computo retento kalendarium julianum in festis agendis servare pergerent.

---

[1]) Cfr. Coll. Lac. t. 3., p. 151. — [2]) Ibid. p. 502.

[3]) Gratulandum est Rmis. episcopis americanis, quod ipsis opus non esset adducere causas imminutionis festorum, quas in antiquo orbe identidem ad obtinendam festorum reductionem allatas legimus, nimirum quod christianus populus, propter nimium festorum numerum plerumque divino officio et publicis precationibus insuper habitis, omne fere tempus inerti otio, aut isto pejoribus conventiculis, compotationibus ac tripudiis in catholicae religionis et ipsius divini numinis contemptum et animarum perniciem absumat.

[4]) Uti v. g. in Russia et in Rumenia.

Rogantibus episcopis igitur congregatio sancti Officii sex dies festos tantum constituit, quos de praecepto omnes in foederatis ditionibus Americae borealis catholici observare deberent, scilicet 1. Immaculatae conceptionis B. M. V.; 2. Nativitatis D. N. J. Ch.; 3. Circumcisionis D. N. J. Ch.; 4. Ascensionis D. N. J. Ch.; 5. Assumptionis B. M. V.; 6. Omnium Sanctorum: quod „per rerum temporumque rationes istorum sex dierum festorum observatio felicius speretur".

Sed praesens disciplinae caput hoc loco non est fusius tractandum, quum in manibus auditorum nostrorum sint, quae de genuinis festorum rationibus ex professo scripsimus in *Kalendario utriusque Ecclesiae*, saepius jam citato.

Decretum s. Officii

de extensione declarationis benedictinae.

Quoniam facultas theologica oenipontanae universitatis ipso hoc anno quaestionem „de declaratione benedictina ejusque extensione" publicae studiosorum concertationi cum praemio subjecit[1]), praesens decretum solito levius nobis est attingendum, ne nos argumentum aliorum certamini propositum praeoccupasse videamur. Sit ergo commentarius noster ad paucas animadversiones contractus.

De juridica natura declarationis benedictinae.

De vera declarationis indole plurimi utriusque juris periti late agunt, quos adducit et sequitur Barbosa, *Axioma* 66. et *Dictio* 80. — Eorum autem, quae multis disputant, brevis summa haec est:

---

[1]) Opus de proposita quaestione scriptum, cui priores fuerint a judicibus tributae, victoriae praemio 300 florenorum austriacorum ornabitur.

1. „Declaratio“ a legislatore facta generatim ab omnibus illis legislatoris actibus differt, per quos aliquid circa legem statuitur, quod antea nondum extitisset, h. e., per quos aliquid novi inducitur. Hinc

2. speciatim distinguitur a dispensatione, derogatione, abrogatione; quin et aliena est ab actibus confirmandi et ampliandi[1]) legem jam existentem, multoque magis abhorret a notione sanctionis novae legis. Est enim certa juris regula, „quod declarans non dicatur jus novum edere seu statuere, sed antiquum declarare“[2]), h. e., manifestum apertumque facere[3]). Unde

3. „Declaratio“ juridico sensu accepta est actus legislatoris, per quem authentice aperitur et, quatenus opus est, manifestatur verus sensus ac genuinus legis valor in particulari aliquo casu proposito[4]).

4. Quae omnia nominatim de declaratione benedictina valere, expresse testatur Pius PP. VII. ita ad Napoleonem I. scribens die 27. Junii 1805: „Le décret de notre prédécesseur Benoit XIV. n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seulement une déclaration, comme porte son titre; c'est-à-dire un développement de ce que sont ces mariages en réalité (Apud Feije, de impedimentis et dispensationibus matrimonii, n. 311).

Ea ergo juridica vis est ac ratio declarationis benedictinae, ut a Summo Pontifice authentice edoceamur, in Hollandia eo tempore locum fuisse epikejae in lege irritante clandestinitatis quoad matrimonia de quorum valore tunc agebatur, propter peculiaria rerum loco-

---

[1]) Qui confirmat vel ampliat, non declarare, sed potius novi quid addere censetur.

[2]) C. Statuto perpetuo 2. de decimis in 6. (III., 13) jcta. gl.

[3]) Ea significandi potestate „declarare“ passim in jure occurrit, quemadmodum allatis testimoniis post alios ostendit Vicat, *Vocabular. juris utriusque*, h. v.

[4]) Relegi possunt, quae eam in rem de declaratione leonina circa solemne votum paupertatis scripsimus in *Disputat. academ.*, I., p. 29.

rumque adjuncta, in quibus nimirum legis, alias certo vigentis, executio non parum ab aequitate recessisset. Sed ne acta agamus, lector recolat quae circa communem doctrinam de probato usu epikejae ad legitimam interpretationem declarationis benedictinae transferendam diximus in *Disputat. academ.*, I., pp. 29—31.

De extensione declarationis benedictinae.

Praemonendum ante omnia est, sermonem esse de declaratione extendenda ad loca, in quibus caput Tridentinum „Tametsi" tanquam lex synodica rite est promulgatum. Ubi enim simile decretum in forma legis dioecesanae est ab episcopo propositum, ibi impedimentum dirimens non existit, neque proinde ulla declarationis extensione opus est[1]).

Deinde animadvertendum est, Romano Pontifici tantum jus competere declarationem benedictinam ad alia loca extendi; licet enim in extensione declarationis non agatur de dispensatione concedenda sive de laxando dirimente matrimonium impedimento, judicium tamen est cum auctoritate ferendum, in iis locis, ad quae declaratio extenditur, eadem omnino rerum adjuncta vigere, ob quae olim Sedes Apostolica declaravit, mentem legislatoris non esse, ut talia matrimonia in Hollandia contrahentes lege clandestinitatis adstricti censeantur. Quod idem circa declarationem leoninam de solemni voto paupertatis factum videmus; pari po-

[1]) Memoratu dignum est exemplum ecclesiae rumeno-catholicae ritus graeci apud Petrum Majoru, relatum ex rescripto romano, ad episcopum Babb dato die 3. Martii 1802, quod haec habet: „Sedes Apostolica, postquam ex relatione Athanasii Rednik, episcopi Fogarasiensis, intellexisset, per ipsius praedecessorem Petrum Paulum Aron legem in conformitate juris concilii Tridentini anno 1763, 29. Junii, latam esse circa invaliditatem matrimonii clandestini, ita factum episcopi Petri Pauli Aron improbavit, ut jusserit matrimonia post divortium, ex clandestinitate factum, inita dirimi, et partes non obstante divortio ad priorem cohabitationem compelli". (Istori'a baser. Romaniloru, p. 313).

testate scilicet, qua initio pro Belgio fuerat edita, postea reperitur ad alias provincias extensa[1]).

Tertio recolenda sunt, quae de effectu extensionis alicujus statuti generatim tradidimus pp. 212—213, omnia scilicet, quae in priori dispositione legislatoris pro uno loco contenta sunt, per extensionem eodem prorsus modo censeri repetita et alteri loco applicata. Atque hinc est, quod quum Benedictus PP. XIV. declarationem suam olim pro Hollandia edendo non dispensaverit in lege clandestinitatis, neque nunc in ejusdem declarationis ad alia loca extensione ratio dispensationis inesse possit.

Quarto tandem silentio non est praetereundum, plerosque episcopos europaeos, in quorum dioecesibus talia matrimonia contrahi solent, ideo jam nolle Summo Pontifici pro extendenda declaratione benedictina supplicare, quod ista matrimonia passim a tribunalibus civilibus quoad ipsum vinculum solvantur et conjuges, post obtentam divortii sententiam, saepe ad alias nuptias transeant. Ne ergo eo in casu pars, quae vel antea jam erat catholica vel, post divortium ab haeresi ad fidem est conversa, indissolubili vinculo matrimonii cum antiquo conjuge, qui novum matrimonium civile iniit, teneatur obstricta, episcopi nunc in mutatis rerum adjunctis extensioni declarationis minus favere conspiciuntur. Atque haec etiam una ex causis fuisse videtur, quibus mota congregatio s. Officii, probante Pontifice, praesenti statuto decreverit, preces concilii plenarii, pro obtinenda universali extensione declarationis benedictinae oblatas, quoad illas regiones tantum admittendas esse, de quibus dubium movetur, sitne declaratio jam extensa necne; quoad ea loca vero, in quibus caput „Tametsi" adhuc certo viget, esse repudiandas.

---

[1]) Cfr. *Disputat. acad.*, I., p. 31.

Decretum s. Officii

de quasi-domicilio.

Circa ultimum hoc septimae stationis decretum, quo universa actorum series absolvitur, duplex pronuntiatio sacrae Inquisitionis est distinguenda: ampliatio judicii decreta die 25. Novemb. 1885 atque in ipsis concilii plenarii actis ad extremum paginae CIX. relata, et sententia definitiva, demum post promulgatum concilium lata die 6. Maji 1886, quae, jam prostat tum in „actis et decretis concilii provincialis Neo-Eboracensis IV.", p. 91, tum in nova editione conciliorum provincialium Cincinnatensium anni 1886, pp. 304—305.

De judicii ampliatione.

„Ampliatio, verbum forense, significat dilationem sententiae ferendae, quod judicibus de causa „nondum liqueat".

Pronuntiata igitur ampliatione judicii, magistratus veluti per juridicam interlocutionem statuit, sententiam definitivam ad aliud tempus differendam esse, quod ipse audita causa, nec penitus adhuc cognita, velit alia actione amplius[1]), h. e., iterum instituenda de negotio plenius doceri.

Ampliationis mentio in civilis et canonici juris libris passim occurrit. — Antiqui romani ampliationem significabant datis in tabella literis N. L., h. e., non liquet; sacrae cardinalium congregationes communiter utuntur formula „dilata". Sanctum Officium praesenti ampliationis sententia, omissis consuetis juris vocabulis, rem ipsam explicat, mentem suam ita declarans: „relate ad aliam petitionem, qua poscebatur, ut simplex factum commorationis unius mensis in aliquo loco sufficeret ad ibi acquirendum domicilium et valide matrimonium

[1]) A causa „amplius" cognoscenda ipsum nomen „ampliatio" est ortum.

contrahendum, Emi. patres, rem perpendere cupientes, responsionem differendam esse censuerunt".

Ex ampliato judicio autem inferri debet, praesentem causam Emis. patribus inquisitoribus visam esse caeteris, quae simul fuerant a synodo propositae atque a congregatione statim in prima actione definitae, multo graviorem ac talem, quae diligentius esset expendenda, antequam edi decretum definitivum posset. Et erat sane cur quaestio de acquirendo quasi-domicilio tanti momenti esse judicaretur; per eam enim ipsum sacramenti valorem attingi manifestum est, quum agatur de forma contractui matrimoniali praescripta, actus vero sine sua forma omni jure nullus sit atque irritus. Forma nimirum matrimonio valide contrahendo praescripta ex jure Tridentino sita est in eo, ut consensui de praesenti inter personas habiles praestito simul adsit „proprius" parochus[1]) cum duobus tribusve testibus[2]): ut proinde in locis et casibus, ubi lex universalis Tridenti condita obligat, propter solum defectum formae nihil agatur, si non omnes simul atque una praesto sint. Ergo de gravissimo argumento valoris sacramenti sermo erat, quum de ratione quaerebatur, qua quis per quasi-domicilii adeptionem jus parochiae acquirere „propriumque" parochum sortiri posset.

Materiam decreti quod spectat, non est quod calamum in ea exponenda hic defatigemus, quum ejus argumentum omnibus bonis auctoribus sit familiare, qui decretalium titulos „de foro competenti" (II., 2), „de parochiis et alienis parochianis" (III., 29), „de clandestina

---

[1]) Semper intelligitur: „aut alius vel ejusdem parochi vel episcopi mandato sacerdos".

[2]) Quod dictum superius est in interpretatione nominis „rogitus" p. 89, notarium scilicet et, qui scripturae publicae conficiendae praesto esse debent, testes in casibus a jure determinatis (v. g. in testamento condendo) rogandos, h. e., speciatim invitandos et vocandos esse, id in matrimonio non requiritur; valet enim matrimonium, etiam si hi omnes casu reperti aut aliam ob causam vocati praesentes sint, dummodo id quod agitur ita intelligant, ut rei gestae testes agere possint.

desponsatione" (IV., 3) commentariis illustrarunt. — Sed et propriam, eamque practico ipsorum Americanorum usui accommodatam instructionem s. Officii habemus in appendice concilii pp. 255—257.

Verissimis ergo, quae ibidem fuse traduntur, juris principiis suppositis, haec tantum pro faciliori intelligentia decreti animadvertimus:

Distinctione facta inter domicilium commune seu generale et domicilium speciale seu privatum; attento item discrimine inter domicilium naturale, h. e., originis et domicilium accidentale sive habitationis; facta denique separatione veri domicilii habitationis a quasi-domicilio, dici generatim potest, ad constituendum verum domicilium habitationis duo conjuncte requiri ac sufficere, animum scilicet ac factum: „animum", quo quis secum proponat eo in loco habitationem stabilem ac perpetuam ita constituere, ut inde rursus non sit discessurus, „si deinde nihil avocet"; „factum" autem, quo quis reapse habitationem in tali loco constituat.

Inde vero colligi facile poterit, quidnam appellatione „quasi-domicilii" veniat. Quamvis enim adverbium „quasi" nonnunquam usurpatur per modum causae et sic acceptum veritatem significat[1]); communiter tamen per modum similitudinis ponitur generatimque dicitur esse vox improprietatis, fictionis, abusionis et diminutionis significativa, quemadmodum post alios fuse docet Barbosa, *dictio* 311., et nos ipsi jam tradidimus p. 56, allatis exemplis vocabulorum „quasi-episcopalis" et „quasi-ordinarius".

Translato igitur vocabulo ad locum habitationis denotandum, „quasi-domicilium" quoque domicilium significat, quia et ipsum contrahitur animo et facto, verum cum duplici diminutione, quoad causam efficientem et quoad effectum; et causam efficientem quod attinet, ad quasi-domicilium acquirendum sufficit animus

---

[1]) Ut Joan. 1., „Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre".

per majorem anni partem ibi consistendi; relate ad effectum autem quasi-domicilium inquilinum, ut alia omittamus, non reddit subditum in ordine ad onera et munera publica.

Utrique autem commune est, ut, „si legitime constet de animo et facto, ex eo primum die, quo haec simul concurrunt, quasi-domicilium, non secus ac verum domicilium, sit acquisitum“[1]).

Sic igitur studiosi, famuli, milites stativa habentes aliique omnes, qui negotii expediendi causa, quod pro sua natura longiorem moram postulat, in aliquo loco habitant, ibidem quasi-domicilium nanciscuntur.

Quoad competentiam fori ac jus parochiae quasi-domicilium eandem vim habet ac verum domicilium: ut adeo quasi-domicilium in aliqua parochia sortiti, ibidem omnia sacramenta, praeter ordinem, recipere, ac nominatim matrimonium ad normas juris communis a concilio Tridentino statuti[2]) „in facie ecclesiae“ valide contrahere possint.

Sed de his plura dicere nolumus, quum adiri facile possint auctores, qui in commentariis suis ad laudatos decretalium titulos totum hoc argumenti genus solide pertractarunt.

Decretum s. Officii.

Romae, 21. Junii 1886.

Eme. ac Rme. Dne. Dne.[3])

Supplices preces patres concilii tertii plenarii Baltimorensis Summo Pontifici exhibuerunt, ut decernere

---

[1]) Ita laudata instructio s. Officii, l. c. p. 256. — Consuli etiam merentur, quae de eodem argumento accurate, uti solet, disputat Ballerini in *notis ad theolog. moral. P. Gury*, t. 2., n. 839.

[2]) Licet matrimonia clandestina ante concilium Tridentinum aliquibus in regionibus (v. g. in Hungaria) speciali jure consuetudinis fuerint irrita, lege communi tamen valebant, quantumvis licet prohibita poenisque subjecta.

[3]) Datae sunt literae ad Emum. card. Gibbons, archiep. Baltimoren.

dignaretur, „eos, qui e sua dioecesi in aliam transeunt, modo in hoc spatio unius mensis commorati sint, eo ipso, nulla facta inquisitione de animo manendi majorem anni partem, censendos esse acquisivisse quasi-domicilium ad matrimonium contrahendum“.

Eminentissimi inquisitores generales, die 6. Maji 1886, re mature perpensa, sequens ediderunt decretum:

„Concilio Baltimorensi postulante, supplicandum SSmo., ut decernere dignetur, in statibus Americae confoederatis, se transferentes e loco, ubi viget caput *Tametsi*, in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint, per spatium saltem unius integri mensis, et status sui libertatem, uti juris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem“. „In audientia vero diei 12. Maji 1886, referente R. P. D. Josepho D'Annibale, s. Officii adsessore, SSmus. Dnus. Leo PP. XIII. praedictum EE. PP. decretum suprema sua auctoritate ratum habere et confirmare dignatus est: contrariis quibuscunque non obstantibus“.

Jam vero Eminentiam Tuam rogo, ut hujusmodi decretum omnibus archiepiscopis et episcopis statuum foederatorum communicari cures.

Interim manus Eminentiae Tuae humillime deosculor,

Eminentiae Tuae

humillimus addictissimus servus verus

Joannes card. Simeoni, praefectus

D. archiep. Tyren. secret.

Petenti concilio non fuit, ut vides, omni ex parte satisfactum; gratiam enim, quae absolute pro omnibus universis „e sua dioecesi ad aliam transeuntibus“ fuerat petita, Sedes Apostolica restricte tantum pro iis concessit, qui „e loco, ubi viget caput *Tametsi*, se in alium

locum transtulissent" et[1]) status sui libertatem, uti juris est, comprobassent[2]). — Atque hinc etiam est, cur sacra Inquisitio pro vocabulo „dioecesis", quod synodus adhibuerat, accuratiori circumlocutione usa, posuerit „locum, ubi viget caput *Tametsi*". Quando scilicet de valore matrimoniorum clandestinorum quaeritur, non tam attenditur ad dioecesim generatim sumptam, quam ad singula ejus loca, quae ex natura sua apta sint, ut ibidem rite et cum effectu fidelibus fiat praescripta legis Tridentinae promulgatio: cujusmodi praeter ecclesias parochiales proprie dictas censentur esse ecclesiae omnes, quas vocant „districtuales", juribus parochiarum per omnia gaudentes[3]); lex clande-

---

[1]) Quod doctores de natura dictionis „et" generatim tradunt esse, ut praecedentia cum sequentibus aequaliter jungat et nectat, id ita in hunc locum accidere patet, ut in sensu composito sumpta censeatur, et utriusque copulati concursum necessario requirat. Quare effectum limitantem hic habet numerumque privilegiatorum notabiliter restringit: ea ferme ratione, qua „limitative stare dicitur, dum est posita inter genus praecedens et speciem subsequentem", quemadmodum aliis praeeuntibus docet Barbosa, *Dictio* 110., n. 36.

[2]) Cur s. Officium consuetae inquisitioni de animo per majorem anni partem ibi permanendi legitimam probationem libertatis status in America substitui voluerit, ex iis conjicere possumus, quae circa eandem materiam in praeclaris decretis concilii Neo-Eboracensis IV. praescripta leguntur c. 11., art. 19: „In hac regione praesertim, ubi tot advenae sedes figunt, atque ipsi incolae facillime de loco in locum migrant, haud raro evenit, ut quidam improbi ingenii conjuges, prima relicta comparte, aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducant. Eapropter maximi est momenti, ut nupturientes, antequam ad matrimonium contrahendum admittantur, si aliunde advenerint, certa proferant documenta suae libertatis a ligamine aliisque impedimentis. Ad hoc tempestive moneantur, ut procurent sibi literas testimoniales pastoris loci, ubi ultimo saltem tempore domicilium vel quasi-domicilium habebant, aut aliter certe testimoniis fide dignis probent suam libertatem" (pp. 53—54).

[3]) Ad hoc, ut certo cuidam loco sacro jura vere parochialia censeantur tributa, non requiri, ut ejus ecclesiae rector ad missam pro populo applicandam sit obligatus, patet tum ex iis, quae de natura rectoratuum inamovibilium scripsimus pp. 201—202, tum ex solidis rationibus, quibus eandem sententiam more suo egregie firmat cl. A. Lehmkuhl, *Theol. moral.*, n. 789; edit. 4., pp. 564—565. — Caeterum quaestio haec, „quaenam ex ecclesiis curatis in regionibus missionum ita sint comparatae, ut lex clandestinitatis in iisdem proposita jam

stinitatis enim non pertinet ad loca, quae sensu indicato vere dixeris parochialia sive districtualia, ubi non fuit speciatim promulgata, quemadmodum ex iis eruitur, quae superius sunt animadversa pp. 33—34. Quaenam autem ea loca in statibus foederatis sint, in quibus caput *Tametsi*, sive in prima sua extensione acceptum, sive ad limites declarationis benedictinae exactum, in praesenti obtineat, ipsi patres concilii plenarii ex ordine indicant in actis pp. CVII—CVIII. — Et haec quidem de transeuntibus e locis, ubi Tridentina lex *Tametsi* anni 1563 recepta est.

Qui ex caeteris locis, in quibus Tridentinum clandestinitatis jus non viget, in alium ejusdem reipublicae locum migraverint, per commorationem unius mensis quasi-domicilium hoc decreto concessum, non sortiuntur, neque proinde parochum proprium ibidem habent, qui eos valide (si eo in loco lex clandestinitatis viget) vel licite (si eadem lex non valet) matrimonio conjungere possit, quamvis status sui libertatem coram eo rite probaverint. Atque hac in parte debita cum reverentia recedimus a doctissimo, quem modo laudavimus, A. Lehmkuhl, absolute atque universim tradente, „pro statibus foederatis Americae septentrionalis propter praesens sancti Officii decretum simplicem commorationem unius mensis sufficientem titulum esse ad matrimonium valide contrahendum“ (not. ad n. 775, pp. 554—555, edit. cit.).

---

ad mentem concilii Tridentini sufficienter promulgata censeri possit“, de genere earu causarum esse dignoscitur, quae, utriusque juris sententia, „magis ac melius ex ostensione facti intellectu percipi, quam allato aliquo statuto elocutione certa exprimi possunt“: prout habet glossa ad c. Apostolicae 9. X. de donationibus (III., 24), et iterum ad c. Quam sit ecclesiis 6 de electione in 6. (I., 6).

Transitio
ad secundam partem codicis
sive
ad decreta Concilii.

Atriensi, quam cum juris sacri auditoribus per omnes septem stationes instituimus, deambulatione rite jam absoluta, synodicisque negotiis, quae in variis exedris a patribus sunt agitata, attente auditis, ac pretiosis materiis, quae velut rara suppellectilis per omnia peristyli cubicula in circuitu sunt oculis visentium expositae, studiose consideratis atque ex vero suo pretio aestimatis; jam ad fores ipsarum aedium pervenimus, in quibus decreta concilii propriis suis armariis, arcis, capsis distincte apteque asservata, in tribus veluti domus tabulatis[1]), ordinatam et fixam sedem habent.

Antequam autem instituamus palatii limen intrare, sedulo anquirendae sunt claves, quibus ostia domus aliaque cubiculorum zothecarumque portae ac multiplicia decretorum repositoria facile aperiantur: quae si quis vel ad manum non habeat vel recte adhibere nesciat, omnes aditus sibi interclusos vel certe difficiles atque arduos videbit, neque ex aedibus extrinsecus tantum inspectis magnum utilitatis fructum percipiet. — Claves istas januis armariisque aperiendis aptatas dicimus sufficientem cognitionem authenticorum fontium seu locorum juridicorum, nominatim vero ipsius corporis juris canonici, ubi jus commune reperitur, et in quo fundamentum omnium legum synodicarum est

---

1) Recolantur, quae de decretorum divisione praemonuimus p. 5.

positum. — Est autem Americanis praeambula haec notitia „principii cognitionis“ juris communis vel ideo diligenter quaerenda, quod ipsa synodus plenaria in decretis circa concursum sacerdotes nominatim ad corpus juris canonici deleget, quum hunc codicem unum ex quatuor libris[1]) esse voluerit, „quorum usus in responsis scripto absolvendis permittatur“ (n. 48). — Accedit eo, quod Summi Pontifices venerabili clero americano necessitatem juris communis pedetentim introducendi adeo inculcent, ut immo expresse animadvertant, ea, „quae interim ob difficilia rerum adjuncta gravibusque de causis, annuente Apostolica Sede, contra disciplinam seu commune jus Ecclesiae aguntur, tantum fieri per modum tolerantiae ac provisoria ratione: ideoque adnitendum omni ope, ut universalis disciplinae observantia paulatim restitui valeat[2])“. Ad hoc autem praevia notitia genuinorum fontium seu locorum juridicorum acquiri, atque inde ipsum sacrorum canonum volumen ex armario educi et per singulas partes suas explicari ob oculos debet[3]).

[1]) Reliqui tres libri sunt „scriptura sacra, concilium Tridentinum, concordantiae sacrorum bibliorum“. — Minus liberalem se exhibuit synodus plenaria Australasiae apud Sydney habita anno 1885; per ejus decreta enim duorum operum usus tantum conceditur, scripturae sacrae et concilii Tridentini (n. 53). Cfr. acta et decreta edita Sydney, typ. Cunninghame, 1887, p. 23.

[2]) Cfr. Coll. Lac., t. 3., p. 151.

[3]) Quod si quis forte dispositioni corporis juris sacri diligentius proponendae difficultatem inde afferret, quod nimis multum de valore decretalium in eo contentarum jam sit detractum, quam ut pretium censeri possit operae, tempus in accuratiori ejus cognitione acquirenda consumere, opponenti scrupulum tolleret ipsum volumen juris nostri, de legibus antiquatis haec omnino tradens c. Fuerunt autem 2. Dist. 7: „antiquarum legum (abolitarum) etsi jam nullus est usus, notitia tamen necessaria videtur“; neque sunt, notante glossa, ea de causa membranas inutiliter occupare dicendae, quod antiquatae reperiantur; „earum notitia enim est necessaria, tum ut sciatur causa, quare sint sublatae (Cod. de caducis tollendis, leg. un., VI. 51); tum quia et ipse Papa argumentatur ex abrogato jure (c. Novit X. de judiciis II., 1); tum etiam est necessaria, non ut probentur, sed ut reprobentur male dicta . . .“. Cfr. gl. ad c. Fuerunt autem, et gl. ad c. Si Romanorum 1. Dist. 19.

De ordine et allegatione corporis juris canonici.

Corpus juris canonici sex collectionibus canonum constat, e quibus prima edita est medio saeculo duodecimo. — Recentissimum caput ultimae collectionis est anni 1483, scilicet constitutio Sixti PP. IV. de immaculata conceptione[1]; unde non sine veri specie dici potest, corpus juris canonici spatio 333 annorum circiter (1150—1483) fuisse confectum.

Sex collectiones corporis juris canonici sunt:

1. Decretum Gratiani an. 1150 circ.;
2. Decretales Gregorii PP. IX. an. 1234;
3. Decretales Bonifacii PP. VIII. an. 1298;
4. Decretales Clementis PP. V. an. 1313;
5. Extravagantes Joannis PP. XXII. an. 1340.
6. Extravagantes communes.

Omissa quaestione propria de authentia, haec sunt de singulis collectionibus animadvertenda:

I. De decreto Gratiani.

A. De ordine decreti.

Decretum distribuitur in tres partes.

Prima agit, post data principia juris, *de personis ecclesiasticis*. Constat 101 *distinctionibus* in certos canones divisis iisque suis numeris distinctis.

Altera est *de judiciis ecclesiasticis*. Constat *causis* 36 subdivisis in *quaestiones*, quae distinctae pariter sunt in canones suos. Quaestioni 3. quaestionis 33 insertus est tractatus fori interni seu *de poenitentia*, iterum in distinctiones et canones subdivisus.

Tertia tractat *de rebus sacris* ac vulgo dicitur *de consecratione*. Constat 5 distinctionibus item in canones suos subdivisis.

---

[1]) C. Grave nimis 2. de reliquiis et veneratione sanctorum. Extrav. (III., 12).

B. De ratione citandi canones ex decreto.

Initium fit vel a numero, vel a vocabulo initiali, vel ab utroque simul.

Si canon est primae partis, subjungitur *dist.;* si secundae, adjicitur C. (causa) et q. (quaestio), si tertiae, additur *de cons.* — Si citatio fiat ex causae 33. q. 3., praemittitur canon cum distinctione et adscribitur *de poenitentia.*

Exemplum ex prima parte:

C. 2. dist. 32., vel
C. Multorum dist. 32., vel
C. 2. Multorum dist. 32., vel
C. Multorum 2. dist. 32.

Exemplum ex altera parte:

C. Non liceat 14. C. 3. q. 6.
C. 14. Non liceat. C. 3. q. 6. etc.

Exemplum ex Causae 33. quaestione 3:

C. Lacrymae 2. dist. 1. de poenitentia.

C. De dictis Gratiani et de Palea.

Dicta Gratiani vocantur verba ipsius Gratiani, quibus solet vel distinctiones ac quaestiones ordiri, vel canones connectere, vel discordantes partes conciliare.

Amplius centum canones sive capita in decreto Gratiani occurrunt, quae Palea inscribuntur; quaeque saepe de gravissimis rebus ac negotiis agunt: ut puta c. 2. dist. 32 (de subdiaconorum continentia) et c. 3. C. 1. q. 2. (de simonia in sacris ordinationibus vitanda).

Ex variis doctorum conjecturis de origine ejusmodi inscriptionis nobis ea videtur similior veri, quae statuit, initio positum fuisse „post alia“, h. e., post alia capita ab ipso Gratiano jam collecta ponendos esse canones istos, qui ab aliis doctoribus fuerunt in

margine adnotati. Ex „P. alia“ ortum „Palia“, unde librarii codicem describentes „Palea“ fecerunt.

Quemadmodum caeteri canones omnes in decreto contenti ad fontes suos revocandi sunt, ut cujusque capitis expendi vis possit: ita et „Palearum“ auctoritas ex fontibus, unde haustae sunt, est dimetienda.

II. De collectionibus decretalium[1]).

A. De ordine decretalium.

Quinque collectionum decretalium una eademque digestio est; in singulis enim juris materia in quinque libros invenitur distributa juxta notissimum versiculum:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

Ex iis liber 1. agit de personis, praecipue de praelatis et judicibus ecclesiasticis; 2. de judiciis deque ordine in iis servando; 3. de rebus ad ecclesiam pertinentibus, tum spiritualibus tum temporalibus; 4. de matrimonio deque causis matrimonialibus; 5. de criminibus deque processu criminali.

Singulorum librorum divisio est in titulos; tituli vero habent capita sive canones cum suis numeris.

B. De ratione citandi decretales:

1. ex libris quinque compilationis Gregorii PP. IX.

Canones seu capita citantur, ut in praecedentibus dictum est, vel adducto numero, quem in suo titulo habent, vel posito verbo initiali, vel utroque simul; adscribiturque titulus, sub quo reperitur. Apud antiquiores liber ipse efferri non solet. Recentioribus tamen jam est in more positum, librum cum tituli numero intra parenthesim adnotare: quem usum et nos

---

[1]) Recoli de ratione decretalium possunt, quae superius animadvertimus p. 13.

in eorum juvenum gratiam sequimur, quibus manca adhuc est corporis juris sacri cognitio. Sic igitur invenies:

C. 6. de censibus[1]);
C. Quum Apostolus. de censibus;
C. Quum Apostolus 6. de censibus.
C. 6. Quum Apostolus. de censibus.

Quoniam vero antiquitus solum Gratiani decretum corpus juris constituebat, decretales Gregorii PP. IX coeperunt citari addita voce *extra*, vel ejus loco litera X, quae etiam scribitur Ẍ vel x: quem citandi modum in Germania nunc passim receptum et nos sequimur. Quare caput jam allatum communiter ita adducimus:

C. Quum Apostolus 6. X. de censibus.

Quia compilatio decretalium Gregorii PP. IX. antiquior est caeteris quatuor collectionibus, quae eam in corpore juris sequuntur, citatur etiam adscripta nota *in antiquis*.

In praesenti opusculo servamus citandi formulam:

C. Quum Apostolus 6. X. de censibus (III., 39), quae sic erit legenda: Caput „Quum Apostolus“ sextum, extra, de censibus, (libri tertii titulus 39.)

2. ex caeteris quatuor decretalium collectionibus.

Citantur canones eodem modo, quo praecedentes Gregorii PP. IX., adhibitis tamen certis notis, quibus singularum compilationum distinctio manifesta fiat.

In adducendis decretalibus Bonifacii PP. VIII. utuntur signis *in sexto* vel *in 6.*[2]); in decretalibus Clementis PP. V. apponunt vel etiam praescribunt *Clem.*,

---

[1]) Integer titulus est: „de censibus, exactionibus et procurationibus“.

[2]) Librum sextum claudunt celebres 88 regulae juris, quae citantur Reg. jur. in 6.

in reliquis duabus collectionibus adhibent decurtatas voces *Extrav.* sive *Commun.*, si quod citatur caput ex volumine extravagantium communium fuerit[1]), et *Extrav. Joan. XXII.*, si in ejusdem Papae decretalibus reperiatur[2]).

Exempla citationum ex istis quatuor decretalium collectionibus:

C. Quoniam aliqui 1. de renuntiatione in 6. (I., 7).

C. Factum 73. reg. jur. in 6. (V., 13).

C. Si Dominum. un.[3]) de reliquiis et venerat. SS. Clem. (III., 16).

C. Ad conditorem 3. de verborum signif. Extrav. Joan. XXII. (XIV).

C. Super gentes. un. de consuetudine. Extrav. com. (I., 1).

De selectis quibusdam vocabulis technicis in usu corporis juris occurrentibus.

Habent singulae scientiae singulaeque artes vocabula quaedam technica, a loquendi scribendique forma, a communi usu aliena, artificibus tantum et peritis cognita, quibus ea quae sunt artis ac disciplinae inter se exprimunt. Haec, quamdiu quis ignoraverit, haud sane magnos faciet in arte ulla progressus[4]).

Praecipua ejusmodi vocabula, quibus jurisperiti in adhibendo corpore juris utuntur, haec ferme sunt:

---

[1]) Extravagantes communes defectu materiae carent libro 4.

[2]) Extravagantes Joannis PP. XXII. ne divisionem librorum quidem habent, communem ordinem tamen sequuntur. Numerantur 20 sub titulis 14 uno libro comprehensae.

[3]) Hoc est „unicum“ illius tituli.

[4]) Cfr. quae de usu terminorum technicorum in jure habet Doujat in *praenotionibus canonicis*, lib. 5., c. 19.

titulus, rubrica, rubrum, nigrum, summarium, paragraphus, partes decisae (p. d.), et infra, glossa, juncta glossa (jcta. gl.), sigla, notae.

De ratione nominis *tituli* semel atque iterum supra jam est disputatum pp. 6 et 203. Hoc loco translate sumitur pro sectione seu parte alicujus operis; vocabuloque sic accepto, plerique libri corporis juris canonici certo quodam titulorum numero constare cognoscuntur.

Rubrica proprie est terra rubri coloris, qua et pictores utuntur. Metonymice significat inscriptionem legum, quod olim rubrica notarentur tituli ac capita librorum distinctionis et ornatus gratia. Neutraliter etiam *rubrum* appellatur.

Nigrum contra ipse textus dicitur, qui rubro subjectus legitur.

Rubrica argumentum textus seu nigri paucis exhibet; eapropter et *index* vocatur.

Hinc ortae sunt dicendi formae: „rubrum explicat nigrum“, h. e., „valet argumentum a rubro ad nigrum“[1]), „nigrum restringit rubrum“[2]), et aliae similes.

In decretalibus rubrica titulorum vim legis obtinet, si sensum perfectum exhibeat[3]), secus ab auctoritate legali deficit[4]). — Rubrica capitulorum contra, quum privata auctoritate addita a doctoribus sit pro majori legentium commoditate, nunquam legem constituit. Haec proprie *summarium* vocatur.

Paragraphus sumitur 1⁰ pro periodo alicujus longioris capituli seu legis, et 2⁰ pro vulgari nota §, quo hujusmodi capitulorum sectiones distinguuntur.

---

[1]) Hae dictiones usui sunt in explicando titulo 28 libri 5. „de clerico non ordinato ministrante“.

[2]) Ex hoc axiomate rationes deducuntur ad exponendum titulum 29 libri 2. „de clericis peregrinantibus“.

[3]) V. g. „Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur“ (III., 12), „Ne clerici vel monachi negotiis saecularibus se immisceant“ (III., 50).

[4]) V. g. „de postulando“, „de institutionibus“, „de precariis“, „de novi operis nuntiatione“.

Partes decisae (p. d.) vocantur partes decretalium omissae ac resectae vitandae prolixitatis causa. Eorum loco ponuntur duo haec vocabula *et infra* (et j.), ut indicetur, aliquid ibi deesse eorum, quae in originali habentur[1]).

Glossa (gl.), graece *γλῶσσα*, lingua, proprie denotat vocabulum vulgo incognitum vel quia peregrinum et barbarum, vel quia obsoletum et uni genti tantum proprium.

A vocabulo incognito translata vox est ad ipsam vocabuli obscuri expositionem, atque inde ad quamlibet verborum et rerum interpretationem.

Jurisperitis speciatim glossa est vetus interpretatio, quae sacris canonibus in corpore juris collectis adscripta et communiter recepta est. Ea licet vim juris non obtineat, minime tamen est negligenda, praesertim ubi claris textibus destituimur.

Dictionis *juncta glossa* (jcta. gl.) sensus est, non ex solis verbis textus canonis constare id quod asseritur vel de quo agitur, sed eruendum esse ex utroque fonte simul, ex textu atque ex glossa. Alias diceretur *collata glossa.*

Sigla et *notae* pertinent ad abbreviationes. Abbreviatio per *sigla*[2]) fit adhibitis initialibus literis vocum, quarum singulae vocem integram significant[3]), ut ecce:

S. P. Q. R = Senatus populusque romanus.
S. J. = Societatis Jesu.
O. S. B. = Ordinis s. Benedicti.
A. R. = Appellatione remota.

---

[1]) Sic ope notarum *et j.* adduci posset quarta petitio orationis dominicae: „Pater noster“ (et j.), „Panem nostrum quotidianum“ etc. Verba interjecta inter verba „noster“ et „panem“, quae hic omissa sunt, constituunt „partem decisam“.

[2]) In corpore juris civilis dicuntur *σίγγλαι, singglae, sigglae.*

[3]) Eas Gellius, *Noct. attic.* 17., 9, non immerito „literas singularias“ vocavit.

De abbreviatione per *notas* loco literarum adscitas, superius jam disseruimus pp. 87—88.

Sed plura dicere de hac materia nolumus, quoniam quae ad cognitionem corporis juris canonici acquirendam pertinent, instanti usu atque „magistra rerum efficaci experientia"[1]) potius quam jejunis artis regulis in schola perceptis addisci debent; in hoc causarum genere enim praecipua quadam ratione obtinet monitum veteris glossae, „quod doctor vel artifex non sint effectualiter magistri sine practica, quum, notante philosopho, natura seu doctrina praeceptis acquisita potentem, ars facilem, usus denique promptum reddant artificem"[2]).

Quapropter id unum est reliquum, ut in faciliores tironum usus seriem titulorum primae collectionis decretalium adscribamus, inclusis intra parentheses illis partibus, quae vulgo omitti in citandis canonibus solent[3]).

---

1) C. Quam sit. 6. de electione in 6. (I., 6).

2) Ad c. Quam sit cit.

3) In priori, quam hic absolvimus, commentariorum parte titulos plerumque in forma extensa adduximus, quod ex auditoribus essent, qui se adhuc elementarios in literis juridicis profiterentur; quae causa quum per assiduum semestre studium jam sit sublata, posthac communem citandi modum sequemur.

ORDO TITULORUM

in libris quinque decretalium Gregorii PP. IX.

Liber I.

Tit. 1. De summa trinitate (et fide catholica).
„ 2. De constitutionibus.
„ 3. De rescriptis.
„ 4. De consuetudine.
„ 5. De postulatione (praelatorum).
„ 6. De electione (et electi potestate).
„ 7. De translatione (episcopi).
„ 8. De auctoritate et usu pallii.
„ 9. De renuntiatione.
„ 10. De supplenda negligentia (praelatorum).
„ 11. De temporibus ordinationum (et qualitate ordinandorum).
„ 12. De scrutinio (in ordine faciendo).
„ 13. De ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit (episcopatui).
„ 14. De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum.
„ 15. De sacra unctione.
„ 16. De sacramentis non iterandis.
„ 17. De filiis presbyterorum (ordinandis vel non).
„ 18. De servis (non ordinandis et eorum manumissione).
„ 19. De obligatis ad ratiocinia (ordinandis vel non).
„ 20. De corpore vitiatis (ordinandis vel non).
„ 21. De bigamis (non ordinandis).

Tit. 22. De clericis peregrinis.
„ 23. De officio archidiaconi.
„ 24. De officio archipresbyteri.
„ 25. De officio primicerii.
„ 26. De officio sacristae.
„ 27. De officio custodis.
„ 28. De officio vicarii.
„ 29. De officio et potestate judicis delegati.
„ 30. De officio legati.
„ 31. De officio judicis ordinarii.
„ 32. De officio judicis.
„ 33. De majoritate (et obedientia).
„ 34. De treuga et pace.
„ 35. De pactis.
„ 36. De transactionibus.
„ 37. De postulando.
„ 38. De procuratoribus.
„ 39. De syndico.
„ 40. De his, quae vi (metusve causa fiunt).
„ 41. De in integrum restitutione.
„ 42. De alienatione judicii mutandi causa.
„ 43. De arbitris.

Liber II.

Tit. 1. De judiciis.
„ 2. De foro competente.
„ 3. De oblatione libelli.
„ 4. De mutuis petitionibus.
„ 5. De litis contestatione.
„ 6. Ut lite non contestata (non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam).
„ 7. De juramento calumniae.
„ 8. De dilationibus.
„ 9. De feriis.
„ 10. De ordine cognitionum.

Tit. 11. De plus petitionibus.
„ 12. De causa possessionis (et proprietatis).
„ 13. De restitutione spoliatorum.
„ 14. De dolo et contumacia.
„ 15. De eo, qui mittitur (in possessionem causa rei servandae).
„ 16. Ut lite pendente (nihil innovetur).
„ 17. De sequestratione (possessionum et fructuum).
„ 18. De confessis.
„ 19. De probationibus.
„ 20. De testibus (et attestationibus).
„ 21. De testibus cogendis (vel non).
„ 22. De fide instrumentorum.
„ 23. De praesumptionibus.
„ 24. De jurejurando.
„ 25. De exceptionibus.
„ 26. De praescriptionibus.
„ 27. De sententia (et re judicata).
„ 28. De appellationibus, (recusationibus et relationibus).
„ 29. De clericis peregrinantibus.
„ 30. De confirmatione (utili vel inutili).

Liber III.

Tit. 1. De vita et honestate (clericorum).
„ 2. De cohabitatione clericorum (et mulierum).
„ 3. De clericis conjugatis.
„ 4. De clericis non residentibus (in ecclesia vel praebenda).
„ 5. De praebendis (et dignitatibus).
„ 6. De clerico aegrotante (vel debilitato).
„ 7. De institutionibus.
„ 8. De concessione praebendae (et ecclesiae non vacantis).
„ 9. Ne sede vacante (aliquid innovetur).
„ 10. De his, quae fiunt a praelato (sine consensu capituli).

Tit. 11. De his, quae fiunt a majori parte (capituli).
„ 12. Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.
„ 13. De rebus ecclesiae alienandis (vel non).
„ 14. De precariis.
„ 15. De commodato.
„ 16. De deposito.
„ 17. De emptione (et venditione).
„ 18. De locato (et conducto).
„ 19. De rerum permutatione.
„ 20. De feudis.
„ 21. De pignoribus (et aliis cautionibus).
„ 22. De fidejussoribus.
„ 23. De solutionibus.
„ 24. De donationibus.
„ 25. De peculio clericorum.
„ 26. De testamentis (et ultimis voluntatibus).
„ 27. De successionibus (ab intestato).
„ 28. De sepulturis.
„ 29. De parochis (et alienis parochianis).
„ 30. De decimis, (primitiis et oblationibus).
„ 31. De regularibus (et transeuntibus ad religionem).
„ 32. De conversione conjugatorum.
„ 33. De conversione infidelium.
„ 34. De voto (et voti redemptione).
„ 35. De statu monachorum (et canonicorum regularium).
„ 36. De religiosis domibus (ut episcopo sint subjectae).
„ 37. De capellis monachorum (et aliorum religiosorum).
„ 38. De jure patronatus.
„ 39. De censibus, (exactionibus et procurationibus).
„ 40. De consecratione (ecclesiae vel altaris).
„ 41. De celebratione missarum, (sacramento eucharistiae et divinis officiis).
„ 42. De baptismo (et ejus effectu).

Liber IV.

Tit. 18. Qui matrimonium accusare possunt (vel contra illud testificari).
„ 19. De divortiis.
„ 20. De donationibus inter virum et uxorem (et de dote post divortium restituenda).
„ 21. De secundis nuptiis.

Liber V.

Tit. 1. De accusationibus, (inquisitionibus et denuntiationibus).
„ 2. De calumniatoribus.
„ 3. De simonia, (et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur).
„ 4. Ne praelati vices suas (vel ecclesias sub annuo censu concedant).
„ 5. De magistris (et ne aliquid exigatur pro licentia docendi).
„ 6. De Judaeis, (Saracenis et eorum servis).
„ 7. De haereticis.
„ 8. De schismaticis (et ordinatis ab eis).
„ 9. De apostatis (et reiterantibus baptisma).
„ 10. De his, qui filios occiderunt.
„ 11. De infantibus (et languidis expositis).
„ 12. De homicidio (voluntario vel casuali).
„ 13. De torneamentis.
„ 14. De clericis pugnantibus (in duello).
„ 15. De sagittariis.
„ 16. De adulterio (et stupro).
„ 17. De raptoribus, (incendiariis et violatoribus ecclesiarum).
„ 18. De furtis.
„ 19. De usuris.
„ 20. De crimine falsi.
„ 21. De sortilegiis.
„ 22. De collusione (detegenda).
„ 23. De delictis puerorum.

Tit. 24. De clerico venatore.
„ 25. De clerico percussore.
„ 26. De maledicis.
„ 27. De clerico excommunicato, (deposito vel interdicto ministrante).
„ 28. De clerico non ordinato (ministrante).
„ 29. De clerico per saltum promoto.
„ 30. De eo, qui furtive (ordinem suscepit).
„ 31. De excessibus praelatorum (et subditorum).
„ 32. De novi operis nuntiatione.
„ 33. De privilegiis (et excessibus privilegiatorum).
„ 34. De purgatione canonica.
„ 35. De purgatione vulgari.
„ 36. De injuriis (et damno dato).
„ 37. De poenis.
„ 38. De poenitentiis (et remissionibus).
„ 39. De sententia excommunicationis.
„ 40. De verborum significatione.
„ 41. De regulis juris.

APPENDIX AD PAG. III.—IV.

SELECTA QUÆDAM DOCUMENTA

de apostolatu

a

s. Petro Claver

in America,

inter nigros praesertim, exercito.

I.

EX ACTIS BEATIFICATIONIS.

Praemonitum de opportunitate Petro Claver coelitum honores nostro hoc aevo attribuendi, ex decreto sacrorum rituum congregationis de „tuto", h. e., ad dubium, an tuto procedi ad ejus beatificationem possit, edito die 26. Maji 1850.

„Deus Optimus Maximus, qui rerum vices sapientissime temperat ac moderatur, venerabili servo suo Petro Claver, sacerdoti professo Societatis Jesu ac missionario apostolico, duobus pene saeculis abhinc vita functo, licet jam tum virtutibus miraculisque claro, aliis atque aliis arcano consilio interpositis moris, beatorum honores congruentius ad hanc usque aetatem reservavit. Quum enim illud sit hominum ingenium, ut vetustioribus exemplis fere neglectis facilius animum novis advertant, hoc sane tempore, quo tot degeneres Ecclesiae filii, ut formidandam sibi ejus unitatem discindant, Christi ministros falsa suae potestatis opinione elatos Sedis Apostolicae subducere conentur imperio, plurimum intererat, ven. Petrum ad imitan-

dum proponi, qui amplissimae Societati addictus et apostolico munere auctus, Pontificem Maximum praecipuo semper honore prosecutus ejusque summam potestatem maximopere veritus, non modo degeneres filios iterum ad eum adduxit, sed novos ex infidelitate abreptos ex divino instituto traditam potestatem debito ordine ac humillime exercens Ecclesiae aggregavit, atque ita consodalibus ejectis, dispersis, conviciisque afflictis novas adderet vires, quo alacrius muneri suo fungantur. — Quum itaque ven. Petri virtutes praeclaras, olim sanctis viris visas multorumque praeconiis celebratas, heroicas esse habendas ... anno 1747 ... Benedictus PP. XIV. edixisset. ..." (Cfr. Correspondance de Rome, 1850, N. 33., p. 13).

Ex decreto ejusdem s. congregationis de approbatione miraculorum ad effectum beatificationis, edito die 27. Aug. 1848.

„Inter electos sancti Loyolensis patriarchae alumnos ab adolescentia sua connumeratus ven. Petrus Claver e Catalauniae regno, quo vocanti Deo in Societate fidelem se ministrum exhiberet interposita fide, virtutes omnes adeo et indesinenter excolere coepit inter assiduas corporis afflictationes, ut illarum apicem brevi ac feliciter sit assecutus. In frequenti cordis recogitatione ante Deum dum secum mente non semel recoleret, multos adhuc apud Indos, Mauros praesertim, infidelitati obnoxios, ardore caritatis fervescens illud sibi audire visus est: *messis quidem multa, operarii autem pauci: ite et vos in vineam meam;* hoc sibi propositum sequendum esse duxit, et apostolico muneri jam maturus hanc provinciam eligere decrevit. Praesulibus annuentibus e regni Hispaniarum oris movens et Carthagenam appulsus in dissitis Americae meridionalis plagis demandata orthodoxae fidei praedicandae et dilatandae munia ita jugiter incredibili et inenarrabili caritate, constantia ad obitum usque implevit, ut quamplurima ethnicorum millia ad Christi ovile per

salutare regenerationis lavacrum adduxerit: omnibus interea ad terendam christianae perfectionis et salutis aeternae semitam sublimissimarum virtutum exercitio ducem se exhibens, sicut ex inquisitionis apostolicae tabulis aperte colligitur. Postquam itaque sa. me. Benedictus PP. XIV. decreto lato octavo Kalendas Octobris an. 1747 virtutes a ven. Petro Claver exercitas ad heroicitatis gradum pervenisse declaraverit. . ." (Cfr. Correspondance de Rome, 1848—1849, p. 44).

Ex literis apostolicis beatificationis editis die 16. Julii 1851.

„. . . Inter egregios apostolico spiritu afflatos viros, qui per ignotas antea Americae regiones, postquam ad illas patefactus est aditus, impigre laborarunt, ut gentes feritate barbaras lenirent ac flecterent, ac Christo lucrifacerent, ibique illustria reliquerunt christianae caritatis altissime impressa vestigia, merito refulget venerabilis Dei famulus Petrus Claver, sacerdos professus Societatis Jesu . . . Carthagine ad littus oceani extabat emporium, eoque a mercatoribus, quibus hominum vitam cum auro commutare per summum nefas solemne erat, singulis annis ad decem ac duodecim millia mancipia quasi pecudes ex Africa praesertim advehebantur ferociter, et quanti plurimi vendebantur. Calamitosissimi hujusce hominum generis miseratione tactus venerabilis Petrus illi se omnesque vitae suae rationes interjecta etiam sacramenti fide devovit; ac mirum quot asperitates et incommoda per quadraginta et eo amplius continentes annos in iis erudiendis sacroque regenerationis lavacro lustrandis animose ac fortiter pertulit! Mirum quantam Maurorum multitudinem caritatis virtute sustentatus ipse unus Christo et Ecclesiae progeneravit, sic ut ad centena aliquot millia eorum numerus feratur pertigisse! Neque vero animis ad veram religionem informandis intentus, corporum curam praetermittebat; nullum quippe pie-

tatis officium erat, quod aerumnosissimis illis hominibus, miseria et squalore enectis, prolixe non impenderet. In portum onerariae naves quum appellerent, praesto aderat, hominesque de libertate in servitutem per summam vim ac crudelitatem dejectos amplexus, necessariis recreare praesidiis, quoad poterat, satagebat. Nudis vestimenta, esurientibus escam, aegris medicamina suppeditabat; et vero etiam peste laborantes, nihil de sua vita sollicitus, invisebat iisque peculiarem adhibebat curationem. Quo vero magis in tanto paedore ac stomachi molestia torqueretur, eo acrius atque intentius hujusmodi pietatis officiis sui victor instabat. Porro quasi levioris momenti essent labores, quibus in curandis Mauris assidue frangebatur, caeteris etiam, qui Carthagine versarentur, civibus advenisque opitulari non desistebat. . ." (Correspondance de Rome, 1851, p. 362).

Ex Breviario romano (append. d. 9. Septemb.).

Sanctum Petrum, addit breviarium, „dignum inde fuisse, qui plurimis a Deo charismatum donis ditaretur. Quamplures (Mauros) a medicis desperatos subito sanitati restituit, multis oculorum lumine captis visum reddidit, tres a mortuis excitavit. Pallium quo utebatur, quodque saepe, alio stragulo deficiente, aegris languentibus quibuscunque imponere vel substernere solebat, aegrotorum et pessime ulceratorum sordibus licet inquinatum, nonnisi suavissimum odorem efflabat, ejusdemque contactu plures repente ex morbis gravissimis convaluerunt. Tot laboribus in mancipiorum cura exantlatis minime fractus, caeteris etiam, qui Carthagine versarentur, civibus advenisque juvandis, haereticis cum Ecclesia reconciliandis, mahumeticae superstitioni addictis ad Christi ovile trahendis, multam atque utilem operam posuit".

Oratio de sancto.

„Deus, qui miserabilia mancipia ad agnitionem tui nominis vocaturus[1]), beatum Petrum confessorem tuum mira in eis juvandis sui abnegatione et eximia caritate roborasti: ejus nobis intercessione concede, ut non quae nostra sunt, sed quae Jesu Christi quaerentes, proximos opere et veritate diligere valeamus. Per eundem".

Ex Martyrologio romano ad d. 9. Septemb.

„Carthagine nova in America meridionali beati Petri Claver, confessoris Societatis Jesu, mira sui abnegatione et eximia caritate illustris: qui quum in convertendos ad fidem barbaros Mauros servitute mancipatos quadraginta et amplius annos impendisset, eorumque trecenta fere millia Christo regenerasset, meritis ac virtutibus clarus migravit ad Dominum pridie hujus diei; ejus tamen festum jussu Pii IX. P. M. hac die celebratur".

II.
EX ACTIS CANONIZATIONIS.

Ex decreto congregationis sacrorum rituum de approbatione miraculorum ad effectum canonizationis, edito die 1. Novemb. 1887.

„Dei sapientia ineffabilis, quae cuncta in mundo fortiter suaviterque disponit, nunquam excitare destitit strenuos evangelii praecones, qui veritatis lucem inter infideles, in tenebris et in umbra mortis sedentes, diffunderent, ac pro divini nominis gloria et proximorum salute vitam suam impenderent. His accensendus beatus Petrus Claver, hispanus, Verduni natus, quod oppidum est Catalauniae, inclytae Societatis Jesu alumnus. Qui sacerdotio auctus, et mox Carthaginem ad ora atlantici

---

[1]) Ex decreto s. r. c. d. 19. Julii 1850 praescripta erat haec orationis formula: „Deus, qui, ut miserabilia mancipia ad agnitionem tui nominis venirent, beatum Petrum mira sui abnegatione et eximia caritate roborasti. . . ."

maris missus, ut barbaras gentes evangelizaret, vix dici potest, qua caritate in excolendis praesertim rudibus hominibus ex Africa tanquam vilibus mancipiis adductis, per quadraginta annos eoque amplius laboraverit, pluribus eorum millibus salutaris baptismatis lavacro Christo regeneratis. Viri hujus apostolici Alphonsus Rodriguez, quocum ipse aliquando conversatus erat, divino illustrante Spiritu, sublimium virtutum opera ingentesque labores, futuramque in coelis gloriam praenoverat. Ad quam reapse Petrus die natali Deiparae et patronae suae peramantissimae migravit anno 1654, aetatis suae quarto supra septuagesimum.

Rite comprobatis virtutibus et miraculis fulgentem quum sa. me. Summus Pontifex Pius IX. beatorum coelitum honoribus decorasset, placuit Deo servum suum novis illustrare prodigiis, ut ad canonizationis honorem in Ecclesia elevaretur“ etc.

Ex decreto de „tuto“, h. e., ad dubium, an tuto procedi ad ejus canonizationem possit, edito die 27. Novemb. 1887.

„Caritas Christi, quae Paulum vas electionis urgebat ad evangelii lucem inter gentes in tenebris errorum et pravitatum sedentes diffundendam, eadem de Petro Claver strenuum fecit apostolum in miseris nigritarum mancipiis, veluti pecudum gregibus ex Africa ad Carthagenae portum trajectis, in spiritualem libertatem gloriae filiorum Dei liberandis. Caritas in aliarum virtutum cumulo praecipua in eo fuit, quae longo operum ac laborum pro salute animarum et languentium corporum levamine feliciter emenso cursu ad coelum evexit, atque etiam in terris gloriosum reddidit et venerandum. Hinc quum etiam post pretiosum obitum splendidis inclaruerit signis et prodigiis, quibus Omnipotenti Deo placuit de illius sanctitate et gloria testimonium praebere, a s. m. Pio IX.

anno quinquagesimo primo hujus saeculi, die vigesima prima Septembris, Beatorum coelitum honoribus rite decoratus fuit.

Aucta exinde fidelium veneratione ac fiducia, novisque ad Beati invocationem accedentibus miraculis, duo ex iis post severum sacrae congregationis examen adprobata fuere, Pontificio decreto nuper, Kalendis vertentis mensis et anni, dato. Quod itaque jam reliquum erat, ut de accensendo beato viro in Sanctorum canonem ageretur; in generalibus ejusdem sacrorum rituum congregationis comitiis XVII. Kalendas proximi decembris in Vaticano Palatio coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII. habitis, Rmus. cardinalis Miecislaus Ledochowski dubium proposuit: *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam a Sede Apostolica beato Petro Claver venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ejus canonizationem?* Et singuli Rmi. cardinales et patres consultores favorabile suffragium dederunt. Sanctitas vero Sua supremum judicium sibi reservavit, interim a divino Spiritu uberius lumen in re tam gravi postulaturus.

Hac porro prima Dominica sacri adventus post divini sacrificii celebrationem, ad ejusdem Palatii Vaticani aulam vocatis Rmis. cardinalibus Angelo Bianchi, sacrorum rituum congregationi praefecto, et Miecislao Ledochowski hujus causae relatore, una cum R. P. Augustino Caprara s. fidei promotore, et me infrascripto secretario, ac his adstantibus decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem beati Petri Claver canonizationem.*

Hoc decretum publicari, in acta sacrae rituum congregationis referri, ac literas apostolicas sub plumbo de canonizatione quandocumque celebranda expediri mandavit, V. Kalendas decembris anni MDCCCLXXXVII.

A. Cardinalis Bianchi *s. r. c. praefectus.*

L. † S.

Laurentius Salvati *s. r. c. secretarius.*

Index analyticus

ad alphabeti literas digestus.

A.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

Index synopticus.

Opera ejusdem auctoris in commentariis identidem citata.

I.

Ἑορτολόγιον πρόχειρον ἀμφοτέρων τῶν Ἐκκλησιῶν, τῆς τε Ἀνατολικῆς καὶ τῆς Δυτικῆς.
Μέρος ά. περιέχον τὰς ἀκινήτους ἑορτάς.
Μέρος β΄. περιέχον τὰς κινητὰς ἑορτάς.

Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis.
Pars I. complectens festa immobilia (pag. 496 et LXIV).
Pars II. complectens festa mobilia (pag. 816 et XL).

II.

De rationibus festorum Sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae libri IV. — Editio V.

Conspectus operis.

Vol. I. Historic. et dogmatic. — Lib. I. De rationibus festi SS. Cordis Jesu, pp. 1—538. — Lib. II. De rationibus festi purissimi Cordis Mariae, pp. 539—600.
Vol. II. Ascetic. et literar. — Lib. III. Varia pietatis exercitia ad cultum utriusque SS. Cordis spectantia, pp. 1—514. — Lib. IV. Bibliographia SS. C. J., pp. 515—620. — Appendix: pp. 643—653.

III.

Symbolae ad illustrandam historiam ecclesiae orientalis in terris Coronae s. Stephani, maximam partem nunc primum ex variis tabulariis, Romanis, Austriacis, Hungaricis, Transilvanis, Croaticis, Societatis Jesu aliisque fontibus accessu difficilibus erutae, patrocinantibus almis Hungarica et Rumena literarum Academiis editae.

Conspectus operis.

Liber I. *πρόδρομος.* **Questio I.** Utrum missionariis latinis concedi possit usus ritus graeci? (pp. 3—95). **Questio II.** Utrum Graecorum ordinationes post acceptatam Unionem sub conditione iterari debeant? (pp. 96—110). **Questio III.** Quid missionariis inter Orientales laborantibus praecipue sit observandum? (pp. 111—126). — Liber II. De historia Unionis ecclesiae Rumenorum cum Sede Apostolica (pp. 127—392). — Liber III. De historia ecclesiae Rumenorum cum Sede Apostolica unitae (pp. 393—700). — Liber IV. De historia Unionis Serborum cum Sede Apostolica (pp. 701—820). — Liber V. De historia Unionis Ruthenorum et Armenorum cum Sede Apostolica (pp. 821—936). — Liber VI. addititius. Parerga ad praecedentes libros (pp. 937—1063). — Appendices (pp. 1064—1088).

IV.

Selectae disputationes academicae juris ecclesiastici.

Conspectus operis.

1. De juridica votorum solemnitate (pp. 1—32).
2. De libertate clericorum religionem ingrediendi (pp. 33—130).
3. De studio rei kalendariae clericis praescripto (pp. 131—193).

NICOLAI NILLES

E SOC. JESU

COMMENTARIA

IN

CONCILIUM

PLENARIUM BALTIMORENSE

TERTIUM

EX PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS

AD USUS AUDITORUM

EXCERPTA.

PARS II. — DECRETA CONCILII.

ŒNIPONTE.

TYPIS ET SUMPTIBUS FEL. RAUCH (C. PUSTET).

1890.

HONORIBVS

SANCTI . PETRI . CLAVER

IN . AMERICA

OLIM . PER . ANNOS . AMPLIVS . XL

MISERABILIVM . MAVRORVM . APOSTOLI

EX . DECRETO . LEONIS . XIII . P. M

RECENTI . GLORIAE . LAVREA . ORNATI

MISSIONVM . NIGRITARVM . PATRONI

EVANGELICARVM . OPERARVM . SPECVLI

STVDIVM . LABORESQVE . SVOS

DEDICAT

AMERICANA . SACRI . IVRIS . ACADEMIA

OENIPONTE

IPSO . DIE . ANNIVERSARIO

CORONATIONIS . SS . DOMINI

MDCCCXC.

Nigritarum apostolus ac parens merito praedicandus
(Leo PP. XIII. in bulla canon.)



In vitam et facta ejus tamquam in speculum virtutis inspiciant
viri apostolici (Leo PP. XIII. in epist. ad eppos. Brasil.).

DE ORIGINE

americanae sacri juris academiae

OENIPONTE.

I.

„Non immerito confidimus fore, ut Dei spiritus virtute acti et roborati valeatis perutilem adhibere operam tutelae et incrementis ecclesiae salutique patriae vestrae: quod sane nominatim toto corde adprecamur etiam paucis illis dissitae Americae filiis, qui pari proposito inter vos versantur". (Ex epist. Pii PP. IX. ad convict. Oenipont. d. d. 4. decemb. 1873).

II.

„Curent autem episcopi, ut ad collegium americanum Romae vel Lovanii existens vel etiam Oenipontem, alumnos suos mittant, qui prae caeteris spem majoris profectus prae se ferant. Quae commendatio non minus etiam pro futuro tempore valet". (Ex concil. plenar. baltimor. III., n. 185).

III.

„So favorable an acknowledgment of our modest work from that august assembly will act as a mighty impulse in our endeavors to instruct and educate in the true ecclesiastical spirit those entrusted to our care. — In consideration of the high esteem in which we hold our relations to the western continent, that great and promising harvest-field of the Church, we intend to pay special attention to the theological literature and canon law of the United States". (Ex epist. facultat. theolog. oenipont. ad illmum. concili praesidem d. d. 18. jun. 1886).

IV.

„I beg leave to assure you of the high regard in which I hold your school of piety and learning, and to tender to yourself and your devoted associates of Innsbruck's Theological Faculty my best wishes". (Ex liter. emi. card. Gibbons ad facult. theolog. oenipont. d. d. 22. octob. 1886).

PARS II.

DECRETA CONCILII.

tudinem refertur. Sic, quum possessio dici legitur a positis sedibus, tugurium a tegendo (quasi tegularium) pignus a pugno, testamentum a testatione mentis, furtum a furvo vel a ferendo, Roma a rodenda manu, Bononia a bonis omnibus, mutuum quasi de meo tuum: eas verborum interpretationes non ab etymo, sed allusionis ope, datas intelligimus. Exemplum ejusmodi interpretationis ex allusione desumptae in priori parte vidimus p. 15, ubi s. Isidorus, vim propriam ac naturam concilii expositurus, vocabulum ex duobus elementis con et cilia confieri docet. Plures alias rerum et vocum interpretationes ab allusione idem s. doctor proponit c. Forus 10. X. de verb. sign. (V, 40).

Quamvis juris interpretes in disputationibus suis argumentatione ab allusione adeo frequenter utuntur, ut etymologiam et allusionem confundere et fere pro eodem ponere videantur; in nostra hac quaestione tamen, qua in veram nominis *decreti* originationem inquirimus, ab adhibenda allusione abstinemus, omissa etiam interpretatione quam ex allusione fieri posse subindicat gl. ad c. Romani principes un. de jurejurando. Clem. (II, 9).

Spectata etymologia igitur ductum est vocabulum *decreti* a verbo decerno, quod ex duobus elementis constat, ex *de* et *cerno*.

Praepositio *de* in compositione frequenter vim habet augendi, ut ecce: deamo (valde amo), deparcus (nimium parcus), deperdo (omnino perdo), depereo (penitus pereo), debachor (immaniter bachor), deservio (valde servio). Cum grammaticis consonant utriusque juris interpretes, eandemque virtutem praepositionis *de*, significationem verbi „augmentandi“, multis exemplis illustrant tum ad *π*. depositi vel contra, lege Depositum 1. (lib. 16, tit. 3, l. 1) tum ad c. Episcopus 1. dist. 35. ad v. deserviens.

Cerno autem ejusdem potestatis est ac cribro, inspicio, dignosco; ut adeo decernere sit rem penitus cernendo accurateque deliberando judicium ferre.

Nominis etymologiam ergo secuti decretum generatim possumus definire id, quod re cognita ac deliberata statuitur: vocabuli simul et rei vera interpretatione exhibita.

Atque inde ipsa nominis etymologia duce *decreta concilii* intelligimus esse constitutiones synodales, quae necessariis tractatibus rite praemissis circa materias propositas solemniter sunt editae. Sed tu relegas, quae de eodem argumento jam dicta sunt in priori parte pp. 13—14.

De homonymia decreti.

Vocabuli *homonymia*, quam altero loco considerandam esse monuimus, in multiplici ejus significatu consistit; vox *ὁμώνυμος* enim est nomen (*ὄνυμα*), quod pluribus rebus simul (*ὁμοῦ*) convenit. Aliis vox *πολύσημος* vocatur, a *πολύς* et *σῆμα*, quod multa significet. Obvium exemplum habes in vocabulo tauri, quod animalis nomen est et montis et sideris et fluminis, quandoque et hominis.

Homonymiam nominis decreti aperte testantur pluribusque exponunt juris nostri interpretes. „Decretum, inquit gl. ad c. Romani principes cit., secundum Speculatorem[1]) dicitur multis modis. Quandoque dicitur sententia definitiva vel interlocutoria. Quandoque dicitur id quod Papa constituit seu statuit de consilio cardinalium nulla facta consultatione et tunc in scriptis redigitur[2]). Quandoque dicitur consensus eligentium in scriptis redactus. Quandoque est illud quod capi-

---

[1]) Guil. Durand. episc. mimaten. † 1296.

[2]) Quod si „ad consultationem alicujus" factum fuerit, Papa non jam decretum sed „decretalem epistolam" dedisse censetur juxta gl. ad dict. Gratiani dist. 3.

tulum vel ordo sive universitas vel major pars ordinavit. Quandoque est judicis auctoritas in alienationibus rerum, praecipue minorum, interposita. Quandoque dicitur auctoritas principis in rescriptis beneficialibus interposita. Et secundum Azo[1]) illud decretum est confirmatorium gratiae. Est etiam quoddam decretum decurionum, quod in invitos super muneribus rerum tribui potest, exceptis qui liberalium studiorum laboribus inserviunt, et qui medendi cura funguntur, ut medici. Quandoque decretum est jussus judicis, quo mandat bona alicujus propter ejus contumaciam possideri; et est duplex, quoddam est primum, quoddam secundum". Ita ferme Durand. in *Speculo juris*, l. 2, partic. 2, de primo et secundo decreto; et in nota marginali animadvertitur, distinguenda, praeter alia, esse decreta Dei (III. Reg. 8), decreta apostolorum (Act. 16), decreta patrum (c. Quanto. 3. de translat. episcopi), decreta episcoporum (c. Si quis 2. de major. et obedient.), decreta caesarum (Act. 16), decreta regum (Daniel 3).

Et haec quidem ad stabiliendam decreti homonymiam adduxisse suffecerit.

In praesenti hoc titulo propria decreti significatio est, qua dicit id, quod praevia deliberatione causaque cognita statuitur perpetuo valiturum: prout in generali codicis titulo exponendo scripsimus p. 13. partis prioris.

De synonymia decreti.

Quaestio *de synonymia* versatur in exponendis vocabulis, quae ejusdem, ut decretum, sunt significationis.

Multa autem inveniuntur nomina, quae veteres ac moderni doctores decreto imposuerunt. Ex iis praecipua haec sunt: jus synodicum, placitum, sanctio, praeceptum commune, canon, constitutio, statutum, ecclesiastica regula et forma.

---

[1]) Azo sive Azzo Portius Bononiae floruit sub Innocentio PP. III.

Jus factum est ex radice sanscrita *yu* sive *ju* et ex syllaba finali *us;* atque hinc est, cur veteres geminata litera scriberent *juus* et in plurali dicerent *juusa* seu *jusa.* — Radix *yu*, *yug* significat id, quod ligat, devincit, conjungit, h. e., ligamen, vinculum morale sive obligationem[1]). Ex hoc synonymo igitur ea legis proprietas in decreto inesse declaratur, qua ut norma agendi subditis obligatorio modo a legislatore proponitur.

Quamvis in jure plerumque dicuntur *placere,* quae jurisprudentum auctoritate recepta atque introducta sunt, ut adeo *placuit* tantundem ferme valeat ac visum est juris auctoribus, responsum est, obtinuit et pro re certa habitum est; nihilo secius *placuisse* etiam principibus et legislatoribus dicitur, quod ab illis constitutum, rescriptum, decretum est. Quin et episcopi in conciliis congregati hodieque legiferam suam potestatem adhibita formula *placet* solemniter exercent. Quapropter et de ipsis valet, quod in jure romano statutum legitur: „Quod principi placuit, legis habet vigorem"[2]), et decreta synodica proprio jure sibi nomen placitorum vindicant.

Sanctio proprie est illud caput legis, quod poenam continet, quae ob laesam illius sanctitatem irrogatur. Translate etiam dicitur poena. — Ex mente canonum sanctio vocatur lex, quae confirmata est adjecta poena iis scilicet irroganda, qui adversus eam peccaverint[3]).

Praeceptum sumitur pro legitimo jussu magistratus; dicitur *commune,* ut indicetur, decretum synodicum non eo charactere legis destitui, quod non uni soli, sed omnibus societatis membris proponi debeat.

Canon, gr. *κανών,* proprie significat regulam, h. e., instrumentum illud, quo architecti aliique mechanici

---

[1]) Cfr. Pott, *Wurzelwörterbuch,* I, 2, pp. 1228 seqq.
[2]) Instit. t. 2, de jure naturali, gentium et civili, §. 6.
[3]) Cfr. gl. ad dict. Gratian. dist. 3.

utuntur sive ad demetiendum aliquod opus sive ad expendendam structurae rectitudinem (Lineal, Richtscheid, règle).

A prima hac significatione transfertur ad omnes artes, ad omnia negotia, ita ut jam quaevis norma recti, quaevis mensura justi, in quocunque ordine, vocetur *κανών*. Inde vero ulterius translatum ad rem ipsam denotandam, quae ad regulam est admensa atque exacta, vocabulum canonis indicat illud, quod ad hanc regulam admensum invenitur rectum ac justum[1]).

In nostra hac quaestione sumitur pro regula seu norma recte credendi et christiane vivendi, subditis authentice proposita. Et hoc sensu acceptum nomen partim ex etymo suo partim ex vocis allusione sic declaratur in jure sacro: „Canon graece, latine regula nuncupatur. Regula dicta est eo quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alii vero dixerunt regulam dictam vel quod regat, vel quod normam recte et bene vivendi praebeat, vel quod distortum pravumque corrigat“. CC. 1 et 2 dist. 3.

Constitutio, notante glossa[2]), dicitur a con, simul, et statuendo, quasi „simul statutio“, sive quod supremus legislator, non solus, sed simul cum legitimis suis consiliariis jura condere soleat, sive quod constitutio debeat esse lex communis, seu „pro communi civium utilitate conscripta“, quemadmodum habetur c. Erit autem 2. dist. 4. Ex utraque causa concilii decreta constitutionum vocabulo efferuntur.

Statuere generatim significat deliberata voluntate judicare, dicere, constituere, decernere. Speciatim autem statutum vocare solent interpretes jus particulare seu municipale, per quod jus commune interpretationem ex bono et aequo accipit. Quum enim jus

---

[1]) Videri poterunt quae in eodom hoc argumento versati late scripsimus in opere *de rationibus festorum mobilium*, pp. 78 seqq.

[2]) Ad tit. de constitutionibus in 6.

commune propter diversa locorum, temporum ac personarum adjuncta non possit semper aequaliter observari ubique, idcirco receptum est, fieri statuta, generali legi, quae pro inaequalibus locorum adjunctis videntur necessaria, additis aut detractis. Et ita non immerito statuta vocantur decreta concilii, utpote quae „postulante temporum ratione“, ut patres synodi nostrae ajunt, solemniter edita sunt.

Ecclesiasticam formam in synodis juxta canones stabilitam (*τὸν ἐκκλησιαστικὸν τυπὸν τὸν κεκανονισμένον*) veterum more nuncupari vivendi normam in conciliis propositam, satis norunt eruditi.

Et haec de vocabulis synonymis. — Iis *auctoritatem* et *declarationem* non accensemus, quod auctoritas pressius accepta sit constitutio seu lex ab ipso summo principe edita[1]); per declarationem legislatoris autem „jus novum non edatur“[2]), sed authentice tantum verus sensus antiquae legis aperiatur, ac genuinus ejus valor in casu proposito manifestetur. Verum ea de re multa a nobis allata videsis in priori hujus commentarii parte pp. 222—224 junctis quoque animadversionibus in *Disputat. academ.* factis p. 193.

---

[1]) Ejusmodi est auctoritas s. Siricii ad Himerium episc. tarraconensem; item auctoritas s. Zosimi ad episc. Galliae.

[2]) Ita gl. ad v. declaramus in c. Quia saepe 15. de praebendis in 6; in c. Statuto 2. de decimis in 6; in c. Antiquae un. de voto Extrav. Joann. XXII.

DIVISIO DECRETORUM.

Exteriori rerum digestione spectata, praesens collectio decretorum synodicorum sequitur morem librorum decretalium in corpore juris sacri contentorum, quem in priori hujus commentarii parte descriptum relegas pp. 236—238. — Dividitur scilicet in titulos, et sub unoquoque titulo sunt capita, et sub nonnullis capitibus, quia longiora sunt, plures paragraphi, vocabulo hoc eadem significatione accepto, qua illud in decretalium libris occurrere ibidem monuimus p. 240. — Ipse decretorum textus ubique est in minutiora membra sive incisa carptus, quae etiam numeris suis provide distinguuntur, ut res singulae facilius inveniri laudarique possint.

Tituli sunt numero undecim. Praemissum est prooemium, cui et ipsi facta est tituli (praevii) appellatio; similiter sanctioni finali circa promulgationem et executionem decretorum tituli (ultimi) nomen imposuerunt. Verum neuter in „numero" titulorum habetur.

Quodsi vero materia attendatur, cuncta haec concilii decreta ad tria illa capita reduci possunt, ad quae omne jus canonicum referri debere diximus in introductione p. 5; nimirum ad personas, ad res, ad judicia. — Quoniam autem collectio non est ad scientificam formam libri manualis pro usibus scholasticis exacta, consuetum illud tripartitum divisionis schema non usquequaque sequitur, sed potius jucunda quadam

dispositionis varietate temperataque rerum permixtione quae ad personas spectant iis distinguit, quae sive ad res sive ad judicia pertinent. Atque ita synodica nostra decreta, non sine ratione recti ac venusti in suis armariis arcisque reposita, in magnifico juris palatio, (quemadmodum splendidum concilli codicem nuncupari posse diximus in introductione p. 3), sedem habent fixam, commodam, visuris facilem accessu.

Est autem variegatus hic ordo titulorum qui sequitur:

Tit. praevius. Decretum de fideliter servandis omnibus concilii plenarii baltimorensis secundi decretis.

Tit. I. De fide catholica.

Tit. II. De personis ecclesiasticis.

Tit. III. De cultu divino.

Tit. IV. De sacramentis.

Tit. V. De clericorum educatione et instructione.

Tit. VI. De catholica juventutis institutione.

Tit. VII. De doctrina christiana.

Tit. VIII. De zelo animarum.

Tit. IX. De bonis ecclesiae temporalibus.

Tit. X. De judiciis ecclesiasticis.

Tit. XI. De sepultura ecclesiastica.

Tit. ultimus. De concilii decretorum promulgatione et efficaciori executione

Titulus praevius.

Decretum de fideliter servandis omnibus concilii plenarii baltimorensis secundi decretis.

Prooemium neque alte petunt patres neque longum ducunt; sed statim a primo ingressu synodum hanc tertiam ex praecedenti nectentes, solemniter statuunt, „omnia concilii plenarii baltimorensis secundi decreta, quae per praesentem hanc synodum non fuissent sive abrogata sive immutata, adhuc in suo vigore permanere“ [1]): quod nimirum, experientia teste, „magna sapientia et prudentia essent in isto concilio condita, qualia temporum ratio postulassent“, quodque „ad efficaciorem eorundem decretorum executionem promovendam, annuente Sancta Sede, proposita essent quasi normam, quam in scholis theologiae et juris canonici doctores sequerentur et explicarent, quamque eorum discipuli accurate et diligenter addiscerent“.

Praevius hic titulus aliquam similitudinem cum iis habet, quae legislatores nostri collectionibus decretalium corporis juris canonici, pro vario temporis respectu, praefati doctoresque interpretati leguntur. — Et tempus praeteritum quod attinet, auctores novarum collectionum constanter eam rationem sunt secuti, ut decessores suos judicarent viros fuisse „gloriosos tum doctrina legum tum experientia rerum, studioque reipublicae indefesso et laudabili proposito pollentes [2]);

---

[1]) Exstant „Acta et decreta concilii plenarii baltimorensis secundi“ in collectione lacensi, tom. 3, pp. 303—574.

[2]) Ex antiquo jure romano (Cod. Justinian. de codice confirmando, §. 1) haec norma transiit ad auctores juris ecclesiastici, quemadmodum videre est in gl. ad prooem. decretalium Gregorii PP. IX., v. per dilectum.

in quorum placitis proinde, quantum nova rerum adjuncta paterentur, permanere deberent". — Ratione temporis praesentis autem juris sacri auctores re et facto probarunt, sibi eandem, quae in decessoribus suis inerat, potestatem legiferam competere, seque pristinis constitutionibus non ligari, quum „par in parem non habeat imperium", et magistratus sequens „eadem persona censeatur cum eo, cui succedit"[1]) Nihilominus potestate sua leges corrigendi, mutandi, abrogandi eatenus tantum usi sunt, quatenus praesens exigeret necessitas, „ut novis negotiis nova jura invenirentur, novisque morbis nova antidota praepararentur"[2]). Qua in re patribus baltimorensibus profecto insignis quaedam cum antiquis illis legislatoribus similitudo esse deprehenditur. — Nec minus ad similitudinem veterum accedit concilium baltimorense, si tempus futurum spectetur. Auctores decretalium enim, testibus prooemiis „subditorum commodis jugi sollicitudinis studio intenti provideque cupientes deformatorum reformationi prospicere", constitutiones suas edendo id egerunt, „ut sanctiones quaestionibus et negotiis imminentibus consonas publicarent atque utilia statuerent ac salutaria, fructus uberes, Deo propitio, in domo Do-

---

[1]) Cfr. gl. ad prooem. Gregorii PP. IX. cit. v. resecatis.

[2]) Ibid. v. nova litigia. — Utramque hanc novarum constitutionum causam conjunxit Joannes PP. XXII., prooemium ad decretales Clementinas ita exorsus: „Quoniam nulla juris sanctio, quantumcunque perpenso digesta consilio, ad humanae naturae varietatem et machinationes ejus inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam suae nodosae ambiguitatis attingit: eo praesertim quod vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus (quibus jura jam posita mederi non possunt) in dubium rovocetur; quia etiam ab adolescentia viri proclivis ad malum sensualitas humana declinat, per quod morum subversio in clero et populo frequenter obrepit, necessaria est superioris auctoritas, ut tam per determinationis opportunae suffragium tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat, obscura succidat, quam per cultoris providi sarculum extirpet vitia, virtutes inserat, corrigat excessus, moresque reformet. Haec sane fel. rec. Clemens PP. V. praedecessor noster prudenter attendens etc."

mini allatura". Quod idem studium leges temporibus maxime convenientes condendi, ex codice decretorum baltimorensium elucet.

Ad extremum et in eo similitudo apparet, quod decreta baltimorensia eodem modo in scholis sint magistris et discipulis proposita, quo decretales corporis juris sacri studiis generalibus seu universitatibus erant „transmissae", ut nimirum „doctores et scholares iis de caetero prompto animo et studio alacri uterentur"[1]).

Titulus I.

De fide catholica.

Circa primum decretorum titulum quatuor has quaestiones posuisse suffecerit; ac primo quidem de ipsa rubrica, unde inscriptio „de fide catholica" desumpta sit, et quid proprie significet; deinde vero de ejus dignitatis principatu, cur primo loco inter decreta locetur; tertio de magisterio ecclesiae, utrum res fidei ad potestatem jurisdictionis pertineant; quarto tandem de variis incisis tituli, quidnam prae caeteris animadvertendum sit in illa ejus membra, quae ex consuetudine scholastica disciplinae juris canonici reservantur.

De origine et sensu rubricae „de fide catholica". — Summi Pontifices Gregorius IX., Bonifacius VIII. et Clemens V. initium collectionum decretalium ducunt a titulo „de summa trinitate et fide catholica", ea in

---

[1]) Praeceptum de decretalibus in scholis praelegendis non solum in prooemiis authenticarum collectionum datur scholasticis (h. e. doctoribus, qui in scholis jura canonica interpretantur (c. Per tuas 11. X. de sentent. excom.), sed etiam in ipsis constitutionibus occurrit. Sic, ut unam ex longioribus adducamus, Bonifacius PP. VIII. in c. Exiit 3. de verb. signif. in 6. „in virtute obedientiae districte praecipit, quod haec constitutio sicut caeterae constitutiones vel decretales epistolae legatur in scholis".

re Justinianum imperatorem secuti, qui titulum primum libri primi Codicis inscripsit „de summa[1]) trinitate et fide catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat“. Inde rubricam nostram venire manifestum est. Auctores decretalium pristinam Codicis inscriptionem fine suo mutilarunt, recentiores initio, sicque factum est, ut utrimque detruncata tandem curta legeretur „de fide catholica“[2]).

De genuino sensu rubricae „de fide catholica“ fuse agunt glossatores ad h. t. Ex longis eorum disputationibus tu paucis haec accipe. Fidei nomen varie accipitur; aliquando enim denotat fiduciam, aliquando promissionem aut fidelitatem seu constantiam in servandis promissis, aliquando et alias res. — Hic speciatim sumitur pro mysteriis sive rebus credendis, et pro habitu vel actu intellectus, quo illis nobis rite propositis assentimur. Eo sensu accepta fides generatim alia est humana, alia vero divina, prout homini vel Deo nobis loquenti, propter ejus auctoritatem, assentimur. — Fides divina dividitur in privatam et catholicam. Si Deus alicui soli rem occultam revelaret, assensus ejusmodi privatae revelationi propter summam Dei per eam loquentis veritatem firmissime praestitus esset quidem fides divina, non autem catholica, h. e., universalis et a tota ecclesia recepta. — Quibus praemissis facile intelligitur, rubricam esse accipiendam de articulis fidei divinitus revelatis et ab ecclesia catholica ad credendum propositis, quo eodem sensu

---

[1]) Trinitatem dictam a Justiniano fuisse „summam“ conjieit gl. ad h. l. quod „de ea tunc maximae essent in ecclesia controversiae, vel quod humanam cognitionem excedat, vel quod hic de summa Dei unitate in tribus personis agatur“. Sed ex mente gl. ad idem hoc epitheton in collectione Gregorii PP. IX. trinitas verius dicitur „summa“, quia omni trinitate et re alia prior, major, excellentior est. *Quis ut Deus!*

[2]) Patres concilii plenarii baltimorensis II. respondentem rubricam scripserant: „de fide orthodoxa, deque erroribus serpentibus“. Coll. lac. l. c. p. 389.

dicitur in symbolo athanasiano: „haec est fides catholica“, et a s. Hieronymo scribitur in expositione symboli: „haec est fides, quam in ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus et tenemus“. C. Haec est fides 14. C. 24. q. 1. In Codice Justiniani adjectivum „catholica“ illustratur tali glossa marginali: „catholica fides, quae semper, quae ubique, quae apud omnes, quae tempore, loco, multitudine, antiquitate, universitate et consensu novitati, parti et paucorum errantium, dissensioni praefertur. V. Vincent. Lyrinen. adversus profanas novationes“. In textu suo imperator subdit: „hanc legem (fidei catholicae) sequentes, christianorum catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos vero dementes vesanosque judicantes haeretici dogmatis infamiam sustinere“.

De primatu dignitatis titulo praesenti assignato. — Cur titulum „de fide catholica“ legislatores primo loco posuerint, veteres interpretes non uno in loco aperte declarant. „Bonifacius VIII., conditor hujus compilationis, — verba sunt gl. ad tit. de constitut. in 6. —, tractaturus de jure, consideravit, quod ubi non est fundamentum, desuper aedificari non potest. Idcirco pro sui operis fundamento praemisit rubricam de summa trinitate et fide catholica. Quo fundamento praemisso, incedit ad jura condenda“. — In eandem sententiam scribens gl. in tit. de summa trinitate in Clem. „dicit, quod Clemens (hoc titulo operi suo praefixo) vult innuere, id est dare signum intelligendi, quod (si secus faceret) ipse aedificaret sine fundamento, et aedificatum nullum esset; quia ubi fundamentum non est, ibi superaedificari non potest“. Et gl. ad Gregorium PP. IX. rationem ordinis titulorum ad altiora principia theologica exigens, simpliciter ait: „Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; et ordo nostrae reparationis a fide sumpsit exordium: ideo de fide catholica primo est agendum“.

Ideo ergo decreta fidei summi principes in capite suarum collectionum posuerunt, quod quae per magisterium ecclesiae tanquam divinitus revelata rite proposita sunt ad credendum, ceu necessarium fundamentum omnis legislationis haberent.

Sed de ipsa hac credendorum propositione seu fidei definitione ulterius quaeritur, utrum actus sit verae proprieque dictae jurisdictionis, an vero alius potestatis, ecclesiae divinitus traditae?

De rebus fidei per jurisdictionis potestatem ab ecclesia definitis. — Ex communi veteris scholae sententia omnis potestas ecclesiae bipartito distinguitur, in eam quae est jurisdictionis et in alteram, quae est ordinis[1]). — Antiquam hanc divisionem plures recentiores juris doctores mancam atque imperfectam declararunt, ideoque ad eam, ut ipsis videbatur, debite complendam, tertiam potestatem, magisterii scilicet, eamque ab utraque priore diversam, invenerunt[2]). Alii contra putavere, retineri quidem bipartitam scholasticorum divisionem posse, sed authenticum ecclesiae magisterium potestati ordinis esse attribuendum[3]). Verum ex quo sacrosancta oecumenica synodus vaticana solemniter docuit, „ipso primatu jurisdictionis romani Pontificis supremam quoque magisterii potestatem comprehendi"[4]), utriusque illius recentioris sententiae patroni catholici plerique omnes a suis placitis recessisse noscuntur.

---

[1]) „Spiritualis potestas", inquit s. Thomas, 2. 2. q. 39, art. 3. „una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis". Eandem potestatis divisionem etiam proponit part. 3, q. 6, art. 2.

[2]) In his eminet cl. Phillips, qui eclesiasticae potestatis divisionem in scholis receptam pluribus in locis mancam ac vitiosam haberi vult, praesertim in majori suo opere (Kirchenrecht) §. 32 (t. 1, pp. 272—275) et §. 77 (t. 2, pp. 135—140).

[3]) Eam sententiam praeter alios tradiderat cl. Vering anno 1857 in ipsis illis actis literariis „Archiv für kath. Kirchenrecht" (t. 1, pp. 547—548), quae, defuncto eorundem fundatore barone de Moy, magna sui nominis laude dirigere atque edere pergit.

[4]) Constit. Pastor aeternus, c. 4.

Quoniam autem praesentis doctrinae frequens est usus in institutionibus ecclesiasticis, eam hoc loco ex ipsa divina oeconomia novi testamenti breviter declarasse, a proposito nostro alienum non fuerit. Sic igitur originem ac vim propriam statutae bipartitae divisionis potestatis ecclesiasticae accipias:

Proximus finis ecclesiae est sanctificatio animarum, ex Christi Dei voluntate obtinenda per gratiam sanctificantem.

Gratia sanctificans autem acquiritur per duo media conjuncte adhibenda, nimirum per sacramenta, accedente cooperatione hominis sive per idoneas dispositiones ad gratiam acquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam et augendam.

Ad duplex hoc medium rite applicandum, duplex a Christo instituta est potestas in ecclesia, altera ordinis, quae ordinatur ad conficienda sacramenta sive immediate ac perfecte, sive mediate tantum atque imperfecte[1]), altera jurisdictions, quae ordinatur ad cooperationem fidelium, ut par est, dirigendam et, quantum fieri potest, efficaciter urgendam: ut adeo potestas jurisdictionis dici queat legitima facultas gubernandi, pascendi, regendi gregem Christi tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium, quo in tota mediorum oeconomia fideles diriguntur, ita ut ipsa quoque sacramentorum dispensatio a potestate jurisdictionis dependeat[2]).

Directoriae huic jurisdictionis potestati quum divinitus commissa sit cura totum hominem in sua coope-

---

[1]) Potestas ordinis sic accepta complectitur etiam facultatem sacramentalia efficiendi et alias liturgicas functiones exercendi, quae alicui ordinum gradui vel a Christo vel ab ecclesia reperitur alligata, quemadmodum scite docet Celsissimus Aichner, *Compend. juris eccles.* §. 24.

[2]) Cf. Tarquini, *Institut. juris eccl. publ.* l. 2, c. 1, n. 3; ac vide etiam quae nos ipsi eam in rem scripsimus in „Zeitschrift für kath. Theologie“, 1877, pp. 285—290

ratione dirigendi, ad ejus officium ante omnia spectat intellectum infallibiliter regere ac fidelibus ea, quae tanquam divinitus revelata sunt credenda, non utcunque, sed obligatorio modo proponere. Unde et ipsum authenticum ecclesiae magisterium censeri debet elementum praecipuum atque essentiale potestatis jurisdictionis, „ipsoque jurisdictionis primatu suprema quoque magisterii potestas comprehenditur“.

Sed ista de praesenti quaestione pro instituti nostri ratione animadvertisse suffecerit. Qui plura scire cupit, jam adire poterit cl. Schnell, *Die Gliederung der Kirchengewalten*[1]), a quo cuncta haec, quae ad bipartitam ecclesiae potestatem pertinent, copiose ac diligenter explicantur, solide etiam expeditis speciosis illis rationibus, quibus cl. Scheeben, *Handbuch der kath. Dogmatik*, I, p. 67 miram suam sententiam „de magisterio ecclesiae inter utramque magnam potestatem ordinis et jurisdictionis distribuendo“ non ita pridem aliis minus expertis suadere valuit[2]).

Quum omnia acta potestatis jurisdictionis ad jus canonicum pertineant, Summi Pontifices, authenticas legum collectiones edituri, definitiones fidei merito in corpus juris assumpserunt, ipsasque constitutionibus ut dignitate ita et loco priores esse voluerunt[3]). Et ita canones recte credendi non minus ad objectum disciplinae juris canonici pertinent quam regulae pie justeque vivendi. Propter amplitudinem materiae tamen scholastica consuetudine inductum est, ut quae pressius ad definitiones fidei atque ad moralitatem actuum humanorum spectant, institutionibus theologicis concedantur, juri canonico autem caetera acta potestatis

---

[1]) Tübinger Quartalschrift 1888, pp. 387—441.

[2]) Cfr. cl. Sägmüller in Literar. Rundschau, 1889, p. 13.

[3]) Ex his aequus ac prudens lector facile intelliget, per errorem factum esse, ut cl. Meurer scriberet, ex eo quod titulus „de Summa Trinitate et fide catholica“ locum in corpore juris invenerit, manifestum fieri, illo tempore non valuisse doctores inter jus et religionem distinguere (Literar. Rundschau, 1886, p. 105).

jurisdictionis reservata maneant. Ad eundem ferme modum et nos ex canonibus primo hoc titulo relatis alia ipsi paucis interpretabimur, alia vero theologorum disceptationi relinquimus.

De variis canonibus primo huic titulo insertis. — Apud Summos Pontifices, corporis juris canonici auctores, id erat usu receptum, ut articulos fidei juxta definitiones generalium, quae proxime praecesserant, conciliorum proponerent. Sic Gregorius PP. IX. canones dogmaticos ex novissimo concilio lateranensi anni 1215 assumpsit; Bonifacius PP. VIII. sanctiones fidei ultimae synodi lugdunensis anni 1274 exhibuit; Clemens PP. V., quae in concilio viennensi, sub ipso celebrato anno 1311, contra serpentes haereses erant definita, in capite suarum decretalium posuit.

Antiquum hunc morem secuti patres baltimorenses praeter generalem fidei professionem ea speciatim hoc titulo dant, quae in concilio vaticano anni 1870 circa fidem sancita et declarata sunt duabus constitutionibus dogmaticis, altera „Dei Filius“, edita in tertia sessione d. 24. Aprilis, altera „Pastor aeternus“, edita in quarta sessione d. 18. Julii; additis quoque recentioribus „literis encyclicis Leonis PP. XIII. fel. regn. de socialistarum erroribus, de principatu politico et de matrimonio christiano“.

Constitutio „Dei filius“, cui ipsum concilium vaticanum praefixit rubricam „de fide catholica“, eos fidei articulos continet, quorum explicationem ex scholastica consuetudine institutionibus theologicis concedi monuimus. — Altera vero, quam idem concilium „primam de ecclesia Christi“ inscripsit, de praecipuo constitutionis ecclesiae capite agit, nimirum de supremo primatu jurisdictionis romani Pontificis: quod argumentum a nostra disciplina alienum nemo dixerit. Ad ea igitur, quae synodus baltimorensis ex altera hac constitutione vaticana in primum suum titulum intulit, breves has annotationes adscribimus.

Primatui romani Pontificis quatuor proprietates essentiales tribui debent:

1. Ut non sit tantum primatus honoris, inspectionis, merae directionis ac consociationis, sed verae proprieque dictae jurisdictionis, quae nimirum tres ejus potestates, legiferam, judiciariam et coactivam comprehendat.

2. Ut non sit potestas extraordinaria, tum denique exercenda, quum extraordinaria aliqua religionis necessitas id postulet, sed omnino ordinaria, quae Pontifici ex ipso suo munere semper competat[1]).

3. Ut non sit potestas mediata sive quoad originem sive quoad exercitium, sed plane immediata quoad utrumque caput.

4. Ut non sit potestas circumscripta, sed universalis tum ratione materiae, dummodo ad ecclesiam pertineat neque jus divinum obstet, tum ratione subditorum, sive illi de populo sint sive pastores.

Per vaticanam istam primatus definitionem nihil novi esse in ecclesiam inductum, perspici ex eo potest, quod doctores catholici multo ante jam certis argumentis ostenderint, potestatem primatialem Romani Pontificis quatuor recensitis proprietatibus esse insignem[2]).

Ex ignorantia notionis terminorum factum est, ut adversarii hujus veritatis objicerent, episcopos, ecclesiae principes, per definitionem vaticanam e superiore suo loco in ordinem simplicium vicariorum Papae esse detrusos. Etenim vicarius ille dicitur, qui non suam, sed ejus personam gerit, cujus nomine potestatem exercet; magistratus ordinarii autem ii sunt, qui potestatem suo nomine, h. e., officio proprio inhaerentem

---

[1]) Videsis quae de vi ac natura potestatis ordinariae semel atque iterum diximus in prima hujus commentarii parte, pp. 16 et 54.

[2]) Ea de re consuli possunt qui prae caeteris sunt obvii Phillips, *Kirchenrecht*, §. 201 (t. 5, pp. 6 seqq.) et Tarquini, *Institut. juris eccl. publici*, l. 2, c. 2, nn. 12 seqq.

exercent, licet dependenter eandem exerceant ab alio superiori magistratu. Quamvis episcopi potestatem jurisdictionis habeant per Summum Pontificem, habent tamen ex divina ordinatione, atque ita sunt veri principes in ecclesia dioecesesque suas non tanquam alienas neque alieno nomine, sed ut proprias regunt. Veri sunt magistratus ordinarii triplici potestate, legifera, judiciaria et coactiva, instructi; licet juxta divinam ecclesiae constitutionem in exercendis suis juribus a Summo Pontifice dependeant.

Aliam difficultatem ex summa illa episcoporum dignitate petitam, quod sint veri apostolorum successores, commodius expediemus titulo sequenti, ubi vim ac rationem hujus successionis paucis declarabimus. Quae concilium plenarium ultimo loco ipsis verbis oecumenicae synodi de infallibili magisterio romani Pontificis ex cathedra loquentis docet, ea clara esse patet ex data jam notione potestatis jurisdictionis; quum enim potestas docendi ex praecipuis principiis essentiae seu ex elementis constitutivis potestatis jurisdictionis sit, haec autem ex divina ordinatione Romano Pontifici in supremo gradu in ecclesia competat, ejus definitiones circa fidem et mores universae ecclesiae praecepti ritu ex cathedra propositae necessario infallibiles sunt.

Titulus II.

De personis ecclesiasticis.

Caeteris omnibus longior est titulus „de personis ecclesiasticis“, extensus in capita novem, quae, spectata materia, non incongrue in tres partes distinguuntur. Priora septem capita de personis ecclesiasticis saecularibus tractant; capite nono eoque ultimo agitur de personis regularibus. Medium inter utrasque interjacet „schema clericale“, capite octavo propositum sub canonica rubrica „de vita et honestate clericorum“, quod

ad ambas classes referri cernitur. Ratione argumenti prima pars bipartita appellari potest; ita enim disposita sunt decreta, ut praecedant personae, quae aliquam partem in administranda dioecesi habent, episcopí nimirum et eorum in regimine adjutores. Altero loco autem ea exhibentur, quae clerum dioecesanum generatim attinent.

Sunt autem cuncta decreta per novem tituli capita sub his rubricis collata:

C. 1. De episcopis.
C. 2. De consultoribus dioecesanis.
C. 3. De examinatoribus cleri dioecesani.
C. 4. De decanis seu vicariis foraneis
C. 5. De rectoribus inamovibilibus.
C. 6. De concursu.
C. 7. De clero dioecesano.
§. 1. De ordinandorum dioecesi.
§. 2. De sacerdotum incardinatione.
§. 3. De sacerdotibus infirmis.
§. 4. De sacerdotibus lapsis.
C. 8. De vita et honestate clericorum.
C. 9. De regularibus.

Universa materia, in unum hunc titulum congesta, in corpore juris canonici sedem suam habet variis disjectisque titulis duorum librorum, primi ac tertii: quemadmodum ipsum titulorum ordinem percurrenti in oculos incurrit.

Caput I.

De episcopis[1]).

Missis quaestionibus dogmaticis de divinis episcoporum praerogativis, in scholis theologorum decidi solitis, pauca tantum ex fontibus disciplinae nostrae

[1]) De sublimi hoc argumento multa et praeclara invenies in epistola pastorali, quam rmus. D. Otto Zardetti, primus episcopus sancti Clodoaldi (St. Cloud), in st. Minnesota, ipso die, quo sacras infulas solemni ritu suscepit, ad suos dedit, hoc praefixo titulo: „*Des Bischofs Stellung, Amt und Verantwortung*". Einsiedeln, 20. oct. 1889.

propriis afferemus, quibus juvenes, juris sacri cupidi, non nihil juventur ad illos tituli praesentes locos facilius intelligendos, qui interpretatione aliqua visi fuerint egere.

Et ut a „splendidissima illa dignitate, quam cum episcopis Christus communicavit"[1]), commentationis nostrae initium ducamus, inter omnes, qui catholico nomine gloriantur, constat, propriam episcopalis excellentiae causam ex successione apostolica esse petendam; ideo enim episcopi veri ac proprie dicti principes ecclesiae sunt, quia apostolis in regenda ecclesia successerunt[2]). Ne vero apostolica haec successio in pravum adversariorum sensum contra supremum primatum Romani Pontificis perverse detorqueatur, ita est

De episcopis apostolorum successoribus ex principiis juris ecclesiastici arbitrandum:

Delecti a Christo apostoli duplicem sustinuere personam, apostolorum et episcoporum; proindeque facultates ac praerogativae ipsis tributae in duplici differentia ita versantur, ut aliae sint propriae apostolatus, cum apostolorum personis exstinguendae[3]), aliae vero propter ordinem atque indelebilem characterem episcopalem cum successoribus episcopis communicandae.

Episcopi non sunt apostolorum in apostolatu successores, sed in episcopatu tantum. Licet autem amplissima illa in totum orbem potestate caeterisque apostolatus praerogativis careant, sunt tamen veri nominis principes, vero proprieque dicto imperio divina ordinatione per Romanum Pontificem accepto pollentes, qui territoria sibi assignata ut provincias proprias regunt.

---

[1]) Ita patres baltimorenses divinum episcoporum in ecclesia principatum jure merito appellant h. t., n. 12.

[2]) Huc praeter alias faciunt sententiae canonicae: „apostolis decedentibus, in locum eorum successerunt episcopi". C. In novo 2. dist. 21; et „Quorum vices in ecclesia habeant episcopi? . . . Pro apostolis constituti sunt episcopi". C. Quorum 6. dist. 68.

[3]) Ejusmodi inter alias sunt inspiratio in scribendo, amplissima in universum orbem terrarum potestas.

Haec successio in principatu ecclesiastico non ita est accipienda, ac si singulis apostolis singuli successissent episcopi, verum ita est intelligenda, ut collegio apostolorum generatim successisse in regimine ecclesiae dicatur collegium episcoporum, nemine ex apostolis, praeter unum Petrum in romana sede, proprium determinatumque successorem habente[1]).

Tandem apostolorum episcoporumque collegium sejunctum a capite suo Petro cogitari nunquam potest[2]).

Et ista quidem sufficiant ad vim et rationem successionis apostolicae explicandam atque ad evertenda commenta et sophismata, quae in variis liberculis in Germania et alibi adversus primatum Romani Pontificis ex permanenti episcoporum successione in divinum apostolorum principatum identidem facta leguntur.

De officiis episcopi.

Quod canones clericis generatim praescribunt, ut „interpretentur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitantur esse quod dicuntur"[3]): id speciatim etiam ad episcopos translatum volunt, praecipuis eorum muneribus iterum ac tertio ex ipsa appellatione deductis. Et quoniam utriusque juris auctoribus solemne est, ex nominum interpretatione argumenta eruere, et vocabulorum notatione praestabilita de ipsis rebus judicare, alienum a nostra disciplina non fuerit, paucis quibusdam sententiis e corpore juris sacri in rem praesentem allatis usum canonicum argumenti ex etymologia nominis hausti ante oculos posuisse.

S. Isidorus hispalensis, variorum ecclesiasticorum graduum nomina exponens, scribit c. Cleros 1. dist.

---

[1]) Haec et alia plura „de episcopis apostolorum successoribus" a nobis annotata reperies in *Kalendario utriusque eccles.*, t. 1, pp. 460—462.

[2]) Distinctione facta inter dignitatem apostolatus, omnibus apostolis communem, et primatus excellentiam, soli Petro competentem, dicitur Petrus caeteris apostolis „par honore et potestate" ratione apostolatus, sed „aliis major in administratione" ratione primatus: qua de re vide gl. in c. In novo cit. v. Pari. [3]) C. Clericus 5. C. 12. q. 1.

21, §. 7. „Episcopatus vocabulum inde ductum, quod ille qui efficitur episcopus, superintendat, scilicet curam gerens subditorum; σκοπεῖν enim graece, latine intendere dicitur. Episcopi autem graece, latine speculatores interpretantur; nam speculator est praepositus in ecclesia dictus, eo quod speculatur, et perspiciat populorum infra se positorum mores et vitam“[1]). — Et s. Hieronymus, recitatis verbis s. Petri „regite gregem Christi, et inspicite non ex necessitate sed voluntarie“, interpretationis ergo subdit c. Legimus 24. dist. 93: „quod quidem graece significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes, unde et nomen episcopi tractum“[2]). — S. Augustinus tandem ad verba s. Pauli: „qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat“ in eandem sententiam animadvertit c. Qui episcopatum 11. C. 8. q. 1. „exponere voluit, quid sit episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Graecum est enim atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui praeficitur, eis quibus praeficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens; 'επί quippe super, σκοπός vero intentio est. Ergo episcopos, si velimus, latine superitendentes possumus dicere, ut intelligat, non se esse episcopum, qui praeesse dilexerit, non prodesse“[3]). Talem vides ex ipsa vocabuli interpretatione factam declarationem muneris episcopi.

„Nominis definitione prolata“ scilicet manifestum est, episcopi esse, „populo sibi commisso superintendere, vitam et mores subditorum speculari, curam eorum gerere, iisque non ex necessitate, sed voluntarie prodesse“. — Ut autem episcopi revera „nitantur esse, quod dicuntur“, patres baltimorenses princeps illud munus episcopale praesenti titulo pluribus continentur numeris graviter, accurate ac solide prosequuntur, praecipuis episcoporum officiis singillatim ex-

---

[1]) Ex Etymol. l. 7, c. 12.

[2]) Ex epist. 85 ad Evagrium episcop. t. 2.

[3]) Ex opere de civitate Dei, l. 19, c. 19.

plicatis, pastorum praesertim ac principum; additis etiam regulis, quibus diligenter servatis in posterum idoneae episcoporum electioni in dissitis illis ecclesiis sapienter provideatur.

De officio pastoris.

Ad tria capita jus ea reducit, quae pastoris officium spectant; primo enim requirit, ut pastor oves suas sufficienter cognoscat; deinde ut cognitas praeeundo ad salutaria pascua educat; tertio tandem ut ad pascua eductas a lupis et aliis inimicis tueatur.

De officio pastoris oves cognoscendi.

Sufficientem gregis sui cognitionem pastor habere censetur, si adeo exactam gregis sui notitiam sit assecutus, ut „proprias oves nominatim vocare“[1]) possit, h. e., si determinate sciat, quid singulis expediat, quave ratione unicuique secundum propriam indigentiam sit providendum. Tunc enimvero cum summo pastore Christo dicere potest: „ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meae“[2]). Hinc sacri ecclesiae canones ad episcopos transferunt verba Salomonis: „diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera“[3]); eaque adeo stricte accepta volunt, et ubi non amplius rite servari valeant, antiquam dioecesim in plures dividi jubeant[4]).

Determinatae huic singulorum notitiae pastorali procurandae duo alia munera episcopi veluti totidem

---

[1]) Joan. 10, 3. [2]) Ibid. 10, 14. [3]) Prov. 27, 23.

[4]) Huc refertur, quod Joannes PP. XXII. scribit in Extrav. com. Sedes Apostolica un. de offic. delegati: „Ad divini cultus augmentum et ad salutem populi, quem in nonnullis civitatibus et dioecesibus sic multiplicarat Altissimus, quod in earum singulis singulorum vultus nequibat, ut deceret, unicus pastor inspicere aut alias partes boni pastoris implere, . . . dioeceses in plures duximus dividendas“. — Eadem ferme verba occurrunt in alia Extrav. com. Salvator noster 5. de praebendis, et in Extrav. Joannis PP. XXII. Sedes apostolica 1. de concess. praeb.

media conducunt, canonica dioecesis visitatio et personalis in ea residentia: quod utrumque officium legibus tridentinis et recentioribus decretis Sedis Apostolicae accurate est definitum[1]), atque ab obviis quibusvis auctoribus late evolutum.

Ex mente synodi baltimorensis in lustranda dioecesi generatim omnia fieri debent secundum ea, quae sacris legibus sunt constituta. In tribus articulis tamen tantisper a jure communi recedi permittitur, 1. ut visitatio, quam episcopus ex lege tridentina altero quoque anno obire debet aut per se ipsum aut, legitime impeditus, per alium virum idoneum, saltem intra triennium absolvatur: quod, quamvis non expresse dicatur, ideo non immerito concessum credimus, quod dioeceses illae nimis late pateant, quam ut totum visitationis negotium duorum annorum spatio rite confici possit; 2. ut episcopus, etiam per seipsum dioecesim visitaturus, speciales convisitatores pro examinanda bonorum temporalium administratione „secum ducat“: qua lege canones eum non obstringunt, si ipse visitationis munere fungatur; 3. ut quae ex juris sacri praescripto „relatio status dioecesis“ Sedi apostolicae est facienda in visitatione ss. liminum, ab episcopis americanis singulis quinquenniis Romam transmittatur: quod ideo factum patet, ut Papae, cui a Christo commissa est cura et administratio ecclesiae universae, varia ac commutabilis conditio novarum illarum dioecesium semper comperta sit.

Quod in fine decreti n. 13 statuitur „de expensis visitationis provideri in synodo dioecesana“, id non omnino alienum a jure communi censendum est. Quamvis enim omnes illae expensae, quae uno „procurationis“ nomine veniunt in jure[2]), generatim loquendo ex redi-

---

[1]) De visitatione episcopatus agit concil. trident. sess. 24, c. 3; de residentiae obligatione sess. 23, c. 1, utrobique, de reformatione.

[2]) Cfr. Lib. 3, tit. 39. „de censibus, exactionibus et procurationibus“.

tibus ecclesiasticis ab iis praestari debeant, qui visitantur; possunt tamen variis modis solvi; alibi enim ipsum hospitium cum alimentis caeterisque necessariis praebetur, alibi certa vis pecuniae illorum loco datur, alibi gubernium civile visitationis expensis providet, alibi alia ratione congrua visitantis sustentatio curatur. — Quum autem in recentibus Americae dioecesibus nec consuetudine nec particulari lege quidquam reperiatur statutum circa modum necessarios visitationis sumptus praestandi, concilium plenarium ejus rei definitionem merito synodis dioecesanis commissam voluit.

Sed et alia eaque gravior causa erat, cur synodis dioecesanis facultas fieret, procurationis negotium novis statutis finiendi, nimirum paucitas ecclesiarum et personarum visitatarum, quae ex jure communi ad praestandam procurationem obligantur. Ex generali ecclesiae lege quippe ab onere procurationis visitanti solvendae eximuntur 1. laici omnes, licet et ipsi canonice visitentur; 2. clerici beneficio carentes, immo 3. et beneficiati, qui ultra proventus ad propriam sustentationem necessarios nihil ex ecclesiasticis reditibus percipiunt; 4. oratoria privata; hospitalia et alia loca pia pro pauperibus et infirmis deputata; 6. tandem ecclesiae pauperes, quae vix habent, quod ad cultum divinum est peragendum requiritur[1]. — Quibus omnibus demptis in America ferme non remanent nisi solae missiones inamovibiles earumque rectores, quos veris beneficiatis accenseri posse supra docuimus in priori commentarii parte p. 201. — Ut ergo praeter jus commune necessarii fontes legitime aperirentur, unde episcopo dioecesim lustranti congrua sustentatio sumi posset, concilium plenarium sapienter statuit, ut „de expensis visitationis in synodo dioecesana provideretur“.

---

[1]) De regularibus exemptis sermo esse non potest, quia visitationi episcopi non subjacent.

De officio pastoris oves ad pascua educendi.

Ad pastoris officium altero loco pertinet, ut oves proprias sufficienter cognitas praeeundo ad pascua salutaria emittat, h. e., ipsarum necessitatibus sibi perspectis pro viribus succurrat, docente pastorum principe Christo Jesu: „et educit eas“[1]) de stabulo famis ad panem vitae et intellectus, de tenebris ignorantiae ad lumen scientiae, de luto spurcitiae ad lavacrum animae, de mundanis desideriis ad divinorum contemplationem. — „Et vadit ante eas“[2]) velut signum ad quod omnium oculi diriguntur. — Haec generatim de pascuis gregi praebendis. Speciatim vero praescribunt canones, ut pastor „populum suum verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione bonorumque omnium operum exemplo pascere studeat“[3]). De singulis pauca.

Ac primo quidem de necessitate praedicationis accipe classicum juris nostri textum: „Inter caetera, quae ad salutem spectant populi christiani, pabulum verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium[4]); quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde quum saepe contingat, quod episcopi . . . per seipsos non sufficiunt ministrare verbum Dei populo, maxime per amplas dioeceses et effusas, generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exequendum assumant . . . qui plebes sibi commissas vice ipsorum (quum per se

---

[1]) Joan. 10, 3.

[2]) Ibid. 10, 4.

[3]) Concil. trident. sess. 23, c. 1. de reformat.

[4]) Huic consonat c. Inter cunctos, de privilegiis 1. Extrav. com. „Post baptismum inter caetera magis ad salutem necessaria est propositio verbi Dei, quo audientes illud, quod est victoria nostra, instruuntur in fide, docentur fugienda fugere et sectanda sectari“.

iidem nequiverint) . . . verbo aedificent et exemplo"[1]). Ejus necessitatis causam altius etiam repetens scribit s. Nicolaus PP. I. „Dispensatio est nobis coelestis seminis injuncta. Vae, si non sparserimus! Vae, si tacuerimus! Quod quum electionis vas formidet et clamet[2]): quanto magis cuilibet exiguo metuendum?"[3])

Apostolus autem, cujus auctoritate sanctus Papa onus praedicandi hoc canone „a majori" confirmat[4]), praedicationis munus adeo sui proprium agnovit, ut non dubitarit asserere, se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum fuisse missum[5]).

Alii multi sunt canones de eodem hoc doctoris officio, episcopis divinitus injuncto, quos singillatim persequi longum est ac non necessarium. Id unum ex iis enotamus, munus sacras in templo conciones habendi, a concilio tridentino ita proprium episcoporum esse declaratum, ut illud caeteri clerici sine eorum venia aut consensu exercere prohibeantur[6]).

Et ita hodieque, ut olim[7]), praedicationis officium suo modo „privilegiatum" censetur[8]). Sed haec de pastorali officio divinum verbum populo nuntiandi satis multa.

---

[1]) C. Inter caetera 15. X. de offic. jud. ordinarii. (Innocent. PP. III. in conc. gener. an. 1215).

[2]) „Vae mihi est, si non evangelizavero!" I. Cor. 9, 19.

[3]) C. Dispensatio 5. fin. dist. 43.

[4]) Ita gl. ad hunc canonem, v. quanto magis.

[5]) I. Cor. 1, 17.

[6]) Ea de re concilium sess. 24, c. 4, de reform. constituit: „nullus autem saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo praedicare praesumat". Et sess. 5, c. 2, de reform. regularibus speciatim prohibuit „praedicare in ecclesiis non suorum ordinum sine episcopi approbatione, vel in ecclesiis suorum ordinum sine episcopi benedictione".

[7]) C. Quod Dei timorem 5. X. de statu monachor.

[8]) „In hoc est privilegiatum, ait gl. ad. c. cit., quia nemo debet praedicare, nisi ei sit commissum ab episcopo loci vel ab Apostolica Sede (uti habetur) c. Excommunicamus 13. § Quia vero X. de haereticis.

Alterum et opiparum pabulum, quod pastor animarum ovibus sibi commissis parare et subministrare debet, sunt sacramenta ipsis necessaria, ut vitam christianam rite auspicentur, fideliter prosequantur ac feliciter finiant. Neque sejungi ab iis possunt sacramentalia caeteraeque functiones, ad exercitium potestatis ordinis spectantes, quibus fidelium pietas excitari solet ac foveri. Et quamvis pleraque elementa ad hanc pascuorum speciem pertinentia per sacerdotes in partem sollicitudinis episcopalis assumptos populo subministrentur; plura alia tamen episcoporum sunt propria, quae sacerdotibus vel nullatenus permittuntur[1]) vel via extraordinaria tantum per Sedem Apostolicam conceduntur[2]). Sed sive episcopus haec per se praestet, sive „alios idoneos sacerdotes habeat cooperatores in iis, quae ad salutem spectant animarum“[3]): ipse ubique „praeordinator in cunctis“ habetur et est[4]).

Tertio tandem „bonorum omnium operum exemplo“ gregem esse pascendum, omnis aetatis canones clamant. Ne autem lector ex superflua textuum serie molestiam trahat, pauca tantum principia ex corpore juris sacri adscribimus.

„Episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere praevidere, ut cunctum populum, cui praesident, conversatione, sermone et scientia praeeant“[5]). — Pastoris vita in exemplum debet esse discipulis . . . ut ex sedula visione ejus conversationis exemplum profectus sumant[6]). — „Episcopus ad curam aliorum positus in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei

---

[1]) Huc spectat administratio sacramenti ordinis.

[2]) Ejusmodi praeter alia sunt collatio sacramenti confirmationis; confectio chrismatis et olei infirmorum; sacrarum virginum, altarium, ecclesiae consecratio ejusque post pollutionem expiatio.

[3]) C. Inter caetera cit.

[4]) C. Perlectis 1. dist. 25.

[5]) C. Qualis enim erit 21. C. 8. q. 1. (s. Hieronymus).

[6]) C. Quum pastoris 58. C. 2. q. 7. (s. Gregorius M.).

oporteat conversari"[1]. — „Etsi deceat quoslibet subditorum curam exhibere sollicite, et per omnia velut lucis filios ambulare; hoc tamen praecipue ab ipsis exigitur, qui constituti per altitudinem dignitatis, ut in specula, circa commissas sibi plebes pastorum simul et custodum partes implere tenentur, et coram ipsis laudabilium operum exemplo lucere"[2].

Sed praestat „summulam" exhibere, in quam vetus interpres horum aliorumque similium locorum sententias redegit: „Omnes quidem, ait, qui veniunt in hunc mundum, illuminari debent a claritate Verbi, a sole justitiae. Ast sacerdotes, pastores plebis christianae, inter homines sibi concreditos debent esse instar crystalli pellucidi et radiantis, in quod radii solis incidentes in caeteros homines refunduntur. Quod eo fortius obtinet in episcopis, qui lux sunt mundi et lucerna super candelabrum posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt"[3].

Et iste quidem est triplex animorum pastus, ad quem et synodus baltimorensis oves Christi per episcopos educi jubet. Prae caeteris autem majorem in modum tertium pabuli genus commendat, quod subditis „bonorum omnium operum exemplo" praeberi ex jure didicimus. Eum in finem episcopos, post datam generalem admonitionem de evellendis duabus praecipuis vitiorum pastoritiorum radicibus, luxu nimirum et avaritia, ad apostolicam vivendi regulam expresse remittit: cujus quum omnia tredecim capita in ipso corpore juris canonici singillatim sint proposita ac plurimis textibus illustrata[4], non est cur aliam explicationem addamus.

---

[1]) C. Quum in cunctis 7. X. de electione (concil. generale a. 1215).

[2]) C. Etsi deceat 3. de maj. et obed. Extrav. com.

[3]) Matth. 5, 14—15.

[4]) Apostolicam hanc regulam per partes descriptam omnigenisque canonibus declaratam habes in corpore juris a dist. 25 ad dist. 48.

De officio pastoris oves a ferarum incursibus praeservandi.

Tertium pastoris munus in eo est, ut oves proprias ad salutarem pastum eductas ab omnibus nocivis atque inimicis tueatur, docente omnium pastore Christo Domino: „et quum proprias oves emiserit, ante eas vadit“[1]), ut fortis minister ac robustus armiger, suum praecedens gregem, ut tutam ab inimicorum insidiis reddat viam et, si quid periculi a lupo rapaci perspexerit imminere, se statim pro salute gregis opponat.

Quam vigilantiam ac sollicitudinem canones in praecipuis virtutibus boni postoris ubique ponunt. „Inter cunctas sollicitudines nostras, inquit Benedictus PP. XI., quibus nos pastorale premit officium, illa debet esse praecipua, ut gregi dominico, nobis superna dispositione commisso, animarum cura non desit, ne illum lupus rapax, antiquus serpens, humani generis inimicus, invadat“[2]). Et Sixtus PP. IV. in recentiori decretali declarat: „Quemadmodum operosi vigilisque pastoris solertia oves suae custodiae deputatas curat a ferarum praeservare incursibus et ad statum prosperum, foetu multiplicato, perducere: ita quoque nos, quibus dispositione superna universi gregis dominici sollicitudo commissa est . . . . studiis nitimur indefessis“ etc.[3]). — Quomodo autem „latratu canum et baculo pastorum lupi sint a grege arcendi“, pluribus exsequitur s. Gregorius M. c. Sit rector 1. dist. 43, quem ipse adeas.

---

[1]) Joan. 10, 4.

[2]) C. Inter cunctas 1. de privilegiis. Extrav. com. Varias nocendi artes inimici, a quibus pastor gregem suum tueri debet, significantiori hac forma describit Bonifacius PP. VIII. C. Sancta Romana. un. de religiosis domibus: „ne sub ovina pelle gregem dominicum truculentia lupi rapacis invadat, sub pietatis imagine virus haereticae pravitatis obrepat, et sub praetextu conversationis angelicae incautis mentibus spiritus malignus illudat“.

[3]) C. Quemadmodum 4. de poenitent. et remiss. Extrav. com.

Summos Pontifices, „dominici gregis saluti semper intentos“[1]), in exemplum sibi sumpserunt patres baltimorenses, decretum suum a gravissima hac obligatione vigilantiae pastoralis episcopis inculcanda solemniter exorsi.

De officio principis.

Supra jam animadversum est pp. 21—22, competere episcopis verum proprieque dictum imperium, tres ejus potestates comprehendens, legiferam, judiciariam, coactivam. — Hoc loco concilium plenarium de exercitio ipsius imperii episcopalis seu de regimine agit, propositis variis normis, quas in usu potestatis sibi concessae sequi debeant episcopi. Versantur autem in duplici differentia, quae synodus episcopos in munere suo administrando ob oculos habere vult. Ac primo quidem regulae dantur, ad quas exigendum est potestatis jurisdictionis exercitium respectu habito ad subditos; deinde vero praescribitur, quidnam servari oporteat respectu superioris, h. e., romani Pontificis, a quo episcopi ex ecclesiae constitutione, in regimine dependent.

De canonica gregis regundi ratione.

Sacris canonibus innixi, patres baltimorenses episcoporum imperium generatim moderatum volunt esse ac mite; eos proinde graviter adhortantur de praecipua obligatione principis ecclesiastici, fideles sibi subjectos, nominatim clericos, decenti humanitate, caritate, benevolentia tractandi atque in administranda justitia lenitatem cum severitate prudenter miscendi, quantum id bonum commune et uniuscujusque personae profectus fieri sineret. — Perspicuus est textus concilii nec aliud opus fuerit, quam ut potiora ejus incisa verbis canonicis breviter circumscribantur.

---

[1]) C. Etsi dominici 5. de privilegiis. Extrav. com. et alibi passim.

Magistratibus ecclesiasticis canones prae caeteris has regulas tradunt, ut subditos prudenti rectoque imperio regant.

„Tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nobis, si subjecti fuissemus, nostros vellemus esse praepositos“[1]).

„Episcopi honorent clericos quasi clericos, ut et ipsis a clericis quasi episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii: cur ego, inquit, te habeam ut principem, quum tu me non habeas ut senatorem? . . . Recordemur semper, quod apostolus Petrus praecipit sacerdotibus: Pascite eum, qui in vobis est gregem Demini, providentes non coacti, neque ut dominatores in clero, sed forma facti gregis ex animo“[2]).

Quomodo autem speciatim lenitas cum severitate sit opportune socianda multis canonibus docetur dist. 45; ut ecce c. 9: „disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia et pie saeviens disciplina . . . . Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur . . . Sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plusquam expedit, parcens“[3]). — Et c. 14: „Cunctis rectoribus utraque (mansuetudo benignitatis et districti jura regiminis) summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinae vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinae: quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, quum contumaces corrigunt; nec disciplinae vigorem molliant, quum infirmorum animos

---

[1]) C. Quorundam 6. dist. 74. (s. Gregor. M.).

[2]) C. Esto subjectus. 7. dist. 95. (s. Hieronym.).

[3]) C. Disciplina 9. dist. 45. (s. Gregor. M.).

consolantur. Regat ergo disciplinae vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem; et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta"[1]).

De sacerdotibus corrigendis autem nominatim praescriptum est, ut in illo temperamento ex benignitate et asperitate faciendo „benevolentia plus, quam severitas agat". cc. 4 et 6: „Licet nonunquam accidant in sacerdotibus, quae sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam comminatio; plus caritas, quam potestas"[2]).

In coercendis criminibus tandem princeps ex mente canonum ejusmodi poenas infligere debet, quae finem poenae certo pariant; ne „dum ansam solvere vult, nodum ligasse videatur"[3]): quod tunc fieri dicitur, quando magistratus adeo non consequitur id, quod lata sententia obtinere cupit, ut immo „pro ea, quam intendebat, quiete turbatio nascatur, pro concordia suboriantur dissidia et pullulare inquietudines pro tranquillitate noscantur"[4]).

Est autem, notante concilio, duplex finis poenae ecclesiasticae praestitutus, ut delinquens emendetur et ut alii quoque a simili crimine perpetrando deterreantur. Et re sane vera, eo in primis intendere judicem criminalem in ecclesia debere, ut reus idoneis poenis emendetur, manifestum est ex ipsa natura potestatis jurisdictionis, quae etiam per exercitium potestatis coactivae privatam uniuscujusque membri institutionem ac salutem spectat. — Alterum finem vero, qui est in

---

[1]) C. Sunt namque 14. dist. 45. (s. Gregor. M.).

[2]) C. Licet plerumque 4. (Gregor. PP. IV.) et C. Licet nonnunquam 6. (Leo M.) dist. 451.

[3]) C. Quum olim. 24. X. de verb. signif. et C. Inter cunctas de privileg. 1. Extrav. com.

[4]) C. Inter cunctas cit.

illa vi poenae, ut caeteri homines „ejus metu“[1]) ab eodem scelere admittendo efficaciter absterreantur, in jure sacro identidem expressum invenimus. „Ne facilitas veniae, inquiunt patres concilii lateranensis quarti, incentivum tribuat delinquendi, statuimus . . . ut puniantur . . . ut quos divinus timor a malo non revocat, temporales saltem poenae cohibeant a peccato“[2]); quod iidem expressius etiam alio loco sic exprimunt: „ut quos Dei timor a malo non revocat, ecclesiasticae saltem coërceat severitas disciplinae[3]).

Est autem „ecclesiasticae haec severitas disciplinae“ ex aliis textibus in tantum urgenda, in quantum id assecutio finis exigit; ita quippe „ultrix procedat dura sententia, quae delinquentes sic puniat graviter, quod alios a similium praesumptione compescat“[4]). — Quod ubi princeps, per idoneas poenas delinquentibus inflictas obtinuerit, subditi omnes sibi merito dictum putabunt, quod semel atque iterum animadvertit glossa[5]):

„Felix, quem faciunt aliena pericula cautum!“

De visitatione sacrorum liminum.

Quamvis episcopi, locorum ordinarii, dioeceses suas nomine proprio, ut veri principes, gubernant, sunt tamen in munere suo explendo Papae obnoxii, rationemque administrationis gestae eidem reddere et relationem de statu ecclesiae suae facere debent. Atque haec est una ex praecipuis causis, cur longa con-

---

[1]) C. Hac constitutione 15. de offic. et pot. jud. delegat. in 6.

[2]) C. Ut clericorum 13. X. de vita et honest. cleric. (Concil. general. later. an. 1215).

[3]) C. Quum in cunctis 7. X. de electione.

[4]) C. Si canonici. 2. de offic. jud. ordinar. in 6.

[5]) Ad c. Viduas 2. C. 27, q. 1, in fine; et ad c. Citius 44. de poenit. dist. 2. v. lapsum: ubi etiam in confirmationem hujus sententiae afferuntur verba Senecae: „ruina praecedentium solet esse doctrina sequentium“.

suetudine recepta[1]), et scripta etiam lege confirmata sit „visitatio sacrorum liminum apostolorum Petri et Pauli“, de qua synodus nostra agit n. 13, potiores ejus rationes paucis ex ordine persecuta. Poterat autem synodus eo magis hoc loco brevitati servire, quod in „Appendice“ longiorem instructionem romanam esset exhihitura (pp. 197—202), quae cuncta ad gravissimum hoc negotium spectantia fusius explicaret: addita etiam formula juramenti, quo se episcopi visitatationis lege obstrictos solemniter profitentur.

Formula „visitare limina sanctorum“, apud scriptores medii aevi frequentissima de iis, qui peregrinationes ad sanctorum memorias instituunt, inde ortum habet, quod ad limen confessionis seu martyrii subsistebant, qui pietatis ergo sanctorum sepulchra visitabant; nam ipsa sacraria solis presbyteris patebant[2]. Atque hoc sensu „visitatio liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli“ in corpore juris canonici legitur „orationis causa“ a fidelibus facta[3]). — In praesenti argumento autem „visitatio liminum“ non ad unum pietatis exercitium restringitur, sed tres distinctos actus comprehendit: venerationem sacrorum cinerum apostolorum Petri et Pauli, obedientiam erga romanum Pontificem, qui apostolorum locum tenet, et relationem de statu propriae ecclesiae. Ex his actibus ultimi duo in canonico visitationis negotio adeo principantur, ut et limina apostolorum ibidem esse censeantur, ubi Papa, qui sacris liminibus praeest, cum curia sua degit, et appellatione „visitationis liminum“ ipsius Papae visitatio et obedientia eidem praestita intelligatur[4]). Quod

---

[1]) Cfr. c. Juxta sanctorum patrum 4. dist. 93.

[2]) Ab hoc confessionis limine traductum fuisse vocabulum ad ipsam ecclesiam designandam, allatis exemplis ostendit Du Cange, *Glossar. med. et infim. latinit.*, v. limen, t. 5, p. 112, edit. an. 1885.

[3]) C. Ad limina. 7. C. 30. q. 1.

[4]) Juramentum episcoporum in pontificali romano praescriptum hodieque solius visitationis Papae et relationis de statu ecclesiae eidem

idem non immerito fieri, ex altioribus causis docet Fermosini, *de probationibus*, ad c. Ego N. episcopus 4. X. de jurejurando.

Visitationem sacrorum liminum variis temporibus expediunt episcopi, pro diversa locorum distantia. Qui in America commorantur, eam intra decennium absolvere debent: initio decenniorum computato a 20. decembris an. 1585, quo die edita fuit constitutio Sixti PP. V. „Romanus Pontifex". — Sed de visitatione liminum videnda est ipsa instructio romana, in qua accurate lateque declarata invenies, quae americanis episcopis ad mentem juris communis in hoc munere obeundo servanda sunt.

De visitatione sacrorum liminum ex generali ecclesiae lege rite expedienda consuli possunt juris sacri interpretes in c. Ego N. episcopus cit., quod antiquam formulam juramenti episcoporum et in ea expressam visitationis obligationem continet. Ex recentioribus in primis legi merentur Phillips et Lucidi, quorum commentarii se mutuo complent. Phillips quidem, innumeris prope collectis et diligenter examinatis monumentis, rationes scientificas hujus disciplinae capitis egregie declaravit in magno suo opere *Kirchenrecht*, sub rubrica „die Romfahrt der Bischöfe", t. 2, §. 82, pp. 199—218. Lucidi vero normas practicas, ad quas jam ipsa visitatio est exigenda, copiose tractavit proprio libro de *visitatione sacrorum liminum*, edito Romae anno 1866.

---

faciendae expressam mentionem continet. Episcopi americani hoc sacramento visitationis oneri se obligant: „Apostolorum limina singulis decenniis personaliter per me ipsum visitabo, et beatissimo Patri nostro N. ac successoribus (canonice intrantibus) rationem reddam de toto meo pastorali officio ac de rebus omnibus ad meae ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei traditae sunt salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar" (Append. pp. 202—203).

Quoniam Lucidi singula „instructionis" capita ex ordine persequitur, ex ea lector, sacrae jurisprudentiae cupidus, et indicem operis et argumentum relationis status ecclesiae facile discet. Est autem tenoris, qui sequitur:

Instructio

sacrae congregationis concilii pro episcopis, archiepiscopis, primatibus et patriarchis, super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum, quas occasione visitationis sacrorum liminum eidem sac. congreg. exhibere tenentur.

Summus Pontifex Sixtus Papa V., qui tempora statuit, quibus singuli episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae per seipsos vel per eorum certum nuntium, visitare tenentur limina beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, antiquissimae observantiae inhaerendo, nedum voluit, ut ultra sacrorum liminum visitationem romano pro tempore Pontifici de toto eorum pastorali officio et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus rationem redderent, uti fusius habetur in praedicti Pontificis constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam constitutione, quae incipit *Immensa aeterni Dei*, sacrae congregationi praepositae interpretationi sacrosancti concilii tridentini curam demandavit, praedictam rationem, quae dicitur relatio status ecclesiae, perpendendi et examinandi ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Sixtinae hae constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad sacrorum liminum visitationem tum quod relationem statuum ecclesiarum; sed quum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquae ex eis aliquando fuerint exhibitae abundantes in superfluis et aliquae aliquando deficientes in necessariis; quumque ad haec

avertenda in synodo romana hoc anno 1725 a sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. habita in basilica lateranensi praescriptum sit, ut instructio hactenus omissa a sacra concilii congregatione ederetur: haec idcirco instructio publici iuris fit, ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum ad eandem sacram congregationem in posterum transmittendis, curent episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae, ipsi se conformare et suas relationes ad quaedam distincta capita reducere, quorum primum ad statum ecclesiae materialem, secundum ad personam ipsius referentis, tertium ad clerum saecularem, quartum ad clerum regularem, quintum ad moniales, sextum ad seminarium, septimum ad ecclesias, confraternitates et loca pia, octavum ad populum et ultimum denique referatur ad postulata, quae ab ipso referente sacrae congregationi proponuntur.

§. 1. De primo relationis capite, pertinente ad statum ecclesiae materialem.

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda:

I. Institutio.

II. Confinia.

III. Privilegia et praerogativae episcopatus, archiepiscopatus aut patriarchatus.

IV. Numerus civitatum, oppidorum aut locorum, qui episcopatui, archiepiscopatui aut patriarchatui subjecti sunt.

V. Status cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis ecclesiae, una cum numero canonicorum et aliorum servitio chori addictorum; et an erectae fuerint praebendae penitentiaria et theologalis.

VI. Status ecclesiarum collegiatarum una cum numero pariter canonicorum et caeterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis.

VII. Status et numerus ecclesiarum parochialium, nec non aliarum ecclesiarum et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu exsistentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana aut patriarchalis, et collegiatae, oratoria, nec non parochiales, caeteraeque ecclesiae sint sacris suppellectilibus instructae, et quaenam ex eis habeant reditus pro fabrica assignatos.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum quam mulierum; exprimendo, an aliqua ex monasteriis virorum sint subiecta suae iurisdictioni; et an et quae mulierum monasteria sibi subiecta sint, vel praelatis regularibus.

IX. An adsit in dioecesi seminarium clericorum, quot in eodem alantur, an fuerit statuta taxa et in universum quinam et quot sint reditus praedicti seminarii.

X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum et aliorum locorum piorum, quae sunt in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu, et quinam sint eorum reditus.

XI. An adsint montes pietatis et quot sint, una cum aliis consimilibus, ad statum materialem ecclesiae spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quae fit ab episcopo, archiepiscopo aut patriarcha exhibeatur, in subsequentibus etenim relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod referens notificandum sacrae congregationi existimaret.

§. 2. *De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum episcopum, archiepiscopum, primatem et patriarcham.*

In hoc capite exponi debebit:

I. An residentiae praeceptum a sacris canonibus, concilio tridentino et constitutione Urbana prae-

scriptum adimpleverit; et an aliquo et quo tempore abfuerit et an ultra menses conciliares et an cum vel sine Sedis apostolicae licentia.

II. An et quoties dioecesis sibi commissae visitationem expleverit.

III. An per se, vel per alium episcopum sacras ordinationes expleverit, et sacramentum confirmationis administraverit.

IV. An et quoties synodum dioecesanam coëgerit, et si episcopus nulli archiepiscopo subjectus sit, an ad synodum provincialem eius archiepiscopi, quem ad tramites tridentini eligere tenetur, ut eius synodo provinciali intersit, accesserit; et si sit archiepiscopus, an synodum provincialem habuerit, et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. An verbum Dei per se ipsum praedicaverit, et an legitimo concurrente impedimento viros idoneos assumpserit ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum.

VI. An habeat depositarium poenarum et mulctarum pecuniariarum, et an eaedem fuerint piis usibus applicatae.

VII. Quaenam taxa et an Innocentiana in sua cancellaria observetur.

VIII. An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, jurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis et immunitatis ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro populo aut pro clero.

§. 3. De tertio capite ad clerum saecularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An canonici caeterique choro addicti cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis ecclesiae nec non collegiatarum choro jugiter intersint.

II. An ultra matutinum, laudes caeterasque alias

horas canonicas quolibet die celebrent missam conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus.

IV. An suas habeant constitutiones et eas punctualiter observent.

V. An qui obtinent praebendam poenitentiariam aut theologalem adimpleant quae adimplenda sunt et quomodo.

VI. An parochi in suis parochiis resideant.

VII. An librum matrimonii et baptizatorum aliosque libros, quos ad normam ritualis romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent.

IX. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, juxta monitum tridentini et praecitati concilii romani.

X. An saltem dominicis et aliis festis diebus in suis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes pueros caeterosque hoc adjutorio indigentes doceant; et an et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. An singuli parochi, caeterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto missam applicent pro populo eorum curae commisso.

XII. An et quae praemittantur, antequam quis ad primam tonsuram et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus initiandi ante cujuscumque ordinis sacri receptionem piis meditationibus,

vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. An omnes praedicti vestes jugiter deferant clericales et an quoad fori privilegium serventur disposita a sacrosancta synodo tridentina sess. XXIII. cap. 6. de reformat., et a constitutione sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII. in eodem concilio romano emanata.

XIV. An habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam sint mores cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiore.

§. 4. De quarto capite ad clerum regularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An regulares curam animarum exercentes, qui episcopali jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant juxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de parochis saecularibus.

II. An aliquis regularis extra monasterium degat; an aliqui adsint in dioecesi a suis superioribus servatis servandis ejecti, vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo fuerit, et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus praefixo; et

quinam sint religiosorum mores in dictis conventibus et granciis degentium.

IV. Denique, an aliquod habeat cum regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a sacro concilio tridentino, vel a Summorum Pontificum constitutionibus et signanter a bulla Clementis Papae X. quae incipit *Superna.*

§. 5. De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An moniales episcopo subjectae suas servent constitutiones.

II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio sacrae congregationis indigeant.

IV. An praeter ordinarium confessorem alius extraordinarius ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum reditus fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint persolutae et quomodo erogatae.

VI. An in monasteriis monialium, quae sunt praelatis regularibus subjecta, curaverit, ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata, et an contra inobedientes et contradictores per censuras ecclesiasticas et alia juris remedia processerit.

VII. An harum monialium confessarii regulares sive ordinarii sive extraordinarii fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An adhibitis superioribus regularibus singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad haec mo-

nialium monasteria regularibus subjecta, et an fideliter eorum reditus administrentur, et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in bulla Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili*.

§. 6. De sexto relationis capite, pertinente ad seminarium.

In hoc capite exponendum erit:

I. Quot sint in seminario alumni.

II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent et quo profectu.

IV. An cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum a se electorum necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet et operam det, ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii tridentini eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§. 7. De septimo capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum missarum et anniversariorum ad tramites decretorum san. mem. Urbani VIII. et an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter exsecutioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis sive caritatis visitaverit; et an idem habeat reditus, qui superabundent sustentatione ministrorum aliisque necessariis

expensis; et in quas causas reditus illi erogentur; et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam aut frumentum, si agatur de monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An infirmorum hospitalia visitaverit, redituum rationes ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria quoad salutem animae et corporis in eis subministrentur.

§. 8. *De octavo relationis capite ad populum pertinente.*

In hoc capite exponendum erit:

I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam in eodem inoluerit consuetudo, quae consilio indigeant et Sedis apostolicae adjutorio.

§. 9. *De ultimo capite ad postulata pertinente.*

Ultimo loco episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt congregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione; et quatenus postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiae, ut, omnibus mature pensatis, possit sacra congregatio congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae pro suarum indigentia ecclesiarum atque dioecesium addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere quae ipsis addenda videbuntur et ad notitiam sacrae congregationis deferre; quae ex caritatis et

justitiae norma per se expediet quae poterit, et majora ad Summum Pontificem deferet, qui fratribus suis episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

C. Card. Origus Praefectus.

Loco † Sigilli.

P. Archiepisc. Theodosiae secret.

(Bull. Bened. XIV. Tom. II. Append.).

De electione episcoporum.

Decretum „de episcopis" synodus plenaria finit propositis regulis in electione episcoporum in posterum servandis.

Ea in decreti parte tria distingui possunt: exordium de gravitate argumenti tractandi, jus constituendi episcopos ex divina ordinatione ipsi primatui Papae inhaerens, designatio idonearum personarum, quas Sedes apostolica promovere ad regimen ecclesiarum tuto possit.

Exordium paucis complectitur, quae canones et numero plurimi et auctoritate gravissimi de momento ejusdem quaestionis expendenda proponunt. Omnium loco unum illud decretum citasse contenti sunt patres baltimorenses, quod plenum sapientiae et prudentiae editum est Tridenti, sess. 6, c. 1. de reform., in quo ipso potiores juris textus allegantur[1]), qui de eligendis episcopis agunt. Ex his unum saltem in suo fonte breviter considerasse non abs re fuerit; illum, inquam, cujus praeclaram sententiam ex tridentina sede, tacito primo ac proprio ejus auctore, in decretum suum transtulere, tanquam si unius concilii tridentini auctoritate fulciretur; et est ejusmodi: „salutem subditorum in praesidentium integritate consistere credebat tridentina synodus". Est autem sententia s. Leonis M. relata

[1]) Ex distinctionibus 59 et 61.

c. Miramur 5, dist. 61, quod caput integrum est de magnitudine ac pondere negotii electionis episcoporum. „Indignis, ait Pontifex, pastorale fastigium et gubernationem ecclesiae credere, non est consulere populis, sed nocere; nec praestare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim praesidentium salus est subditorum. . . . Quod si in quibuslibet ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum nihilque praeposterum: quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiae Domini status et ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite“[1]). — Sed haec in praesentia satis. Ad eundem locum mox sermo redibit.

De potestate romani Pontificis episcopos constituendi.

Romano Pontifici vi primatus sui jus competere, episcopos per universum terrarum orbem constituendi, res est ex principiis juris ecclesiastici publici certa et evidens. Est enim jus eligendi magistratus per se jus regium, h. e., ejus, qui supremam in societate habet potestatem, nisi in ipsa societatis constitutione aliquid expresse ea de re statutum fuerit. Et ratio patet, quia nemo populum obligare potest, ut cuipiam pareat, nisi is, cui populus subest. Hinc sequitur, episcoporum electionem, nisi demonstretur, Christum aliter statuisse, per se ad romanum Pontificem pertinere.

Atqui neque ex sacris literis, neque ex ecclesiae traditione probari potest, aliter fuisse a Christo statutum[2]).

Accedit eo, quod definitum a concilio tridentino fuit sess. 23, can. 8, „episcopos, qui auctoritate romani

---

[1]) Eadem sententia paulo post repetitur c. Valentinianus 3. dist. 63: „Non decet pontificem verbo solo, sed etiam conversatione gubernare subjectos, et totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere“.

[2]) Hoc argumenti genus egregie explicat Tarquini, *Institut. jure eccl. publ.* l. 2, c. 2.

Pontificis assumuntur, esse legitimos et veros episcopos", h. e., romano Pontifici legitimam esse potestatem creandorum episcoporum.

Animadvertendum autem est, licet jus eligendi episcopos ad romanum Pontificem per se pertineat, nihilominus ejus vel lege vel approbatione ac consensu ad alios deferri posse; quod enim cujuspiam lege aut consensu fit, ejusdem innititur auctoritate.

Quinam vero ii in ecclesia fuerint, qui variis aetatibus partem aliquam in creandis episcopis habuerint, ex ecclesiastica praxi circa episcoporum electionem videre est apud Tarquini, l. c.; ubi specialem etiam attentionem merentur, quae, post partem historicam, contra ineptum Antonii Rosmini aliorumque recentiorum politicorum errorem, „quod electio proprii episcopi per plebem fieri debeat", solide et luculenter disputat n. 20.

Methodus electionis pro America praescripta.

Jure decretalium episcopum ipsi viduatae ecclesiae canonici eligunt. Verum post editas regulas cancellariae generatim Summo Pontifici reservata est episcoporum electio et collatio omnium ecclesiarum cathedralium.

Ut autem in praecipuo hoc supremi regiminis negotio rite sancteque expediendo prosperitati ecclesiae omni meliori modo consulere queant Pontifices, in primis officii sui curis sollicitudinem ponunt, ut copia idoneorum et episcopatu dignorum virorum in promptu sit, qui ecclesiis tempestive praeficiantur: designatis scilicet certis personarum generibus, quae in candidatorum dotes juxta leges a Papa constitutas diligenter inquirant et de omnibus accurate ad Sedem apostolicam referant.

In statibus foederatis Americae septentrionalis negotium hoc solis metropolitis et episcopis commis-

sum erat usque ad an. 1883. Exinde vero, ampliatis episcopatuum regionibus, factaque plurium provinciarum divisione ac multis dioecesibus recens erectis, Sedes apostolica id a mutatis rerum adjunctis postulari judicavit, ut ad clerum quoque pars aliqua in designandis ac commendandis candidatis deferretur: quatenus ex dissitis illis terris accuratiores etiam notitiae de qualitatibus promovendorum ad Papam mitterentur, et in absolvendo actu, qui cunctas dioecesis nationes tangit, omnis gratiae et favoris suspicio arceretur et ratio haberetur una meritorum[1]). Et hoc est jus novum in extrema parte decreti propositum.

Quemadmodum vero, ubi populus olim jus habebat testimonium de moribus eligendorum dandi, id non ab universa populi multitudine dictum fuit, sed ab honoratis et primatibus civitatis tantum: ita etiam hic sapienter statutum est, ut clerus dioecesanus honorificum munus sibi concessum per „consultores et rectores inamovibiles dioeceseos" capitulariter ac servata forma canonica religiose expleret[2]). Quae si diligenter in usum deducta fuerint, ecclesia americana sibi merito gratulari poterit episcopatum ad genuinam mentem tot tantorumque ecclesiae canonum constitutum, e quibus,

---

[1]) Quam serio Pontifex hoc privilegium acceptum velit, ex eo patet, quod episcopos jubeat „rationes suas exponere, si in recommendandis candidatis judicaverint, nomina a clero proposita esse rejicienda".

[2]) Simili ferme ratione in Hibernia et Scotia clerus dioecesanus per parochos et canonicos tres viros episcopatu dignos eligit, qui per metropolitam et episcopos provinciae Summo Pontifici „recommendentur", ut ex iis unum ad vacantem ecclesiam promoveat. „Recommendentur", inquam; quia Sedes apostolica plus semel declaravit, „nomina candidatorum per simplicem commendationem proponi, ut notitiam tantum et lumen afferre valeat in electione perficienda, quae, uti juris est, ad apostolicam Sedem omnino pertinet". Ea de re exstant binae literae s. congregationis de propaganda fide, e quibus priores ad episcopos Hiberniae editae sunt anno 1829 (cfr. Brenan, *Ecclesiast. history*, p. 405), alterae ad episcopos Scotiae an. 1883, relatae in „Acta et decreta concilii Scotiae plenarii primi post redintegratam hierarchiam", p. 173.

coronidis instar, unum ex c. Miramur cit. §. 4, adscribere placet: „Merito sanctorum patrum venerabiles sanctiones, quum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuere, quorum omnis aetas, a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos, per disciplinae ecclesiasticae stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita praeberet, nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci praemium deberetur".

Caput II.

De consultoribus dioecesanis.

Quatuor, quae sequuntur, capitibus de iis agitur, quos episcopis ad administrandas dioeceses suas adjutores dari voluerunt canones, nimirum de canonicis et, qui eorum vices gerant, de consultoribus dioecesanis, de examinatoribus cleri, de decanis et de parochis seu de rectoribus inamovibilibus. — Ex iis episcopo in universo regimine dant operam canonici sive consultores dioecesani et examinatores; in minoribus distinctisque administrationis partibus opem ferunt decani et parochi, singuli pro ratione muneris sibi ab episcopo commissi.

Primo loco ponuntur canonici et, qui eorum partes suscipiant, consultores dioecesani, tota materia in sex numeros ex ordine divisa.

Quoniam nova haec consultorum dioecesanorum institutio vim rationemque suam a capitulis canonicorum ecclesiarum cathedralium trahit, ex iis profecto cuncta sunt aestimanda atque explicanda, quae ad consultores spectant. Unde synodus alterum hoc caput recte et sapienter incipit a brevi notitia de canonicis deque essentiali eorum officio, episcopis dioeceses suas regentibus in omnes partes bono consilio assistendi.

De canonicis ecclesiae cathedralis ex longis juris consultorum quaestionibus duas tantum seligimus, quae, servata proportione, etiam ad usus consultorum nostrorum transferri possunt; alterum de ipso eorum nomine, alterum de praecipuo officio ipsis commisso.

Vocabulum „canonicus", a graeco nomine *κανών* ductum, multis veris et utilibus sensibus recipiendis est idoneum, prout ipsum ejus etymon varie sumitur[1]). — Ac primo quidem omnes clerici, certae cuidam ecclesiae propter officium spirituale in ea gerendum adscripti, et in ejus „canonem" seu „matriculam" relati vocantur „canonici"[2]), graece passim *οἱ ἐν τῷ κανόνι*, h. e., in authentico catalogo clericorum illius ecclesiae descripti. — Similiter generali vocis acceptione clerici universim omnes a forma vitae canonici vocantur, quod „canonice vivere" moresque canonibus conformes exhibere teneantur[3]). — Strictiori sensu appellatio ad certum clericorum genus restringitur; ad eos nempe, qui in collegia canonicorum recepti, ad regulas canonicas accuratius custodiendas obligantur. Ex iis alii instar monachorum vitam communem traducunt votis obstricti et nomen sortiuntur „canonici regulares"; alii vero seorsim vivunt, ac perpetuis certisque ecclesiasticis praebendis[4]) donati servant canonicum institutum, quatenus patitur vita singularis, et vocantur „canonici saeculares". — Utrique et sensu, quem vocant, activo

---

1) Recole quae de ratione vocabuli diximus pp. 7—8.

2) Cfr. C. Sanctorum 2, dist. 70, jcto. c. Contumaces 21, dist. 50.

3) Cfr. C. Quoniam Velina 14. C. 12, q. 1; et c. In omnibus 34, dist. 5 de cons.

4) Ipsa canonica fructuum portio seu praebenda juxta canonem admensa „canon" dicitur. Eo sensu voce usus Alcuinus, abbas, in notissima *homilia de zizania* canonicos sui temporis exagitans „rara avis in terris hodie, inquit, canonicus a canone vitae. Unde ergo? Audi unde. Est namque canon vitae et est canon pecuniae. Unde solet dici: solve mihi canonem meum, i. e., pensionem meam. Eja ergo, o canonice, inveniamus canonem tuum, a quo derivaris, i. e., a canone pecuniae, non a canone vitae; a canone regionis, non a canone religionis".

„canonici“ vocantur, quod caeteris clericis exemplo suo „canonem“ seu normam vitae canonicae exhibere morumque integritate praelucere debeant[1]). — Quod si leges ecclesiae clericos omnes „vocabulum suum primo interpretari“ jubeant, atque ita etiam canonicis universim praecipiant, ut „nominis definitione prolata, nitantur esse, quod dicuntur“: quanto magis id speciatim de canonicis ecclesiae cathedralis valebit, qui „unum corpus cum episcopo constituunt, cujus episcopus caput et fratres membra esse comprobantur“[2]); qui „de corpore ecclesiae ipsius sunt, cum quibus episcopus unum existit“[3]); quique proinde universum clerum ubique praecedunt[4]). Sane! Uti canonicus ecclesiae cathedralis in sublimi super alios clericos dioeceseos eminet gradu: ita morum vitaeque probitas ac reliquae virtutes ejus omnes, communi gradu minime contentae, super aliorum omnes emineant easque plurimum transcendant necesse est. Sicut in cultu externo majorem splendorem et ornatum induit: ita non minor debet esse cura innovandi et augendi cultum interioris hominis, capiendi consilia excelsiora ad ecclesiae splendorem tendentia, ut caeteris clericis dioeceseos exemplo suo vere sit „lucerna super candelabrum posita“[5]) et, „quod nomine dicitur, luculentus „canon“, ad quem omnes vitam exigant[6]). — Et haec quidem sunt, quae in prima quaestione de titulo „canonici“ ex ipsa notatione nominis eruta, consultores dioe-

---

[1]) Ambas vocis acceptiones, passivam et activam, ad practicos usus canonicorum scite collatas videsis in recentioribus synodis strigoniensibus, in provinciali an. 1858, tit. 5, n. 4; et in dioecesana, an. 1860, statut. 21.

[2]) Ita c. Novit 4. X. de his quae fiunt a prael.

[3]) C. Quanto 5. eod. p. d.

[4]) Relegantur quae de canonico clericorum ordine fuse declarata sunt in parte priori hujus commentarii p. 101.

[5]) Ita synod. dioec. strigonien. l. c.

[6]) De hac canonicorum ecclesiae cathedralis obligatione praeter alios legi poterit Maffei, *Exercit. spirit.*, part. 2, consid. 20. de obligationibus viri ecclesiastici ut canonici“.

cesani in usus suos convertent; qui enim vices canonicorum sustinent, ab instituto suo alienum non putabunt, eorum partes tueri. Quemadmodum scilicet canonicos decet, bono exemplo caeteris praeire: ita et illi, qui canonicorum munere, tanquam vicarii, ad tempus funguntur, ex praescripto concilii nostri omnium virtutum ornatu fulgere aliosque ad imitandum invitare debent.

Altera quaestio, circa canonicos seligenda, est de praecipuo atque essentiali officio capituli ecclesiae cathedralis, episcopum in regimine dioecesis, sede plena, juvandi et, sede vacua, supplendi.

Varia quidem sunt canonicorum jura et munera; nimirum ut altari inserviant, ut in choro divinum officium canant[1]), ut in ecclesiis suis immorentur, ut praebenda donentur. Verum haec canonicum ecclesiae cathedralis non constituunt, neque essentiam capituli ipsius ecclesiae attingunt. Canonicus tantum creatur per legitimam admissionem seu receptionem in illud collegium clericorum, quod ad eum finem est in ecclesia cathedrali institutum, ut episcopo dioecesim gubernanti auxilio sit, eoque mortuo ordinariam jurisdictionem exerceat. Atque hinc intelligitur quomodo fieri possit, ut capitula ecclesiarum cathedralium reperiantur, quae et praebendis careant, et onus chori non habeant et a residentiae lege dispensata sint, quin tamen propter hos defectus a natura et conditione capituli cathedralis excidisse dici queant[2]). — Et ita capitulum ecclesiae cathedralis ex ipso fine suo vere est „consilium episcopi" et „senatus ecclesiae"[3]); ejus

---

[1]) Erant, qui ab officio canendi nomen canonici per allusionem explicare vellent. Cfr. Sarnelli P., *Lettere ecclesiastiche*, t. 5, lettera 10.

[2]) Ejusmodi sunt capitula ecclesiarum cathedralium recens erecta in Neerlandia et in Magno ducatu Luxemburgensi, de quibus videatur Archiv für kathol. Kirchenrecht, 1876, II, pp. 344—348.

[3]) Ita conc. trident. sess. 24, c. 12, de reformat. jcto. c. Ecclesia 7, C. 16, q. 1.

que canonici proprie sunt „consiliarii nati episcopi", qui eidem operam suam ad dioecesis gubernationem commodare debent, et quorum consilium ipse vicissim juxta canones audire tenetur: quamvis et alios peritos viros, prudenti suo arbitrio, adhibere in consilium possit. — Quum autem episcopi americani propter capitulorum defectum „praesenti tempore" ejusmodi coadjutoribus ac consiliariis natis careant, patres baltimorenses eorum loco voluerunt esse consultores dioecesanos, qui canonicorum vices susciperent, susceptasque diligenter implerent.

De ipsis consultoribus dioecesanis.

„Consultor" latinis proprie est, qui consultat, h. e., consilium petit, praesertim ab iis, qui jura publice interpretantur sive de jure respondent, et quos jurisconsultos et jurisprudentes appellant. Inde vero translatum invenitur vocabulum ad eum designandum, qui consulit seu consilium dat. Et hoc sensu apud scriptores mediae latinitatis frequenter de iis adhibetur, qui magistratus et officiales publicos in rebus administrandis consilio sublevant. Inde factum est, ut communiter jam consultores dicantur, qui vel in sacris Urbis congregationibus cardinales vel in variis ordinibus religiosis praelatos in muniis obeundis consilio et opera adjuvant. Recte igitur receptum loquendi usum secuta, synodus plenaria „consultores dioecesanos" appellat, quos episcopis adjutores dari voluit, ut eorum consilia in administranda dioecesi adhiberent.

Typum electionis consultorum dioecesanorum habemus in norma canonica, quae ex concilii tridentini praescripto servanda est in creandis illis deputatis seminarii, quorum consilium episcopus adhibere debet in iis, quae temporalium rerum administrationem et rectam seminarii procurationem respiciunt; quemadmodum enim ipse episcopus duos consiliarios pro sua

prudentia libere constituit, alios duos autem clerus eligit[1]): ita et in assumendis consultoribus dioecesanis alios episcopus motu proprio capit, alios vero ex iis deligit, quorum propositio clero dioeceseos est permissa.

Quod concilium monet, nomina virorum muneri consultorum idoneorum exhiberi episcopo debere, „quin taxative aliqui designentur“: id a variis varie accipi videmus. — Synodus dioecesana cincinnatensis anni 1886 vocem „taxative“ ductam rata a verbo „taxo“, qua significat notare, reprehendere, dictis pungere, baltimorensem textum ita circumscribit: „singuli presbyteri, qui munera pastoralia in dioecesi obeunt, novem in scriptis nomina, tria pro unoquoque consultore proponent, quin tamen quid injuriose contra aliquem ex presbyteris non designatis dicant[2]). — Alii adverbium „taxative“ ex notissima formula „dictionis taxativae“ interpretari volentes, prohibitioni synodicae sensum limitantem ac restringentem tribuunt; quemadmodum, ajunt, dictiones „taxativae“ limitativae sunt, restrictivae et exclusivae, ita ut expressa tantum includant, reliqua vero omnia excludant[3]), ita clerus synodico hoc interdicto, aliquos „taxative“ designandi, prohibetur, ne candidatos ita proponat, ut caeteros omnes, quantumvis ab aliis forte legitime commendatos velit exclusos. Sed neutri recte. In materia propositionis seu praesentationis ad officia et beneficia quippe plures „taxative“ designare tantundem valet ac plures, taxatis seu ponderatis singulorum meritis, proponere, addito etiam judicio, quisnam eorum caeteris praestet atque inde magis aptus sit ad munus obtinendum. Patres baltimorenses scilicet episcopo integrum esse voluerunt, singulorum, qui tanquam idonei fuissent a

---

[1]) Sess. 23, c. 18. de reform.

[2]) Statut. part. 2, c. 4, §. 2, pp. 52—53.

[3]) Ejusmodi dictiones „taxativae“, praeter alias, sunt: dumtaxat, solum, tantummodo: de quibus videatur Barbosa, *Dictiones . . . in utroque jure usufrequentiores*.

clero propositi, merita scrutari et eum ex praesentatis deligere, quem ipse digniorem et magis idoneum invenisset.

Usus hujus distinctionis inter simplicem et taxativam candidatorum designationem in exercitio juris patronatus quotidie occurrit. Ita, exempli causa, in imperio austriaco, ubi candidati, beneficium vacuum quodcunque obtinere cupientes, literas ad episcopum dirigunt, ab ordinatu episcopali patrono laico petitores, qui digni sint reperti, simpliciter designantur, ex quibus unum praesentare queat; patrono ecclesiastico autem taxative proponuntur, indicatis scilicet tribus, qui habiti sint dignissimi, ex quibus solis unum deligere et pro obtinendo beneficio praesentare possit. Quodsi beneficium sit patronatus caesarei, non solum tres dignissimi adducuntur, sed additur insuper episcopi sententia, quisnam caeteris sit anteferendus[1]).

Quoniam consultores episcopo dati sunt loco canonicorum, attributiones eorum illustrari ex iis debent, in quibus canonici administrationem dioecesis attingunt.

Sunt autem canonici duplici ratione administrationis participes; aliquando enim ita in partem tractandorum negotiorum vocantur, ut episcopus audire quidem eorum consilium debeat, quin tamen illud sequi cogatur; aliquando vero ita sunt gubernationis consortes, ut episcopus ab eorum sententia recedere nequeat.

Quamvis episcopus solus habeat potestatem legiferam, ipsique soli divinitus impositum sit onus regiminis, eum tamen volunt jura consiliis doctorum, peritorum ac piorum virorum (quales canonici esse censentur) in regimine dioecesis adjutum, ut auditis perpensisque eorum rationibus aptius disponatur ad causas deinde propria sua auctoritate maturius et utilius de-

---

[1]) Cfr. Aichner, *Compend. juris eccl.*, pp. 309—310.

cidendas[1]). Inde fit, ut, dum canones actum aliquem geri volunt cum consilio capituli, is, sine hoc consilio exquisito et congruo tempore exspectato celebratus, omnino sit irritus et nullus.

Tanquam principium generale statutum in jure est, in omnibus arduis ecclesiae negotiis capituli consilium esse expetendum et congruo tempore exspectandum[2]). Ex casibus vulgo adductis unum illum memorasse suffecerit, in quo ipsi patres baltimorenses primo loco jubent episcopum consultorum dioecesanorum consilio uti, nempe in synodo dioecesana indicenda et publicanda: quum sit gravissimum, episcopus non sine adhibitis capituli consiliis decidere potest; iis auditis tamen propria auctoritate, pro sua pietate et prudentia, libere decidit; quia solus potestate legifera gaudet.

Circa consensum capituli ad actus valide gerendos necessarium, regula valet, cogi episcopum ad sententiam capituli sequendam in omnibus negotiis, in quibus ecclesiae notabilis aliqua obligatio imponatur vel grave praejudicium creetur, itemque in rebus, quae praelatum simul et capitulum spectent, ac tandem in causis illis, quarum definitio capituli multum intersit.

Sic igitur, — ut in consideratione eorum actuum consistamus, quos synodus plenaria ad communem consultorum deliberationem voluit delatos —, consensus capituli ante omnia requiritur pro alienatione bonorum ecclesiae, quemadmodum in priori parte jam dictum

---

[1]) Quomodo ex utriusque juris doctrina „praesumantur pleniori maturitate praeparata majorique pondere confecta“, quae ex praevia ac communi rei tractatione procedunt, illustrata videas in priori hujus commentarii parte, pp. 13—14.

[2]) Qui jus sacrum secundum ordinem titulorum decretalium exponunt, hanc materiam late declarant lib. 3. tit. 10 „de his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli“, ex quo jam allati sunt c. Novit 3 et c. Quanto 4. — Ex recentioribus systematicis, quos vocant, prae aliis lectione dignus est Phillips, *Lehrbuch des Kirchenrechtes*, t. 1., pp. 408 seqq. (edit. an. 1859), quod, notante Rmo. Aichner, singula doctrinae capita „locis e corpore juris sollicite relatis“ egregie illustret.

est p. 191. — Et quia dismembratio, unio, incorporatio aliaeque similes ecclesiarum deminutiones species quaedam alienationis sunt, idcirco episcopus neque novam parochiam intra fines alterius parochiae erigere, neque beneficia conjungere, neque ecclesiam curatam monasterio aliive collegio aut dignitati incorporare potest, quin capitulum consensum praestiterit, ac caeteri omnes, quorum interest, vocati auditique fuerint. — Sedis apostolicae veniam praeterea esse necessariam ad alienationem rerum immobilium et mobilium pretiosarum rite faciendam, adductis rationibus in priori commentarii parte late ostendimus l. c. — Similiter ad eam, quam annuente capitulo fieri diximus, beneficii curati incorporationem canonice peragendam, auctoritas Papae ex lege tridentina impetrare debet[1]).

Praecedentibus causis haud dissimilis est impositio novae taxae, sive constituatur in forma novi census annui, sive exigatur per modum tributi extraordinarii a canonibus non permissi. Ea de re extat in decretalibus supra jam citatus p. 28 libri 3 titulus 39 „de censibus, exactionibus et procurationibus", ex quo in rem praesentem haec enotamus[2]).

Census annuus hoc loco dicitur certa vis pecuniae quotannis ex reditibus ecclesiasticis solvenda.

Est autem census vel antiquus, qui in ipso limine fundationis velut onus reale est impositus ecclesiae; vel novus, qui postea imponitur ab homine: uterque vel perpetuus vel temporalis.

Omissa tractatione de variis censibus a Summo Pontifice imponi solitis[3]), episcopus in ecclesia recens

---

[1]) Sess. 24, c. 3. de reformat.

[2]) Textus canonicos, quibus dogmata ex praesenti titulo strictim hic proposita nituntur, singillatim recenset Phillips op. cit. pp. 354 seqq. et pp. 410 seqq.

[3]) De his fuse agit idem Phillips, in majori opere „*Kirchenrecht*", t. 5, pp. 540 seqq. et in libro „*Lehrbuch des Kirchenrechtes*", t. 1, pp. 218 seqq.

fundata et dotata, quum eam consecrat, censum antiquum constituere potest, consensu accedente fundatoris, vel etiam reservare patrono. Similiter quum annuente capitulo ecclesiam piis locis concedit, aut a sua jurisdictione subtrahit, novo possessori censum in recognitionem privilegii exemptionis injungere potest; idemque recte praestat, quum a nova parochia, intra fines antiquae recens erecta, priori velut matri censum in signum subjectionis solvi jubet[1]).

Ecclesia semel aedificata et consecrata, generatim nemo Papa inferior potest aut censum novum imponere aut veterem augere[2]).

Exactionum nomine hoc titulo intelliguntur contributiones et collectae pecuniariae, quas episcopus sibi a clericis et ecclesiis suae dioecesis pendi jubet. Dividuntur in tributa ordinaria, singulis annis solvenda; et in extraordinaria, quae ex causa imperantur.

Inter tributa ordinaria est cathedraticum seu synodaticum, quod episcopo in signum subjectionis et in honorem cathedrae suae solvitur. Alio nomine synodaticum appellatur c. Quum olim 20 h. t., quia in synodo, quotannis celebranda, ab omnibus ad illam vocatis praestari consuevit.

Ad tributa ordinaria similiter spectat seminaristicum seu alumnaticum, h. e., annua largitio ad fundum seminarii dioecesani praestanda ad normam consilii tridentini, sess. 23, c. 18, de reform.

Tributis extraordinariis accensetur subsidium caritativum, cujus appellatione hic venit exactio quaedam extraordinaria propter manifestam et rationabilem causam cum caritate a subditis postulata. — Ne autem subditi ejusmodi exactionibus plus aequo graventur,

---

[1]) Huc pertinent census subjectionis et recognitionis, qui a curatis austriacis antiquis parochis solvi debent. Cfr. Aichner, p. 260.

[2]) De causis, ob quas census novus alteri in forma pensionis juste reservari possit, cfr. Schmalzgrueber h. t. n. 13.

constitutum est, ut subsidium ab episcopo indicatur de capituli consensu, et, ut doctores ex taxa Innocentiana eruunt, semel tantum, videlicet in primo ingressu in ecclesiam, et id solum exigatur, quod antea per quadraginta annos dari consuevit[1]). Quare, si qua postea gravis et justa exoriatur causa, quae subsidium postulet, Sedis apostolicae venia opus est[2]).

Non desunt, qui ad extraordinarias exactiones etiam jus sigilli referant, h. e., taxas cancellariae episcopali solvendas pro authenticis documentis ab officialibus in bonum privatorum confectis. — Quod per concilium tridentinum ferme sublatum videbatur jus sigilli[3]), postea ab Innocentio PP. XI. novis immutationis factis iterum est concessum, edita, quae ab auctore suo appellatur, taxa Innocentiana an. 1670, quam passim a canonistis descriptam reperies[4]). Sed cuncta, quae ad cognoscendum hodiernum jus sigilli pertinent, accurate explicantur a Lucidi, *De visit. ss. limin.*, t. 1, nn. 217—244.

Omnes istas censuum et exactionum species synodus plenaria communi nomine taxas appellat.

Gravioribus administrationis negotiis jure novo accensetur concursus ex lege tridentina coram examinatoribus legitime deputatis rite subeundus pro obtinenda parochia liberae collationis aut juris patronatus ecclesiastici[5]). Quemadmodum autem concilium statuit, ut examinatores in synodo dioecesana ab episcopo proponerentur propositique ab ipsa synodo probarentur[6]), ita Sedes apostolica exigere consuevit, ut qui ex speciali indulto Summi Pontificis extra synodum, loco

---

1) Vide Phillips, *Lehrbuch des Kirchenrechtes*, t. 1., p. 357.

2) Cfr. Devoti, *Institut. canonic.*, l. 2, tit. 15, §. 4.

3) Sess. 21, c. 1. de reformat.

4) Ut ecce a Ferraris, *Bibliothec.* v. taxa.

5) De concursu late egimus in priori parte commentarii pp. 193—201.

6) Sess. 24, c. 18. de reformat.

synodalium, ab episcopo designantur examinatores, de consensu capituli constituantur[1]).

Et ista quidem sunt negotia, capitulo sive consulente sive consentiente, per episcopum gerenda, quae in synodo baltimorensi attinguntur.

Sed et aliae publicae administrationis res sunt, in quibus finiendis praeter capitulum clerus etiam intervenire ex legis praescripto debet. Ex iis exemplo sit administratio seminarii, quam patres baltimorenses quarto loco inter causas recensent, quae in communem consultorum deliberationem veniant. Quamvis enim episcopus ipse onus seminarii bene administrandi sustineat, cogitur tamen variis consultorum ordinibus adhibitis rem gravissimam gerere ac tueri: ex quibus plures a clero delecti ad legitimum deputatorum consessum legati mittuntur, qui et ipsi, semel rite constituti, a commisso munere sine justa causa removeri nequeunt[2]).

Quibus summatim breviterque praestitutis, adeo facilis et expedita est genuina intelligentia decreti baltimorensis de officio consultorum dioecesanorum, ut sola lectione, non interpretatione, egeat. En tibi locum ad verbum descriptum:

„Ad consultorum attributiones quod pertinet, patres de iis convenerunt: 1° consilium consultorum exquiret episcopus pro synodo dioecesana indicenda et publicanda; 2° si contingat, ut missio seu parochia aliqua sit dismembranda, exquirendum erit consilium consultorum, necnon et rectoris dismembrandae missionis; 3° consultorum item requiretur consilium, quando id agetur, ut missio seu parochia tradatur alicui familiae religiosae: quo in casu necessaria erit etiam venia S. Sedis; 4° consultorum consilium exquiretur, in constituendis deputatis pro seminariis dioecesanis; 5° item

---

1) Cfr. Benedict. PP. XIV., *De synod. dioec.* l. 4, c. 7.

2) Concil. trident. sess. 23, c. 18 de reformat.

consultorum consilium necessarium erit in eligendo novo consultore et in eligendis examinatoribus, qui sint loco synodalium; 6^0 quando agitur de bonis et fundis dioecesis vel missionis permutandis aliisque agendis, quae speciem alienationis prae se ferunt, ubi summa pecuniae non excedat valorem quinque millium scutatorum, episcopi liberi erunt; ubi vero negotium eam summam superat, tunc requiritur consilium consultorum, eoque praehabito, necessaria est S. Sedis permissio. Verum quum peculiares circumstantiae, in quibus ecclesia in statibus foederatis impraesentiarum versatur, non permittant habere in singulis casibus recursum ad S. Sedem, Sanctissimus D. N. Leo XIII. ad preces patrum benigne indulget, ut interim per s. congregationem de propaganda fide speciales et extraordinariae facultates hac super re tribuantur[1]). Item praehabito consilio consultorum, necessarius erit recursus ad S. Sedem in singulis casibus, in quibus agatur de imponenda nova taxa pro episcopo, quae excedat limites a canonibus constitutos". —

In duobus extremis numeris praesentis decreti aliqua exhibentur capita, in quibus consultores dioecesani a canonicis ecclesiae cathedralis differunt, alia item in quibus utrique conveniunt.

Ac primo quidem inter se differunt, quod canonicorum munia ipsi beneficio inhaereant atque inde cum beneficio perpetua sint, consultores autem non ultra triennium jure sibi concesso utantur. — Sed inter eos hoc maxime interest, quod, dum sede vacante consultorum facultates non crescant, in capitulo contra omnis jurisdictio ordinaria episcopi reviviscat et totius dioecesis administratio ad canonicos devolvatur, non quidem ex alieno mandato aut delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; quia ecclesia cathedralis effor-

[1]) Decretum ea de re editum d. 25. Septemb. an. 1885 illustravimus parte priori, pp. 190—193.

matur conjunctim ab episcopo et capitulo, quemadmodum docent interpretes ad c. Quum clerici 19. X. de verb. signif.

Deinde vero in eo conveniunt, quod consilium collegialiter seu capitulariter dare cogantur, h. e., in legitimum consessum ad consultandum rite convocati et necessariis deliberationibus ac tractatibus, ut par est, de more praemissis. Ita scilicet jura melius consultum putarunt libertati consulentium, quam si episcopus singulos consultores seorsim sententiam rogaret.

Atque eadem de causa consultores sic in unum congregatos patres baltimorenses sinunt „consilium praestare secretis suffragiis, quoties eis ita visum fuisset“: eodem prorsus modo, quo synodus dioecesana judicium de examinatoribus ab episcopo propositis per vota tum secreta tum publica proferre potest, prout magis expedire judicaverit[1]).

Id tandem est utrorumque commune, quod ordinem rei gestae scriptis consignare atque in forma probante in authenticas tabulas (protocollum seu verbale) referre debent, ut, ubi opus fuerit, tum episcopus tum consultores ipsi fidem facere queant, legi debite fuisse satisfactum.

Episcopus tandem, quum causam, quae nonnisi auditis canonicis vel consultoribus erat finienda, auctoritate sua deciderit, in documento authentico de negotio rite peracto expressam mentionem consilii debite adhibiti faciet: ea in re ipsos Summos Pontifices secutus, qui, licet nulla consultationis lege tenerentur, saepe tamen professi sunt, constitutiones se cum „fratrum suorum, cardinalium consilio“ edidisse, v. g. c. Quoniam aliqui 1. de renunt. in 6; c. Ad Apostolicae 2. de sent. et re jud. in 6; c. Romani un. de jurejur. clem.; et alibi passim.

---

[1]) Cfr. Benedict. PP. XIV., *De synodo dioeces.* l. 4, c. 7.

Caput III.

De examinatoribus cleri dioecesani.

Inter eos, qui episcopum in dioecesis administratione juvare solent, altero loco recensentur „examinatores cleri dioecesani“, quorum nomine intelliguntur delecti illi viri, quibus negotium est demandatum, candidatos in variis canonicis examinibus debite explorandi.

Quinque ejusmodi examina, quae interveniente magistratu ecclesiastico subiri debeant, in jure occurrere, in priori hujus commentarii parte docuimus pp. 193—194.

Ex iis tria hic memorantur, quae ad solos clericos pertinent: scrutinium ordinandorum, examen confessariorum, concursus promovendorum[1]). — Primum atque ultimum ex praescripto legis fieri jubentur; alterum vero, quod est de exploranda idoneitate eorum, qui confessarii sunt constituendi, episcopus omittere potest, si candidatum aliunde aptum judicet ac idoneum ad hoc munus gerendum.

Qui vel examinatorum suffragiis vel ipsius episcopi judicio aptus est inventus, is approbationem episcopi a concilio tridentino requisitam obtinuisse dicitur. — Pro confessionibus saecularium audiendis omnes omnino approbatione episcopi opus habent; et saecularibus praeterea jurisdictionem tribuere idem episcopus debet: qua non egent regulares exempti, qui jurisdictionem a Summo Pontifice habent, secum scilicet per proprios suos praelatos regulares communicatam.

---

[1]) Caetera clericorum examina quae vel speciali aliquo statuto praescribuntur, vel particulari dioecesis consuetudine innituntur, vel ex scholasticis rationibus exiguntur, non veniunt nomine „canonicorum“ examinum, neque in eorundem numerum a plenaria hac synodo referuntur.

Concursus ad ecclesiam parochialem liberae collationis vel jurispatronatus ecclesiastici consequendam, expediri debet a tribus saltem examinatoribus, a synodo dioecesana approbatis; secus autem est de scrutinio ordinandorum et de examine confessariorum: in his quippe poterit episcopus examinatoribus uti, quos maluerit; lex tridentina enim quae facultatem episcopo a jure communi concessam restringit, odiosa est, indeque extendi ultra casum expressum nequit[1]. Et multo magis integrum est episcopo, in aliis cleri examinibus, quae jure communi non continentur, quos voluerit examinatores adhibere, formamque examinis determinare. — Hinc credimus, patres baltimorenses extraordinarium casum penuriae aliorum sacerdotum, qui generatim examinatorum munere fungi possint, tantum respexisse, quum in praesenti decreto scriberent, „episcopos eorundem examinatorum synodalium vel prosynodalium opera utilius et securius uti etiam sive pro approbandis confessariis sive pro ordinandorum scrutinio, sive pro examine juniorum sacerdotum, sive pro examinandis alumnis, qui in seminarium majus admitti velint"[2].

Numerum examinatorum synodalium quod spectat, „sex ad minus" ab episcopo aut ejus vicario proponi voluit concilium tridentinum[3]; non tamen vetuit, ne plures proponantur; quin immo ex tali loquendi ratione satis innuit, et plures proponi posse, et ut plures proponantur, se exoptare; ex recentiori decisione tamen non sunt ultra viginti proponendi „fortasse ob periculum, verba sunt Benedicti PP. XIV., ne nimium aucto eorundem numero minus diligens sit personarum, quae proponuntur, delectus"[4]. — Quod idem ex

---

[1]) Cfr. Gavant. *Prax. dioeces. synod.*, c. 31, n. 2.

[2]) Synodus dioecesana cincinnatensis anni 1886, ulterius progressa, examinatores synodales etiam censores librorum esse vult, p. 50.

[3]) Textum synodicum dedimus parte 1, p. 196.

[4]) *De synod. dioec.*, l. 4. c. 7.

paritate rationis opinamur dici de iis debere, quos episcopi americani sive in synodo dioecesana synodales, sive extra synodum, cum venia Sedis Apostolicae et de consilio consultorum, prosynodales examinatores constituunt. Hinc omnino ad mentem legis tridentinae judicamus factum, ut rmus. archiepiscopus cincinnatensis in synodo dioecesana anni 1886 jam memorata examinatores numero decem proponendos ac probandos curaret (p. 50); et rmus. episcopus novarcensis immo duodecim examinatores cum approbatione synodi suae, eodem anno 1886 habitae, constituerit (pp. 9 et 17).

Tandem circa literalem hujus decreti interpretationem duo sunt animadvertenda, alterum de titulo seu de rubrica decreto praefixa, alterum de ambigua aliqua dictione in ipso corpore decreti occurrente.

Et titulum seu inscriptionem capitis quod attinet, manifestum est, rubricam „de examinatoribus cleri dioecesani“ non adaequate textui subjecto seu nigro respondere; dum enim inscriptio seu rubrum solius cleri dioecesani mentionem facit, textus de aliis quoque agit, qui de clero dioecesano non sunt. Unde in praesens decretum idem cadit, quod in priori parte commentarii de nonnullis titulis corporis juris canonici praedicari diximus, „quod nigrum latius pateat rubro“[1]).

Ipso textu decreti autem alios etiam contineri, qui non sint de clero dioecesano, ex iis patet, quae ex juris praescripto statuuntur de examine confessariorum et de scrutinio ordinandorum. — Et examen confessariorum quod spectat, certum est, regulares exemptos quoque se audiendis confessionibus saecularium sine approbatione episcopi non posse ingerere, eosque pro-

---

[1]) In exemplum ibidem adduximus p. 240 titulum „de clericis peregrinantibus“, qui, licet secundum verbum rubri ad solos clericos (romipetas) pertineat, spectato textu capitis ibidem relati nihilominus etiam laicos ad Sedem Apostolicam peregrinantes, et ita ipso facto appellantes attingit.

inde memorata ibidem examinis lege teneri, quamvis de clero dioecesano non sint. — Scrutinium ordinandorum autem episcopis est cum omnibus instituendum, qui ordinationis beneficium petunt, sive sui sint ordinandi sive alieni, sive saeculares sive regulares; nisi tamen, qui a superioribus regularibus ut „ab ipso ordine jam comprobati et ad suscipiendos ordines idonei praesentantur", gaudeant speciali privilegio apostolico, post concilium tridentinum concesso, quo omni ordinationis examine subeundo liberentur. Ejusmodi privilegium Societati Jesu, cum aliis religionibus incommunicabile, dedit Gregorius PP. XIII. constitutione „Pium et utile Societatis Jesu institutum", edita die 22. sept. an. 1582[1]); ac postea cum aliis privilegiis confirmavit ac de novo concessit Paulus PP. V. constitutione „Quantum religio Societatis Jesu" edita die 4. sept. an. 1606[2]); et non ita pridem S. D. N. Leo PP. XIII. (quem D. O. M. diu nobis salvum conservet atque incolumem!) cum omnibus et singulis ejusdem Societatis „privilegiis, immunitatibus, indultis", clausulis, quas vocant, praegnantibus adhibitis, denuo „apostolicae auctoritatis robore munivit, iterumque concessit", constitutione „Delemus" in forma brevis edita die 13. julii an. 1883[3]). — Qui ergo tali exemptionis privilegio destituuntur ordinandi, scrutinio subjecti sunt, licet ad clerum dioecesanum non pertineant.

9

Manifesta haec inter rubrum et nigrum discrepantia in causa videtur fuisse, cur synodus dioecesanae, post publicatum concilium nostrum in ditionibus foederatis habitae, quae statuta sua ad formam decretorum baltimorensium merito voluerunt, quantum fieri posset, accurate exacta, loco praesentis rubricae generaliorem titulum adhiberent, qui in omnes illos, de

---

1) Exhibetur in „Instituto Societatis Jesu", edito Pragae an. 1757, t. 1, pp. 74—75.

2) Prostat in citata editione pragensi t. 1, pp. 110—115.

3) Refertur in fol. period. „Acta Sanctae Sedis", t. 19, pp. 49—50.

quibus textus decreti agit, conveniret. Sic, ut nonnulla ex iis, quae ad manum sunt, exempla ponamus, synodus buffalensis anni 1886 simpliciter scripsit „De examinibus" (p. 69), synodus cincinnatensis jam adducta „De examinatoribus" (p. 49); synodus leavenworthensis anni 1887 „De sacerdotibus examinandis" (p. 8); synodus novarcensis anni 1886 „Examinatores synodales" (pp. 9 et 17); synodus kansanopolitana anni 1887 „Examinatores cleri" (p. 24); synodus roffensis 1887 nomenclaturam „examinatorum cleri dioecesani" retinuit quidem propter reverentiam concilii plenarii, verum ut rei verba responderent, duo illa tentamina clericis alienis et dioecesanis communia, examen confessariorum et scrutinium ordinandorum, illis examinatoribus expedienda non commisit (p. 53). — Haec de titulo capitis.

Ambiguitatem verborum quod spectat, eam attentus lector facile animadvertit in ipso decreti corpore occurrere n. 24, ubi missiones, in quibus rectori privilegium tributum est inamovibilitatis, mediante concursu jubentur conferri, „quamdiu paroeciae canonice non fuerint erectae". Quum enim dictio „quamdiu" ex natura sua conditionem importet, ac temporis sit limitativa ac restrictiva, ita ut dispositionem ad tempus restringat, cui adjecta reperitur, nec eam ultra spatium praefixum extendi patiatur[1]), idcirco erui ex verbis concilii posset, legem concursus tantum valere usque dum paroeciae canonice erectae fuerint: quod omnino esset contra „mentem sacrosanctae synodi tridentinae", quam tamen patres baltimorenses religiose sequuntur. — Responderi forte potest, mendum typographicum irrepsisse ac pro „quamdiu" legendum esse „quamvis", eamque vocem eo sensu accipi debere, quo „ponit et explicat casum magis dubitalem"[2]). Vel declarari sic

---

[1]) Cfr. Barbosa, *Diction.*, vv. quamdiu, donec, quoad, usquequo.
[2]) Id. *Dict.* v. quamvis.

debet, ut diversa a sua literali ac naturali significandi potestate censeatur usurpata, quemadmodum de particula synonyma „donec" aliquando in jure fieri docemur c. Joseph 5. X. de verb. signif.; ita ut interpretatio hujus periodi ad normam praecedentis capitis Quod dicitur 4 eod. sic reddi possit: „Quod dicitur de missionibus istis mediante concursu tribuendis, antequam canonice erigantur parochiae, non sequitur, ut postea, quum erectae fuerint parochiae, sine concursu obtineantur".

Caeterum missiones inamovibilitatis praerogativa legitime ornatas beneficiis curatis vere accenseri posse, ex principiis juris sacri probatum recolas ex priori commentarii parte pp. 203—204. Quoad caetera, quae ad examinatores synodales pertinent, consulendae sunt pontificiae constitutiones ibidem indicatae p. 194, jcto. quem identidem adduximus Benedicto PP. XIV. *De synodo dioecesana* l. 4, c. 7.

Caput IV.

De decanis seu vicariis foraneis.

Actum hucusque de iis adjutoribus est, qui episcopo in universo ecclesiae regimine operam suam praestant. Ex ordine decretorum concilii sequitur, ut illi administratores jam considerentur, qui in certis ac definitis partibus dioeceseos administrandis opem ferunt episcopo, decani videlicet ac parochi. Praesenti capite ea paucis comprehenduntur, quae ad decanos pertinent.

Ecclesiasticum decanorum institutum ferme totum jure particulari regitur, propriis plerumque statutis inducto, saepe etiam ex specialibus locorum consuetudinibus exorto: semper tamen et ubique canonica illa regula innixo, quod omnis decanorum potestas ab episcopo, tamquam a fonte, procedens intelligatur instituta. Quum autem in novis dioecesibus americanis fere nullibi sint constituti decani, nullo etiam particulari

jure eorum potestas aut officium determinari potest. Hinc standum interim est summis principiis juris ecclesiastici publici, quod episcopos Spiritus sanctus posuit ecclesiae rectores, quodque iidem magistratibus a se constituendis facultates dabunt, quas et quamdiu voluerint, quodque tandem nulla erit injuria presbyteris ad decanatum promotis, si ab iis episcopi repetant facultates concessas, quas vel ipsi per se iterum exerceant, vel aliis exercendas committant. — Suffecerit ergo in eorum gratiam, quibus praesens disciplinae caput novum est, paucas quasdam generaliores animadversiones adscripsisse, quibus rationes institutionis decanorum, hoc capite pertractatae, quadantenus cognoscant.

Nomen „decani", a graeca voce *δέκα* factum, proprie eum designat, qui coetui ex decem personis constanti praeest. Ita v. g. olim decani appellatione venit in re militari, qui manipulo decem militum erat praepositus; in monasteriis, qui decem religiosos ex abbatis mandato regebat; in centuriis, qui decaniae ex decem familiis compositae princeps ac caput erat datus; et sic in ordine magistrorum, advocatorum, artificum, ac generatim in omnibus ordinibus qui denis personis caput erat constitutus, decanus et *δεκάπρωτος* appellabatur. Qui initio a denario numero dicti erant decani, eodem nomine retento etiam vocabantur, postquam numerus est auctus vel minutus; ut adeo jam in universim decanus dicatur praeses cujusvis multitudinis, coetus, sodalitii, ordinis, capituli, scholae, quamvis socii plures minoresve sint quam decem.

Praesenti capite decani vocantur minores quidam magistratus ecclesiastici, qui per decanias seu decanatus potestatem sibi ex jure particulari aut ex speciali mandato episcopi competentem exercent. — Alio nomine dicuntur „archipresbyteri"[1], quod quasi principes sacer-

---

[1]) C. Ad haec 7. X. de offic. archidiaconi.

dotum reliquis presbyteris in iis, quae sacerdotalis officii sunt, cum imperio praesint.

Duplex distinguitur decanus, urbanus seu civitatensis[1]), et ruralis seu forensis[2]). Ab utroque diversus est forisdecanus.

Archipresbyter seu decanus urbanus clericis in urbe episcopali vel in alia existentibus praeest, et „decanus ecclesiae cathedralis" vel „collegiatae" nominatur.

Decanus ruralis, extra civitatem episcopalem, ruri tum plebis tum parochorum tum aliorum clericorum, qui per minores titulos habitant, inspectionem et curam gerit; et ea quidem, quae minora sunt, sine figura judicii cognoscit ac decidit; majora vero, et quae sine processu judiciali nequeunt expediri, ad episcopum sive ejus vicarium refert. Saepe vocatur „decanus christianitatis", quod in suo districtu praesit christianis. — Caetera, quae ad electionem, potestatem, officium decanorum in antiquis Europae dioecesibus pertinent, doctores explicant in commentariis ad lib. 1, tit. 23. de officio archidiaconi, et tit. 24. de officio archipresbyteri[3]). Recentiores scriptores in eodem argumento versatos nominatim indicat Phillips, *Lehrbuch des Kirchenrechtes*, §§. 166—167.

„Forisdecanus" is dicebatur, qui quum in civitate episcopali immoraretur, jurisdictionem in ecclesias foraneas a principali dependentes habebat[4]). Similes forisdecanis sunt, qui in Hungaria, Croatia et caeteris terris coronae s. Stephani ex capitulo ecclesiae cathedralis constituuntur archidiaconi in singulis partibus seu „terminationibus"[5]), in quas tota dioecesis est

---

[1]) Cfr. c. Officium archipresbyteri 3. X. de offic. archipresbyt.

[2]) De archipresbytero rurali agit c. Ut singulae plebes 4. l. c.

[3]) Ex iis videatur Schmalzgrueber, ad tit. 24, nn. 6—7.

[4]) Cfr. Du Cange, *Gloss. lat.*, t. 3, p. 558, edit. 1884.

[5]) Ita districtus, terminis suis et limitibus circumscripti, in quos dioecesis dividitur, appellantur c. Plures 54. C. 16. q. 1.

distributa; quamvis enim archidiaconatibus suis canonice „intitulentur" ac potestatem accipiant, dioeceseos partes sibi commissas visitandi ac regendi, in ecclesia cathedrali tamen remanent, alio ex primoribus archidiaconatus parochis in suum locum substituto, qui ea de causa „vicearchidiaconus" appellatur atque, annuente episcopo, pro archidiacono decani munere fungitur. Utrorumque jura et officia accurate recensentur in synodo dioecesana strigoniensi anni 1860, archidiaconorum quidem statuto 22 et appendice 4, vicearchidiaconorum autem statuto 23 et appendicibus, 5 et 6.

„Vicarii foranei", qui in titulo praesentis capitis per particulam declarativam et expositivam „seu" cum decanis *συνωνύμως* junguntur, in corpore juris canonici saepe occurrunt. Innocentius PP. III. in c. 7. Ad haec cit. memorat „decanos rurales", vices gerentes vel episcopi, vel archidiaconi vel utriusque. Ad ultimam hanc classem pertinent vicearchidiaconi hungari, qui et episcopi et archidiaconi vice funguntur; solius episcopi vices, in certa dioeceseos parte, gerunt decani seu vicarii, de quorum institutione concilium hic agit. Dicuntur autem „foranei"[1]), quod, notante glossa[2]), foris, h. e., extra civitatem episcopalem, per varias dioeceseos districtus constituantur; vel quod intra limites potestatis sibi commissae forum teneant; vel quod negotia deforis ad episcopum referant.

Cuncta, quae patres baltimorenses hoc decreto proponunt, sacris canonibus innituntur, quos referri monuimus lib. 1. titulis 23 et 24. Ex iis v. g. c. Ut singulae cit. habet: „Propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus[3]) archipresbyteros esse volu-

---

[1]) C. Romana 1. de offic. jud. ordin. in 6. et c. Etsi principalis 2. de rescript. Clem. [2]) Ad c. Romana cit. v. foraneos.

[3]) „Plebis" nomine venit ecclesia parochialis et baptismalis, cui reliquae ejusdem districtus seu terminationis ecclesiae subsunt. „In una terminatione enim plures ecclesiae baptismales esse non possunt". Ita c. Plures cit.

mus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuntiet. Nec contendat episcopus, non egere plebem archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; quia, etsi valde idoneus sit, decet tamen, ut sua onera partiatur; et sicut ipse matrici ecclesiae praeest, ita archipresbyteri praesint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen referant ad episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare praesumant". Et quae de archidiacono statuta sunt c. Ad haec 7. cit., jam ad decanum ruralem seu vicarium foraneum translata leguntur, scilicet „quod oculus episcopi appelletur, ut loco episcopi, per episcopatum prospiciens, quae corrigenda viderit corrigat et emendet, nisi adeo fuerint ardua negotia, quod absque majoris sui praesentia nequeant terminari"[1]).

Quod patribus baltimorensibus statui posse videtur de collationibus theologicis per decanos dirigendis, id antiquae ecclesiae disciplinae omnino conforme est. Constat enim indubiis monumentis historicis, convocatos olim per decanum fuisse omnes decaniae presbyteros ad praescriptas kalendas, h. e., ad conventus sacerdotum singulis kalendis mensium celebrandos, „ut nimirum de suo ministerio et religiosa conversatione, atque de his, quae in eorum paroeciis accidunt, sermonem haberent; et ut nominatim collationem de poenitentibus suis instituerent; vel si forte aliquis contra parem suum quidquam haberet, ei reconciliaretur"[2]).

---

[1]) Eadem ferme ratione, qui antiquo jure decanorum partes sustinuere, diaconi vocabantur „oculi episcopi, oberrantes et circumlustrantes cum verecundia actus totius ecclesiae, et perscrutantes diligentius, ut si quem viderent vicinum fieri praecipitio et proximum esse peccato, referrent haec ad episcopum". C. Diaconi 6. dist. 93.

[2]) Ita constitutiones veterum episcoporum apud Du Cange, v. kalendae. t. 4, p. 484, edit. cit.

Salutare consilium de constituendis decanis secuti, plures episcopi foederatarum ditionum jam decanias erexerunt, editis etiam idoneis instructionibus, quibus adjuti recens creati decani novi muneris officium rite exequi et tueri possint.

Caput V.

De rectoribus inamovibilibus.

Inter adjutores episcopi concilium nostrum eos tandem memorat, qui per minores, ex quibus decanatus constant, partes ab episcopo in officio „parochorum" constituti, plebis sibi concreditae curam exercent.

Minores istas ecclesiae partes seu terminationes, quibus singulis sacerdotes sui tanquam parochi sunt destinati, synodus plenaria, canonicum loquendi usum secuta, promiscue „parochias" et „paroecias" appellat[1]): quae voces, quum diversae sint originis, quomodo synonymae fieri potuerint, breviter est declarandum.

„Parochi", graece *πάροχοι*, a *παρέχω*, praebeo, veteribus erant homines, qui in variis stationibus viarum publicarum constituti peregrinantibus, praecipue reipublicae causa iter facientibus (magistratibus, legatis et aliis), hospitium et res necessarias praebebant[2]). — Quin et ipsa haec, tecti rerumque praebitio *παροχή*, et admensum viae spatium, intra quod parocho cura incumbebat, peregrinis omnia necessaria publice exhibendi, voce novitia *παρόχιον*, parochia, dicebatur.

Quae profana ac vulgaris parochi notio si a saeculi rebus ad sacrum argumentum accommodetur, pa-

---

[1]) Consuetudinem sermonis canonici etiam synodi dioecesanae servant, dum voces „parochia" et „paroecia" sine discrimine permixte adhibent, v. g. synodus cincinnaten. an. 1886 et leavenworth. 1887.

[2]) Huc pertinet, quod adolescentes ex Horatio didicimus (Sat. I, 5, 45):

Proxima campano ponti, quae villula tectum
Praebuit, et parochi, qui debent ligna salemque.

rochi ecclesiastici non incongrue nomen suum dicentur traxisse ab exhibitione divini pabuli, quod nimirum fidelium in terra peregrinantium curam suscipiant, ac coeleste iter facientibus omnia ad salutem necessaria suppeditent[1]).

„Paroecia“, graece *παροικία*, a *παρά*, prope, juxta, et *οἶκος*, domus, proprie est cohabitatio et conventus accolarum, vicinitas, praecipue eorum, qui commune aliquod fanum accolunt. Unde paroecia ecclesiastica, spectato suo etymo, dici potest ecclesia in usum accolarum et circumcirca habitantium constituta, ac proprio sacerdoti (paroeco) ab episcopo tributa, ut eam jure proprio regat, et omnium ejusdem ecclesiae consortium eandemque sacram viciniam constituentium curam exerceat.

Sic igitur factum est, ut novellum nomen „parochia“, ab officio parochi ductum, idem jam significet atque antiquum vocabulum „paroeciae“, quod ortum est a situ eorum, qui conjunctim, in vicinis domibus, circa eandem ecclesiam cohabitant.

Varia est vocabulorum „parochiae“ et „paroeciae“ canonica homonymia; aliquando enim sumuntur pro tota dioecesi; aliquando pro determinata alicujus dioecesis ecclesia, quae populum certis limitibus distinctum habet, et presbyterum a quo sacramenta, verbum divinum aliaque spiritualia eidem ex officio ministrentur; aliquando etiam accipitur pro ipso territorio, in quo hujusmodi populus alicui ecclesiae deputatus et intra certos limites constitutus, degit.

Major et copiosior est nominis „parochi“ synonymia; in ecclesiasticis monumentis quippe mira ver-

---

[1]) Nonnullorum opinio est, latinum nomen „parochus“, illi vocabulo graeco *πάροχος* respondere, quod ab *ὄχος*, currus, ductum, generatim eum designat, qui a latere alterius vehitur, et peculiariter, qui sponso sponsam domum deducenti in curru assidet, alio nomine *παρανύμφιος* dictus; parochus enim, ajunt, medium se inter Deum et populum interponit, ac velut paranymphus inter sponsam et sponsum hominibus gratiam Dei conciliat.

borum ubertate vocatur presbyter, presbyter parochianus, presbyter parochialis, rector, rector ecclesiae parochialis, curio, plebanus, pastor, persona: de quibus omnibus videndus est Du Cange, qui horum aliorumque synonymorum vocabulorum rationes solide et erudite pertractat in *Glossar. med. et infim. latinit.*

In conciliis americanis parochus communiter „rector missionis"[1]) vocatur: quae appellatio et ipsa aliqua interpretatione indiget.

Est ergo missio, generatim accepta, actus mittendi seu legatio, traditio, injunctio, administratio oneris et officii; missusque ille dicitur, cui cura est injuncta, rem aliquam alterius nomine faciendi et exequendi. — Sumitur etiam pro ipso ministerio commisso, similiter pro jurisdictione ac potestate ad rem procurandam necessaria. — Missionis nomine tandem ipse districtus seu territorium intelligitur, intra cujus terminos negotium concreditum est perficiendum.

In ecclesia Christi vero missio, speciatim sumpta, est deputatio alicujus ab eo, qui potestatem habet, ad munera ecclesiastica obeunda, h. e., collatio potestatis regendi, docendi, sacramenta ad normam ss. canonum administrandi; estque basis ac fundamentum totius christiani aedificii. „Quomodo enim", inquirit apostolus[2]), „invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur".

Missio autem duplex est, alia extraordinaria seu immediata et proxime a Deo ipso facta, alia vero ordinaria, quae a Deo quidem provenit, sed per ordi-

---

[1]) Loco „missionis" vocabulum „congregationis" identidem usurpatur, sumpta nominis ratione ab ipso fidelium coetu, cui rector est praepositus. Cfr. Statuta syn. dioeces. roffen. cit. n. 227. — A rectoris titulo missio etiam „rectoratus" vocatur. Cfr. Statut. synod. dioeces. cincinnaten. an. 1886, passim.

[2]) Rom. 10, 13—14.

narios superiores et praelatos ecclesiae[1]). Per missionem immediatam multi vocati leguntur in vetere lege; in nova autem apostoli omnes ab ipso divino redemptore missi sunt, sicut illum miserat Pater coelestis. Ad missionem mediatam et ordinariam refertur, quod s. Paulus praecipit Tito episcopo, ut per singulas civitates constituat presbyteros; et sic omnes, qui immediate a Deo erant apostoli et episcopi constituti, mox mittendi alios potestatem sibi factam exercuerunt. Constat enim post Domini in coelos ascensionem, constitutos ab apostolis per civitates presbyteros, consecratos episcopos, electos diaconos aliosque ministros, ad consummationem sanctorum et in opus ministerii ecclesiastici. Quae quidem mittendi potestas usque in hunc diem, successionis serie nunquam interrupta, in ecclesia catholica perseverat.

Primum ac praecipuum jus in totam ecclesiam mittendi, seu canonicam missionem ubique terrarum dandi romano Pontifici competit; deinde vero episcopis, juxta leges ecclesiasticas, in suis dioecesibus, et aliis magistratibus etiam in territoriis sibi assignatis. Quum enim supremi ecclesiae principes ac fidelium pastores per seipsos omnibus adesse nequeant, per inferiores ministros a se missos adsunt, qui potestate a Papa vel ab episcopis accepta oves sibi creditas de necessario pastu provideant[2]).

Sic igitur, quod de vario sensu vocabuli „missionis“ generatim sumptae diximus, nominatim ad vocationem ecclesiasticam accommodari et „missio“ accipi potest pro legitima facultate docendi[3]), praedicandi,

---

[1]) Ab Innocentio PP. III. de utraque missione multa egregie observantur c. Quum ex injuncto 12. X. de haereticis.

[2]) Distinguenda est potestas docendi ecclesiae a potestate docendi in ecclesia; illa vere est potestas jurisdictionis ac Summo Pontifici et episcopis competit; haec autem facultas est munus docendi in ecclesia exercendi, quae cum inferioribus, quin et laicis, communicari potest.

[3]) Cum hac facultate ecclesiastica docendi, per missionem canonicam tradita, confundi non debet obligatio parentum liberos christianam

sacramenta administrandi caeteraque ministeria ecclesiastica obeundi; et ad districtum, intra quem munera ecclesiastica exerceri possunt, nomen missionis translatum significat determinatam regionem missionario commissam, h. e., locum, certis limitibus distinctum, in quo degit populus, presbytero ex superioris voluntate commissus.

Quodsi presbyter missioni ita addicitur ab episcopo, ut eidem populus perpetuo regendus committatur ac titulus „rectoris inamovibilis" ex mente praesentis capitis concilii nostri conferatur, tunc vere proprieque dictus parochus creatur[1]). Qui vero missioni ea lege praeficitur, ut officium vel tempore finiatur, quod a mittente est constitutum, vel eodem, quo datum est, arbitrio adimi possit, is proprie parochus, uti nunc juxta canones est, dici nequit.

Quibus animadversionibus de nomenclatura praemissis,

Argumentum

praesentis capitis summatim consideratum hoc est.

Dividitur in duas partes, in historicam et in dispositivam. Prior initio generatim paucis refert historiam disciplinae ecclesiasticae de instituto parochorum (n. 31), ac deinde nominatim exequitur, quidnam in concilio plenario baltimorensi II. jam factum sit anno 1866, ut „disciplina americana hac in re ecclesiae universae disciplinae conformaretur" (n. 32). — Altera pars agit de instituendis rectoribus inamovilibus, indicatisque in antecessum conditionibus ecclesiae, quae rectori inamovibili addicatur (nn. 33—34), residuis quatuor numeris (35—39) singillatim statuuntur, quae ad novos

---

religionem docendi, quae non ex injunctione ecclesiae, sed ex jure naturae descendit.

[1]) Recolantur quae de conditione missionum inamovibilitate praeditarum in priori parte animadvertimus pp. 201—202.

hos ecclesiae ministros creandos, regendos, deponendos pertinent.

Ad ea doctrinae capita rite illustranda, quae in priori parte circa historiam brevissime attinguntur, adhiberi ex recentioribus scriptoribus, praeter alios, possunt Marius Lupus, *De parochiis ante annum Christi millesimum*, edit. Bergomi, 1788; et Bollandiani, *Examen historicum et canonicum libri Mariani Verhoeven*, edit. Bruxellis, 1847. — Ab iis enim quatuor hae theses fuse demonstrantur:

1. Originem parochorum tertio saeculo non esse antiquiorem;

2. constitutas primum fuisse parochias ruri, in vicis et villis[1]);

3. ante annum Christi millesimum nullos fuisse parochos in civitatibus episcopalibus, Roma forte et Alexandria exceptis;

4. ex lege tridentina tandem[2]) id officii esse episcopis injunctum, „ut in iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec eorum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrent, pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo licite sacramenta suscipiant, . . . idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quam primum fieri curent“.

Probationes lector, hujus disciplinae cupidus, late propositas reperiet apud citatos auctores: qui si forte ad manus non sint, consulere poterit, quae ex iisdem excerpta dat Bouix, *De parocho*, edit. Parisiis an. 1855.

---

[1]) Parochiae nomen proprium initio erat ruralium ecclesiarum, postea demum a rusticanis ad urbanas ecclesias translatum est.

[2]) Sess. 24, c. 13. de reformat. jct. sess. 14, c. 9.

Brevi huic conspectui historico de instituto parochorum subjungunt patres baltimorenses pauca quaedam excerpta ex concilio plenario II., quibus fidem faciant, jam anno 1866 ad id consilii devenisse episcopos americanos, ut dioeceses suas „in districtus quosdam, paroeciarum instar, descriptis accurate limitibus", dividerent, atque ita „paulatim, et quatenus per adjuncta liceret", erectionem ecclesiarum parochialium praepararent; verum „ea tunc fuisse rerum tempora, quae fieri nondum paterentur", ut ditionibus ita distinctis sacerdotes ceu parochos, uti nunc sunt, addicerent, qui commissas sibi ecclesias perpetuo regerent jure officii sui.

Argumento historico capitis ita ex ipsa synodo proposito, restat, ut tres animadversiones canonicas adscribamus, quae decretis tridentinis a concilio plenario allegatis rite interpretandis inservire possint.

1. Circumscriptionem parochiarum quod spectat, legi tridentinae satisfit, si singulae ecclesiae parochiales per familias seu nationes distinguantur[1]); licet enim parochiae sic constitutae neque per materiales domos neque per locales terminos ab invicem secernantur, in iis tamen obtinet, quod concilium generale praescribit, ut nempe „sacramenta petentibus non promiscue administrentur a quolibet, sed ab eo tantum suscipiantur, qui unicuique ecclesiae parochiali perpetuus peculiarisque rector est assignatus, quique concreditum sibi populum cognoscere valeat". Ea ratione in multis provinciis imperii austriaci et regni Hungariae in uno eodemque loco, ac saepe etiam in iisdem domibus duae aut tres parochiae a diversis familiis ac nationibus, juxta proprium cujusque ritum, distinctae existunt[2]). — Ejusmodi conditionis etiam in monarchia

---

[1]) Id decisionibus romanis confirmatum vide apud Barbosa, *De parocho,* partis 1 c. 1, nn. 23—24.

[2]) Ad hunc locum faciunt, quae in priori commentarii parte monuimus p. 18 de tribus metropolis catholicis in una eademque urbe

austro-hungarica sunt parochiae militares, vi brevis Pii VI. „Inter caetera“ edit. die 12. octob. an. 1778 ab episcopo castrensi pro exercitibus caesareis erectae sunt; qui enim in nobili officio parochorum singulis cohortibus sunt praepositi sacerdotes, semel rite approbati et instituti, commissorum sibi militum aliarumque utriusque sexus personarum ad exercitus imperii quomodolibet spectantium, curam jure proprio exercent, ubi demumcunque exercitus castra metati fuerint[1]).

Ex his patet, episcopis americanis etiam licere, parochias, praecipue in majoribus urbibus, ubi variae nationes permixtae habitant, juxta familias ac populos distinguere, si talem distinctionem judicarent profuturam et fidei catholicae et moribus parochianorum. Et ita quidem, ut ejus disciplinae exemplum adscribatur, in dioecesi leavenworthensi, in eodem territorio plures pro fidelibus diversi labii vel coloris paroeciae leguntur erectae. (Statuta synod. leavenworth. nn. 14—15).

2. Personalitas juridica, quae ut in omni beneficio ecclesiastico canonice erecto, ita nominatim in paroecia legitima auctoritate constituta ex jure communi inest[2]), ipsi ecclesiae seu beneficio parochiali, non autem communitati religiosae ex parochianis constanti, competit. Hinc fideles ejusdem ecclesiae parochialis consortes (germ. Pfarrgenossen, Pfarrangehörigen) non constituunt universitatem seu collegium sive corpus morale, quod reputetur legitimum subjectum esse jurium atque

---

Leopoli cohabitantibus, quorum dioeceses ac paroeciae in eodem territorio constitutae, per tres nationes, quae ibidem permixtae vivunt, sunt distinctae, et unicuique gregi proprii sunt ex eadem sua natione attributi pastores.

[1]) Exhibetur breve cit. apud Ginzel, *Kirchenrecht*, t. 1, append. pp. 62—67.

[2]) De personalitate juridica ecclesiae ceu causae piae tributa, deque discrimine inter hanc personalitatem et eam, quae collegio per magistratum publicum est concessa, relegantur dicta in priori parte p. 217; ubi etiam monuimus personalitatem juridicam in America passim „incorporationem“ vocari.

obligationum (germ. Genossenschaft mit Corporationsrechten), sed in suis juribus atque officiis juridice semper considerantur, ut singuli sunt: quantumvislicet in una societate parochiali coadunati atque in propriam communitatem religiosam conjuncti (germ. Pfarrgemeinde) dicantur ac sint[1]). Neque fieri potest, ut sua se voluntate qui parochiam aut initio fundarunt aut nunc inhabitant, in collegium congregent, quod ut personalitate donatum agnoscant; haec qualitas enim tribui societati non potest nisi publica auctoritate interveniente sive per legem aliquam generalem, sive per constitutionem particularem, sive per consensum superioris legitime praestitum. Atqui communitas parochialis nullo ex his modis personalitate juridica est donata. — Animadvertendum et illud est, personam juridicam, quam ecclesiae competere diximus, a fidelibus ad parochiam pertinentibus omnino independentem esse. Hinc est, cur existere pergat, etiamsi omnes ejusdem ecclesiae consortes deficiant sive per mortem, sive per apostasiam, sive per violentam aliquam actionem potestatis civilis. Persona juridica quippe, quae causae piae est concessa, semper existet, usquedum ab eadem illa auctoritate fuerit exstincta, a qua canonice fuerat creata.

3. Quum parochi in partem sollicitudinis episcoporum in his, quae ad curam animarum pertinent, juxta canones sint vocati, de ipsorum munere etiam, servata proportione, valent, quae de pastorali officio episcoporum circa curam animarum dicta sunt pp. 27 seqq.; parochus enim, tanquam bonus pastor, oves sibi commissas rite cognoscere, cognitis optime prospicere, gregemque ab omnibus nocivis tueri debet. Hinc in sua quisque ecclesia suo modo pro virili exequatur

---

[1]) Id in suo genere singulare non est; plures enim in ecclesia existunt causae piae ac societates religiosae, a publica auctoritate etiam laudatae, commendatae, protectae, quin tamen personalitate juridica sint exornatae.

oportet, quae de tribus praecipuis ac propriis pastoris virtutibus ibidem sunt disputata. Necessariae ovium notitiae acquirendae idoneoque pastui juxta uniuscujusque necessitatem parando inservient quinque libri parochiales, quos parochis in procinctu esse debere diximus in priori commentarii parte pp. 93—94 et 193. — Tertiam pastoris virtutem in eo positam docuimus, ut fideles sibi commissos tanta vigilantia, sollicitudine, caritate ab omni periculo defendat, ut et ipse, exemplum boni pastoris secutus, animam suam pro ovibus suis, si necessitas postulaverit, exponat. Cui divinissimo omnium divinorum operi libentissime se impendet et superimpendet, si in oculis Dei consistens attente consideret, ad quem eminentem in regno gratiae statum electus et super plebem elevatus sit. Parochi, inquit antiqua et satis nota adhortatio, in partes vocati episcopalis sollicitudinis, in crediti dominici gregis custodia excubantes, laborantes, desudantes, quam nobilem et fructuosam in dioeceseos procuratione opem ferunt! Quasi extremi sunt a sole, qui est ecclesia, ad populos illuminandos emissi radii, et extremae illae arteriae, per quas sanguis et calor in remotissimas membrorum partes diffunditur. Apud illam gregis, cui praesunt, partem fere soli plerumque ecclesiae personam agunt, ipsique plerumque soli sunt, ex quibus fideles et infideles religionis vim et efficaciam metiri solent. Quam grave inde munus esse conspicitur! Cum populo sibi commisso assidue degens parochus, hortulani diligentis instar, cura diurna et nocturna easdem plantas modo irrigare debet, modo a solis ardoribus, modo a pruina defendere; medici partes agens, e crebra consuetudine valetudinis vices omnes perspectas habere debet; ceu pater familias solers et providus, non modo quod tempus praesens exposcit, sed etiam quid aliquando e re futurum sit, explorare et prospicere debet. Has ob causas demum parochi constituti sunt. Quanti momenti eorum munus!

Haec et alia his similia si jugiter recurrant animo, fieri omnino non poterit, quin parochi ad praeclara quaeque facinora inflammati semper aemulentur charismata meliora, ac boni pastoris exemplo „animas suas dent pro ovibus suis“.

Quae pastoralis officii descriptio ne quid offensionis iis afferat, qui odio erroris Jansenianorum cum D. Bouix[1]) volunt titulum „pastoris“ e nomenclatura parochi expunctum, pravae dictorum interpretationi occurrendum censemus, adscriptis, quae eam in rem sapienter observavit card. Tarquini, *Juris eccles. publ. institut.*, l. 2, c. 2, §. 2, n. 21: „Quum autem nihil magis veritati obsit, quam ut plus aequo exaggeretur, animadvertimus, eorum esse devitandam severitatem, qui ferme haereticum dicunt, quicunque parochos „pastoris“ nomine cohonestet. Sunt enim veri pastores, siquidem ordinarium gerunt officium, quod sua natura pastorale est; pastorisque nomine appellantur a theologis optimae notae, cujusmodi est ex. gr. Benedictus PP. XIV., *De synodo dioec.* l. 8, c. 1; Petavius, *De hierarchia*, l. 2, c. 5, n. 10; tum passim catechismus romanus et acta s. congregat. cardinal. concil. trident. interpretum. Non ergo denegandum est, eos dici posse pastores; sed quales pastores sint, ad catholicae veritatis normam adversus Jansenianos est statuendum. Sunt autem pastores 1⁰ non divinae, sed ecclesiasticae institutionis; 2⁰ non perfecti, sed ejusmodi, quibus certa tantum munia commissa sunt; 3⁰ in iis muneribus exercendis non independentes, sed episcopi auctoritati omnino subjecti sunt“[2]).

---

[1]) *De parocho*, partis 1, sect. 2, c. 6., ubi theseos instar ponitur: „non decet hodie parochum vocari pastorem, etiam lato et improprio sensu“.

[2]) In America etiam rectores missionum competenti sibi titulo „pastoris“ cohonestantur, quemadmodum, praeter alia, ostendunt statuta dioecesana cincinnatensia anni 1866, pp. 44 seqq., et novarcensia ejusdem anni p. 18.

Jus novum circa ecclesias curatas earumque rectores.

Historica quam diximus relatione praemissa, patres baltimorenses jam ad novas easque gravissimas leges ferendas pergunt, quibus episcopi americani in erigendis atque administrandis paroeciis uti debeant.

Ad mentem sacrorum canonum ante omnia requirunt, ut „missio, cui praeficiendus sit rector inamovibilis, praeter convenientem ecclesiam, scholam pro utroque sexu, et domum sacerdotis usui accommodatam" caetera quoque, quae ad canonicam dotem pertinent, h. e., „proventus sufficientes et satis certos ad sacerdotis, ecclesiae et scholae necessariam sustentationem". Nimirum dos ecclesiae parochialis novae tanta esse debet, ut ex ea non solum luminaria caeteraque ad sacrum ministeria haberi, sed etiam rector cum ministro (sacrista), ipsi serviente in ecclesia et illius custodiam habente, commode sustentari, jura episcopalia persolvi, in pauperes liberalitas et in peregrinos aliosque hospitalitas exerceri aliaque similia onera supportari valeant[1]). Quum autem aedes habitationi rectoris destinatae censeantur accessoriae ecclesiae et sacerdotum ministerio, „congruae" dotis seu sustentationis nomine etiam ipsa habitatio venit. — „Satis certos" esse debere dicunt patres proventus illos, ex quibus congrua sacerdotis sustentatio constet, ne quasi necessitate adigatur, occasione administrationis sacramentorum aliarumque sacrarum functionum, ad eas praestationes sordide et cum avaritiae nota exigendas.

Ex eo autem, quod patres baltimorenses ecclesias ad dignitatem paroeciarum evectas circuitione quadam vocent „missiones paroeciarum instar habitas", non autem simpliciter „paroecias"; ex eo, inquam, inferri

---

[1]) C. Placuit, ut quoties 1. C. 1, q. 2. — C. Suscepti regiminis 1 de praebend. et dignit. in 6. et c. Statuto perpetuo 2. §. 2, de decimis in 6.

non potest, ejusmodi missiones seu rectoratus a gradu ecclesiarum parochialium deficere. — Id enim generatim loquendo novum in hoc argumenti genere non est, ut ecclesiae, quae ex sua origine parochiales non erant ac vocabulo a parochialitate alieno appellabantur, lapsu temporis in veras ac proprie dictas paroecias legitime conversae, antiquum suum nomen sine ulla mutatione retinuerint. Sic, ut exemplum ex ipsa hac nostra provincia ecclesiastica apponamus, quae in archidioecesi salisburgensi ecclesiae „vicariales", ex prima sua fundatione a vicario seu rectore ad nutum amovibili administratae, saeculis 17. et 18. ad gradum ecclesiarum parochialium elevatae sunt, pristino nomine constanter retento simpliciter „vicariatus" dicuntur, licet dudum verae parochiae sint[1]). — Accedit eo, quod speciatim in foederatis Americae septentrionalis ditionibus vocabulum „missionis" interim consulto ac provide retineatur, tum ad indicandam conditionem ecclesiae catholicae in iis partibus, quod scilicet adhuc in plerisque disciplinae capitibus non jure communi, sed eo, quod missionum est proprium, regatur[2]); tum etiam ad significandum, veras illas parochias, quae „missiones paroeciarum instar habendae" dicuntur, esse ecclesias mixtas, quarum rectores nimirum sibi merito vindicent, quod in utroque jure sit optimum. Ex jure communi quippe canonica inamovibilitate praediti sunt; ex jure peculiari missionum autem exemptione ab obligatione missam pro populo applicandi gaudent. Sed ea de re videri possunt, quae jam observavimus in priori parte p. 202.

Novo jure de rectoratibus parochialibus rite edito, patres baltimorenses regulas subdunt (n. 34), quas episcopi in dismembratione et divisione parochiarum

---

[1]) Cfr. Aichner, *Compend. juris eccles.*, p. 254.

[2]) Relegantur, quae de jure ecclesiae communi „potentialiter" tantum in America inducto scripsimus in priori parte p. 214.

jam constitutarum ob oculos haberent: et id recte quidem atque ad doctrinae seriem perquam accommodate. Praeter enim quam quod in re beneficiaria de immutatione beneficiorum sit in eo disputationis capite agendum, quod titulum 12. libri 3 exponit[1]): erat sane cur synodus speciatim dismembrationem et divisionem attingeret, quum haec mutationis species, ob crescentem in dies segetem evangelicae sementis, certo praevideretur necessaria fieri.

Ad eam decreti partem ergo pauca haec interpretationis loco accipe:

Ad innovationes beneficiorum, quae per diminutionem fiunt, praeter alias, pertinent dismembratio, divisio, disjunctio, nova parochiarum circumscriptio ac limitatio.

„Dismembratio" seu mutilatio fieri dicitur, quando salva beneficii unitate pars redituum, quibus abundat, ab eo aufertur et alteri applicatur, remanente interim beneficio penes ordinarium suum rectorem. Et ista proprie est quae vocatur dismembratio „partialis". Ab ea dismembratio „totalis" distinguitur, quae in innovatione status parochiarum occurrit, atque in eo consistit, ut pars populi cum parte redituum alteri parochiae jam existenti addicatur.

„Divisio" est sectio ipsius beneficii, quae tunc accidit, quando ex uno beneficio duo vel plura fiunt, ita ut divisis fructibus plures in posterum beneficiati instituantur. Potest autem sectio cadere vel in solam praebendam seu proventus annuos ex beneficio percipiendos, vel etiam in ipsum officium spirituale, quod fundamentum est ac causa beneficii.

„Disjunctio" est nova separatio beneficiorum canonice unitorum, qua in pristinum suum statum restituuntur.

---

1) „Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur".

„Nova circumscriptione seu limitatione parochiarum“ pars populi a sua parochia distrahitur et viciniori ecclesiae addicitur.

Ante aedificationem novae ecclesiae parochialis audiendi sunt parochus antiquae ecclesiae, et caeteri, quorum interest, iisque etiam injuste adversantibus, novum opus inchoatur et absolvitur. Antiqua ecclesia „matrix“ dicitur, respectu habito ad novam, seu „filialem“ ecclesiam; et si parochus antiquus ecclesiam filialem ex fructibus beneficii sui fundavit, a filiali annuam praestationem accipit. Quum ex sacris canonibus in parochialibus ecclesiis divisionis, dismembrationis, novae circumscriptionis causa sit copia et distantia parochianorum tanta, ut officiis divinis in ecclesia parochiali interesse commode non valeant[1]), episcopus novam ecclesiam erigendo, quum opus fuerit, etiam novae parochiae consortes cogit ad congruam novi rectoris sustentationem praestandam.

Quae juris sacri principia si ad praesentem sanctionem synodicam transferantur, genuinus decreti ac terminorum in eo occurrentium sensus facile intelligitur.

In caeteris, quae residuae sunt, praesentis capitis sectionibus agitur de institutione et depositione rectorum inamovibilium seu parochorum rite constitutorum.

Quod in priori sectione concilium plenarium, legitimam libertatem episcoporum restringendo, contra jus commune statuit, ut scilicet nemo ad concursum pro obtinenda parochia admitti queat, nisi „per decem saltem annos in dioecesi ministerium sacrum laudabiliter exercuerit seseque habilem probaverit ad parochiam administrandam“ (n. 36), id canonica statera jam examinavimus in priori commentarii parte pp. 199—200.

Ultima sectione tandem modi attinguntur, quibus parochia amittitur; juxta canones autem duplici ratione

[1]) C. Ad audientiam 3. X. de ecclesiis aedific. — Conc. trident. sess. 21, c. 4, de reformat.

amitti potest; propria rectoris voluntate, h. e., per renuntiationem, translationem, permutationem; et contra ejus voluntatem ac poenae causa, per depositionem aut degradationem.

Ut parocho rectoratus poenae causa possit adimi, synodus merito probationem criminis requirit, quod, „praesenti rerum americanarum conditione spectata, in grave discrimen disciplinam ecclesiasticam vel jura sive spiritualia sive temporalia missionis adducit“.

De renuntiatione seu resignatione beneficii statuunt patres: „si quis rector inamovibilis absque sua culpa redditus vel compertus est notoria ratione et permanenter inhabilis ad missionem administrandam, is inducendus est, ut sponte renuntiet“. — Et ista quidem conformia sunt juri communi; quae vero sequuntur, jus particulare americanum faciunt, sacris canonibus contrarium: „Si vero id recuset, et per juris remedium, constituendo ei scilicet vicarium cum congrua pensione[1]), provideri nequeat, episcopus, propter speciales missionum nostrarum conditiones, ex gravissima causa legitime demonstrata, poterit etiam sic irrationabiliter invitum amovere“. Haec, inquam, juri ecclesiae communi non conveniunt; canones enim non permittunt, ut clerico legitime instituto, extra suam voluntatem, beneficium ideo auferatur, quod quum prius ad exercendum munus suum habilis fuisset, postea ob senium, infirmitatem, mutilationem aut alium sinistrum casum inhabilis factus sit; „afflicto quippe non est afflictio addenda, imo potius ipsius miseriae miserendum“[2]); et „quia diversis in ecclesia militantibus varia saepe contingit infirmitas, si ejusmodi fuerint (privationis) exemplo deterriti, de caetero forte non posset, qui militaret ecclesiae, inveniri“[3]). Praescribunt ergo leges,

---

[1]) Conc. trid. sess. 21, c. 6 de reformat.; et Benedict. PP. XIV. *De syn. dioec.* l. 13, c. 9, n. 21; c. 10, n. 16.

[2]) C. Ex parte 5. X. De clerico aegrotante vel debilitato.

[3]) C. Quum percussio 1. h. t. jcta. p. d. — Antiquo jure simpliciter

ut infirmi vel debilitati rectoris inhabilitas habilitate idonei coadjutoris suppleatur, cui si ex reditibus ecclesiae provideri nequeat, parochiani congruam sustentationem, episcopi arbitrio, subministrare debent[1]). Licet concilium plenarium „propter speciales locorum conditiones“ episcopo facultatem tribuat, parochum, qui officium suum non amplius obire possit, a rectoratu amovendi, ex genuino humanitatis jure tamen subdit: „Sive autem amoto sive sponte renuntianti episcopus procurabit pensionem, quae ex consultorum consilio congrua censebitur, eique titulum rectoris emeriti conservabit“.

Et quoniam ultimo hoc loco pensionis, quovis anno praestandae, mentio injecta est, ad absolutionem capitis circa beneficiorum renuntiationes, quae reservata pensione fiunt, duo sunt ex jure communi observanda: 1° ad resignationes hac vel simili lege et conditione obstrictas[2]) pontificiam auctoritatem postulari, quum solus Papa in communi ecclesiae jure de beneficiis ecclesiasticis sine diminutione conferendis dispensare possit[3]); irritas esse beneficiorum renuntiationes, quae fiunt reservata pensione et arcano pacto, eam exstinguendi seu redimendi per certam vim pecuniae, quae resignanti semel persolvatur. — Sed de ejusmodi resignationibus videatur Benedictus PP. XIV. constit. *In sublimi*, edit. d. 29. Aug. 1741[4]), et constit. *Ecclesiastica ministeria*, edit. d. 15. Jun. 1746[5]).

„injustum“ pronuntiatur, „ut si molestia corporis irruat, honore suo privetur aegrotus“. C. Scripsit 1. C. VII. q. 1.

[1]) Cfr. Schmalzgrueber ad h. t., n. 11.

[2]) Ejusmodi, inter alias, sunt conditiones reservationis regressus, ingressus et aggressus seu accessus, de quibus agunt doctores in com. ad tit. „de renuntiatione“.

[3]) Cfr. Schmalzgrueber ad h. tit. n. 24; et Phillips, *Lehrbuch*, t. 1, §. 86.

[4]) Bullar. mag. cit. t. 16, p. 43.

[5]) Ibid. t. 17, p. 33.

Caput VI.

De concursu.

Praecipua doctrinae capita ad concursum spectantia ipsa synodus singillatim proponit. Paucos illos articulos, qui interpretatione videbantur egere, in priori commentarii parte declaravimus pp. 193—201. Unde hoc loco id unum est reliquum, ut ea breviter indicemus, quae ad Austriacorum et Germanorum concursum generalem, bis in anno instituendum, referuntur, quum concilium eandem praxim, propter paritatem rationis, in Americam induci permittat numero finali 59.

Quoniam ob dioecesium amplitudinem, locorum distantiam et alia peculiaria rerum adjuncta fieri non potest, ut quoties parochia per concursum conferenda vacare contigerit, toties sacerdotes competitores personaliter compareant, ingenium et virtutem suam periclitaturi: de consensu Pontificis[1]) est usu receptum, ut examen de doctrina literarumque peritia separetur ab examine de morum probitate caeterisque dotibus ad recte obeundum parochi officium necessariis.

Ad explorandam doctrinam bina quotannis examina generalia pro concursu parochiali institui solent, liberumque est cunctis ad beneficium aliquod parochiale aspirantibus, examen illud, quandocunque placuerit, subire. Qui in eo satisfecerunt, facultate gaudent petendi parochiam quamcunque intra certum annorum spatium[2]) a die facti examinis vocaturam. Quodsi infra determinatum temporis spatium beneficium parochiale non obtinuerint, eo elapso iterum se sistere concursui debent.

---

[1]) Indulta pontificia variis episcopis concessa accurate indicat Vering, *Lehrbuch des Kirchenrechtes*, lib. 2, §. 86, p. 474, (edit. 2).

[2]) In Austria per sex annos ad beneficium parochiale obtinendum habilis censetur, qui in examine generali sufficientem calculum retulit.

Examen vero de moribus, prudentia aliisque rebus ad ecclesiam parochialem gubernandam requisitis instituitur immediate ante beneficii collationem, quin aspirantes ad illud praesentes sint. Quotiescunque scilicet beneficium sive parochiale sive aliud vacare contigit, publico episcopi edicto evocantur, qui beneficium adipisci cupiunt, peremptorio inscriptionis termino concurrentibus praefixo[1]). Petitores antea jam in examine generali quoad doctrinam approbati literas supplices cum opportunis documentis, meritorum testibus, ad episcopum dirigunt, qui eum ex competitoribus eligit, quem praevio de virtute examine magis idoneum judicaverit. Hac ratione etiam id commodi obtinetur, ut qui beneficium non obtinuerunt, nulla repulsae nota maculentur, quum eorum nomina episcopus non vulget.

Qui facto examine ad parochiam promoti sunt, si aliud beneficium parochiale petant, ab onere novi examinis subeundi dispensari possunt. Ex declarationibus romanis per se exempti a novo concursu non sunt, nisi „ii viri ecclesiastici, qui in praesentia inter synodales vel prosynodales examinatores sint adsciti, quique propter muneris aut beneficii, quo fruuntur, dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua ecclesiae cum laude servierunt, de necessaria scientia probationem satis superque exhibeant, quique idcirco ab episcopo, audita examinatorum sententia, ab hac concursus lege immunes fuerint declarati“[2]).

Regulares parochiarum rectores, etiam ad nutum amovibiles, ex lege tridentina[3]) examinare quidem debet episcopus, si eos aliunde non jam idoneos judicet; verum eo in negotio expediendo ad servandam

---

[1]) Recole quae de termino candidatis praefigendo observavimus in priori parte p. 198.

[2]) Cfr. Aichner, *Compend. juris eccl.*, p. 285, ubi refertur „rescriptum congregationis negotiorum ecclesiasticorum extraordinariorum“ ad episcopos austriacos et germanos ea de re datum.

[3]) Sess. 24, c. 11. de regularibus.

formam concursus non obligatur. In Austria tamen particulari jure praescriptum est, ut etiam pro regularium parochiis administrandis examen de necessaria doctrina ad curam deputandorum fiat in forma generalis illius concursus, quem bis in anno institui monuimus.

Finito concursu in authenticas tabulas seu protocollum accurate ac distincte referri debet, quonam eventu singuli doctrinam caeterasque dotes sint periclitati, ut ubi aliquis ex competitoribus vel „a mala relatione examinatorum“ vel „ab irrationabili judicio episcopi“[1]) ad metropolitam aut ad Summum Pontificem provocaret, protocollum debita forma perscriptum instar actorum, cum libello appellationis, ad eum superiorem mittatur, qui de appellatione est cogniturus. Conceditur autem appellatio, intra decem dies a die collationis injicienda, sed in devolutivo tantum, non autem in suspensivo. Hinc clericus, qui causam ad superiorem judicem defert, id quidem appellationis beneficio consequi potest, ut repulsae notam deleat ac novo experimento ingenium ac merita sua ostendat; verum impedire non potest, quominus sententia episcopi et examinatorum exitum habeat, parochia alteri, qui magis aptus fuerat judicatus, canonice collata. Caetera, quae pro particularibus casibus in appellationis negotio sunt servanda, videantur apud Phillips, *Lehrbuch des Kirchenrechtes*, t. 1, §. 138.

Caput VII.

De clero dioecesano.

Absoluta tractatione de personis ecclesiasticis, quae episcopo opem ferunt in procuratione dioeceseos, patres baltimorenses ea persequuntur (capite 7), quae ad clerum

---

[1]) „Irrationabile episcopi judicium“ tunc locum habere dicitur, quum tanta adest qualitatum et meritorum inaequalitas, ut, si non dolo malo, immodicae saltem, minimeque ferendae affectioni imputanda collatio sit.

dioecesanum generatim spectant, universa capitis materia quadrifariam divisa. Duabus prioribus §§ modos exponunt, quibus candidati clero dioecesano adscribuntur. Succedit decretum de cura sacerdotibus infirmis impendenda. Quarto tandem in media inquirunt, quibus sacerdotes lapsi possint in misera sua conditione juvari.

Pro instituti nostri ratione interpretationem brevi explicatione terminabimus.

§. 1.

De ordinandorum dioecesi.

Rubrica est valde ambigue scripta, ac talis, quae sibi similem non habeat in corpore juris nostri. Verba „ordinandorum dioecesis", consueta significandi potestate spectata, innuere videntur, sub hac inscriptione de quatuor causis canonicis agi, propter quas ordinandi ad certam dioecesim pertineant atque in ea episcopum proprium habeant; nimirum de origine, de domicilio, de beneficio et de familiaritate; isti enim sunt tituli, ex quibus nunc clerici omnes alicui episcopo tanquam proprio subjecti sunt. Et ita accepta rubrica „de ordinandorum dioecesi" hunc sensum funderet: de dioecesi, a cujus episcopo candidati ad ordines promoveri possunt aut propter originem, aut propter beneficium, aut propter domicilium, aut propter familiaritatem: singulis subjectionis causis juxta sacros ecclesiae canones intellectis.

Verum ex nigro seu ex ipso textu patet, de ea subjectione tantum esse sermonem, quae ex eo sequitur, quod ordinandi ad titulum missionis, emisso solemni juramento, in ordinatione certae dioecesi adscribantur.

De utroque capite, de titulo missionis et de juramento praescripto, fuse jam egimus in priori commen-

tarii parte pp. 202—212; unde satis fuerit, ex eo loco princeps argumentum, theseos instar, huc transscribere.

De titulo missionis.

Titulus missionis igitur per modum dispensationis a jure communi concessus est atque inde rebus odiosis accensetur. Unde fit, ut eum episcopi nunquam admittere debeant, ubi titulus legitimus beneficii, aut patrimonii aut pensionis haberi possit. Hinc monitum episcopis americanis factum: „Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros ordines admissi fuerunt, servatis de jure servandis; neque ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur s. congregatio ordinarios, ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducantur"[1]). Idque eo magis in statibus foederatis Americae septentrionalis obtinet, quod ibidem titulus missionis non tantum valeat, quantum alumnis collegii urbani de propaganda fide ex titulo missionis sibi a s. congregatione concesso redit; dum enim propagandistae vi tituli missionis circa omnia ad cultum et victum necessaria semper securi esse jubentur[2]), in America clericis ad eundem titulum ordinatis saepe non praestantur necessaria ad vitam honeste transigendam. Verum quidem est, concilium plenarium rite decrevisse, sacerdotes ad titulum missionis ordinatos debere ex missionibus, quibus praesunt, omne id habere, quod suppetat ad convenientem ipsorum tuitionem; sed ex statutis dioecesanis fieri posse videmus, ut iidem sacerdotes neque ex missionibus neque aliunde obti-

---

[1]) Instruct. d. d. 27. april. 1871, n. 14.

[2]) „Memorata s. congregatio neminem ex iis, qui ad missionis titulum ordinati sunt, quive suo instituto pro viribus incumbunt, consuevit unquam destituere: necessario illis assignato stipendio pro eorum congrua sustentatione, si alia ratione eorum necessitati consultum non esset". Cfr. Bullar. s. congregationis de propaganda fide, t. 1, pp. 141 et 149.

neant, unde vivere honeste possint. Sic, ut ejus rei novissimum exemplum adducamus, synodus dioecesana kansanopolitana anni 1887, in primo suo decreto haec statuit p. 11: „Salarium suum sacerdotes ex sua ipsa congregatione seu missione quaerere debent. Bona parochialia jam acquisita salario nec rectoris nec assistentis obligata aut obstricta sint. Et neque episcopus neque dioecesis ullo pacto aut lege tenetur salarium aut salarii defectum supplere, si qua de causa sacerdotes illud vel nullam vel justo minus a fidelibus acceperint“[1]). Qua postrema declaratione titulo missionis, ad quem isti sacerdotes rectores et assistentes ordinati sunt, omnis vis ac ratio canonici ordinationis tituli adimitur. Unde fieri videmus, ut sacerdotes americani, qui vel ex paterna haereditate vel ex benefactorum liberalitate sibi facile legitimum ordinationis titulum patrimonii aut pensionis comparare indeque convenientem sustentationem habere potuissent, nunc identidem propter defectum necessarii vitae subsidii cum dedecore sui ordinis aut stipem quaerere aut sordidum aliquod munus exercere cogantur[2]). Erat ergo, cur s. congregatio de propaganda fide expressa adhortatione ab episcopis americanis contenderet eosque identidem acrius urgeret, ut, „quantum fieri posset, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducerentur“.

---

[1]) Ipsum concilium plenarium sapienter addidit: „dummodo tamen juxta monitum apostoli necessaria alimenta et tegumenta non desint“ (n. 273).

[2]) Rev. Wm. Mahoney miseram conditionem sacerdotum americanorum, ad titulum missionis olim ordinatorum, qui ab episcopis e dioecesibus suis dimissi, nullibi jam stipendia militiae clericalis merere possunt, in proprio libro (*The Rights of the clergy vindicated or a Plea for Canon Law in the United States.* New York. James Sheehy. 1885) depinxit, usus vocabulis, ut alii volunt, rem nonnihil praeter veritatem exaggerantibus. Utut in describenda calamitate veritatem excessisse dicatur auctor, id tamen pro certo est credendum, adeo communem non evasisse miseriam, si illorum votis, qui ad legitimum patrimonii vel pensionis titulum ordinari petierant, factum fuisset satis; ii enim deficientibus praestationibus ecclesiae semper ex titulo obtinerent, unde decenter vivere possent.

Irritas autem non fuisse s. congregationis admonitiones, facta jam passim testantur. Duo ex ipso hoc anno attulisse juverit, quae certis auctoribus cognovimus.

D. Josephus Illig, dioecesis Eriensis, in statu Pensylvania, sacrae theologiae in hac caesarea et regia literarum universitate oenipontana auditor ordinarius, a rmo. episcopo suo D. D. Tobia Mullen facultatem petierat, sacros ordines ad titulum patrimonii suscipiendi. Petenti deesse noluit antistes; non minus enim pro eximio, quo ducitur studio, sacrae congregationi promptam suam voluntatem probandi, quam pro summa illa, quam subditis praestare solet, benevolentia, precibus sibi oblatis benigne satisfecit, data ad promovendum responso d. 30. septembris, „decrevisse se petitam facultatem concedere; velit igitur exhibito (quod praescribitur) testimonio fidem facere, quod post ordinationem ex bonis patrimonialibus sit obtenturus, unde vivere honeste possit“ [1]).

In eandem sententiam rmus. D. D. Otto Zardetti, episcopus s. Clodoaldi (St. Cloud), in statu Minnesota sept., sacrorum canonum observantissimus ut est, identidem nobis declaravit, lubentissimo animo se alumnis suis ex mente s. congregationis de propaganda fide concessurum, ut ad legitimos patrimonii aut pensionis titulos, rite constitutos, ordinentur.

Sed ista declarando genuino sensui legis odiosae de titulo missionis sufficiunt. Caetera ad id argumenti genus spectantia relegi in prima commentarii parte poterunt loco jam adducto.

---

[1]) Epistola talis est:

Erie, sept. 30. 89.

Mr. Joseph Illig.

Dear Sir: As I have decided on allowing you to be promoted to Holy Orders „ad titulum patrimonii“, you will please submit to me testimony going to show that you, after ordination, will have a competent support from your patrimony.

Yours sincerely

† T. Mullen, Bp. Erie.

De juramento cum titulo missionis conjuncto.

Varias quaestiones circa juramentum ordinandis ad titulum missionis praescriptum bis jam expendimus; primo quidem fusius de rationibus hujus obligationis disputando in commentario „de libertate clericorum religionem ingrediendi“; deinde brevius, omnia uno velut fasce complexi, in priori commentarii parte pp. 209—212. Ad eos locos igitur lectorem hujus materiae studiosum relegamus.

Ne tamen rem adeo gravem in explicatione praesentis decreti omnino intactam reliquisse videamur, commentariis utroque loco datis tria documentorum genera colophonis instar addemus. Primo jusjurandum ipsum, quod ab Americanis exigitur, in forma extensa adscribemus; deinde vero duas potiores ejusdem sacramenti formulas in collegiis pontificiis usitatas exhibebimus; ac tertio tandem ex luculentis ac fide dignis auctoribus romanis docebimus, quomodo praecipua jurisjurandi pars, quae est „de non amplectendo statu religioso“, in Urbe intelligatur ac servetur.

Formula juramenti ab iis praestandi, qui titulo missionis ordinantur[1]).

Ego N., filius N., dioecesis vel vicariatus N., spondeo et juro, quod postquam ad sacros ordines permotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem sine speciali Sedis apostolicae licentia, aut s. congregationis de propaganda fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et juro, quod in hac dioecesi aut vicariatu, vel in missione, cui S. Sedi vel s. congregationi de propaganda fide me destinare placuerit[2]),

---

[1]) Exhibetur in concil. plenar. baltimor. append. p. 209.

[2]) Juxta hunc alterum modum jurare debent, qui nondum alicui missioni addicti fuerint. (Nota ad concil. plen. baltimorense l. c.).

perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore ordinarii, pro salute animarum impendam; quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis apostolicae licentia religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo et juro, me praedictum juramentum et ejus obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.

Formulae juramenti in duobus praecipuis collegiis pontificiis adhibitae.

Formula collegii germanici et hungarici [1]).

Ego[2]) N. N., filius N. N., dioecesis N., nationis N., plenam habens hujus collegii notitiam, legibus et institutionibus ipsius, quas juxta superiorum interpretationem complector, sponte me subjicio, easque pro posse servare coram Deo et vobis promitto. Juro me velle statum ecclesiasticum amplecti, et ad omnes sacros, etiam presbyteratus, ordines, cum su-

Formula collegii urbani de propaganda fide [3]).

Ego N. N., filius N. N., dioecesis N., plenam habens instituti hujus collegii notitiam, legibus et constitutionibus ipsius, quas juxta superiorum explicationem amplector, me sponte subjicio, easque pro posse observare promitto.

Insuper spondeo et juro, quod dum in hoc collegio permanebo et postquam ab eo quocunque modo, sive completis, sive non

---

[1]) Cfr. Cordara, *Historia collegii germ. et hung.*, l. 4, n. 28, pp. 171—172. Romae, 1770.

[2]) In haec verba nos ipsi sacramentum diximus die 22. julii an. 1849, coram rmo. D. Salvatore Valentini, per temporis spatium, quo Societas Jesu ab Urbe exulabat, collegio regendo auctoritate pontificia praefecto (a d. 4. april. 1848 ad d. 15. aug. 1849), qui non ita multo post ad episcopales infulas amerinas promotus pie obiit an. 1856.

[3]) Habetur cum „brevi declaratorio juramenti" in bullar. propag. t. 1, pp. 140 seqq.

perioribus visum fuerit, promoveri: quumque iidem mandaverint, me statim in patriam reversurum: juris civilis ac medicinae studia non professurum; aliamque vitae rationem, praesertim aulicam, non sectaturum: sed continuo, ubi e collegio dimissus fuero, in patriam ad juvandas animas remigraturum, etiam ante constitutum studiis ordinarium terminum, si ita animarum saluti, aut pro collegii commodo superioribus ejus visum fuerit expedire. Collegii autem instituta juxta superiorum interpretationem servaturum, nec a communi vivendi ratione discessurum. Insuper juro, quod ubi in patriam e collegio discedens remigravero, inde, saltem triennio durante a die mei reditus, nullo sub quaesito colore discedam, in Italiam, et multo minus Romam rediturus, nisi de proprii ordinarii in scriptis, et ex causa quadam urgente ibidem expressa, licentia impetranda, et ab eminentissimis hujus collegii pro tempore protectoribus completis studiis exiero, nullam religionem, societatem, aut congregationem regularem, sine speciali Sedis apostolicae licentia vel s. congregationis de propaganda fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Spondeo pariter et juro, quod volente s. congregatione de propag. f. statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros, etiam presbyteratus, ordines, quum superioribus visum fuerit, promovebor.

Item voveo et juro, quod sive religionem ingressus fuero, sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio mei ipsius, meique status, exercitii et loci, ubi moram traxero, s. congregationem de propag. f. certiorabo.

Voveo praeterea et juro, quod jussu praedictae congregationis de propag. f. sine mora in provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam pro salute anima-

ribus[1]) approbanda. Insuper spondeo ac juro, quod dum in collegio permanebo, et postquam ex eo, sive completis, sive incompletis studiis exiero, ante elapsum triennii terminum, sine apostolicae Sedis licentia, vel post triennium sine licentia ee. cardinalium protectorum, nullam religionem, societatem, aut congregationem regularem ingrediar, nec in earum aliqua professionem emittam. Quod si cum licentia praedicta in religionem, societatem, aut congregationem aliquam ingressus fuero, spondeo ac juro, in patriam statim ad juvandas animas me reversurum. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

rum impendam. Quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis licentia religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero et in earum aliqua professionem emisero.

Denique voveo et juro, me praedictum juramentum ejusque obligationem intelligere, et observaturum juxta declarationes factas a s. congregatione de propag. f. et brevi apostolico roboratas sub die 20. julii 1660.

Sic me Deus adjuvet etc.

Juramentum de non amplectendo statu religioso quale sit, ex bonis auctoribus romanis ostenditur.

Julius Cordara, scriptor in excutiendis actis collegii germanici et hungarici probe versatus, in ejusdem laudatissima historia eam in rem haec scribit l. 4, n. 29:

---

[1]) Cardinales protectores collegii eosque patronos merentissimos eo tempore habuimus quatuor em. viros Patrizi, Orioli, Ostini et Vizzardelli: quos quia nullibi laudatos reperimus, ad hunc locum grati animi testandi studio nominamus.

„Priusquam ad alia progrediamur, nolim hoc loco offendatur quispiam eo juramenti capite, quo sibi aditum in ordines religiosos alumni praecludunt, quasi vero injuriosum id statui religioso, et contrarium sanctitati ejus perfectionique sit. Primo enim id ita jurant, ut facile exsolvere se vinculo, quo tenentur, possint, facultatem haud difficulter concedendam rogantes[1]. Rem deinde si intime inspicias, ut alio quocumque, infra episcopalem, statu sanctiora religiosorum omnia instituta sint, at non etiam aliis, reique publicae utiliora sunt omnia. Plus certe publicae prodest rei, qui apostolorum exemplo totum se proximorum saluti devovet, quam qui intra solitaria quaedam claustra se abdit, uni vacaturus sibi, ac suae saluti. Collegii porro hujus institutio, non tam ad privatam alumnorum sanctitatem, quam ad publicam populorum utilitatem spectat, neque id solum voluit Gregorius XIII., ut sancti, sed etiam ut apostolici sacerdotes in hoc collegio efformamarentur. Aequum proinde fuit, ne per speciem boni majoris collegii institutio frustraretur, alumnis statum religiosum inire cupientibus quasdam interponi moras, non ex propria eorum libidine, sed apostolicae Sedis arbitrio removendas. Quare sapienter hoc addi jusjurandum Alexander VII. jussit[2], eaque in re, non tam Gregorii constitutioni derogandum, quam ejus mentem sibi interpretandam censuit".

Quod Cordara hic ait, per juramentum alumnis ab Alexandro PP. VII. praescriptum nullam mutatio-

---

[1]) Quod idem et recentiori testimonio, in quo maxima est auctoritas, plene confirmatum videmus. R. P. rector Steinhuber quippe, vir, si quis alius, rerum collegii experientissimus ejusque historiae studiosissimus, ad fidem actorum publice scribit, per integra tria saecula nunquam evenisse, ut alumno, vitae religiosae cupido, facultas sit denegata, statum religiosum suscipiendi. (Kirchenlexicon, t. 3, p. 629, edit. 2).

[2]) Hoc jurisjurandi caput primo insertum formulae videtur ab Urbano PP. VIII. decreto d. 24. nov. an. 1625; verum propter „breve declaratorium juramenti", ab Alexandro PP. VII. editum d. 20. julii 1660, et in rebus collegiorum pontificiorum tanquam jus vigens citari solitum, huic pontifici passim tribuitur.

nem fuisse ipsi primitivo ac principali instituto collegii allatam, id eo sensu est accipiendum, quod cura animarum, in qua praecipuus collegii finis est positus, nihil detrimenti accipiat, sive alumnorum transitus ad castra religiosa Pontificis consensu sive propria voluntate fiat; in utroque casu enim quod sancte jurarunt, „in patriam statim ad juvandas animas se reversuros", promptu ac lubenti animo servant. Quam in rem in memoriam revocasse juverit, quod alibi jam in interpretatione constitutionis Benedicti PP. XIV. *Ex quo*, editae die 14. januarii an. 1747[1]), latius et uberius probavimus, nimirum ex eo, quod multi clerici saeculares statum religiosum suscipiant, nihil de auxilio animarum diminui, quum religionem professi a sacris ministeriis in salutem proximi exercendis adeo non abstrahantur, ut immo ad ea jugiter praestanda et invitentur et excitentur[2]).

§. 2.

De sacerdotum incardinatione.

„Incardinare, cardinare, cardinalem constituere" proprie est clericum certae ecclesiae addicere, ut ei semper vel praesit vel serviat[3]). Deinde etiam adhibetur incardinationis vocabulum ad significandam canonicam translationem, qua clericus e priori, cui jam addictus erat, ecclesia ad aliam transfertur, ut in ea deserviat[4]).

---

[1]) Eadem haec constitutio pontificia nominatim etiam memoriae Americanorum synodico decreto inculcata legitur in concilio provinciali baltimorensi an. 1829. Cfr. collect. lacen. t. 3, pp. 25—26.

[2]) Cfr. De libertate clericorum religionem ingrediendi, nn. 26—36.

[3]) Inde fiebat, ut „cardinales clerici" olim dicerentur (c. Firmitatem 5. dist. 71), qui ad certam ecclesiam mediante ordinatione constituti eique perpetuo nexu juncti et ita in matriculam ecclesiae relati erant. Relegantur quae idem argumentum tractantes observavimus in priori parte pp. 123 et 203.

[4]) Cfr. C. Pastoralis 42 C. VII. q. 1.

Verum in praesenti rubrica vocabulum a patribus baltimorensibus latiori sensu usurpatur ad denotandum actum, quo clericus alienus, a proprio praelato rite dimissus, clero dioecesano adscribitur, quin ideo jam cardinalis, h. e., fixus atque immobilis rector certae ecclesiae constituatur. In ipso textu rubricae subjecto aptiori voce „incorporatio“ dicitur.

Jus commune, quo disciplina canonicae clericorum translationis ex una in aliam dioecesim regitur, expositum reperies in vulgatis doctorum commentariis tum ad binas decreti distinctiones 72 et 73, tum ad duos decretalium titulos „de clericis peregrinis“ et „de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda“, junctis recentioribus sacrarum Urbis congregationum monumentis, magnam partem relatis in folio periodico „Acta S. Sedis“, v. g. t. 5, pp. 472—479.

Ex iis potiora doctrinae capita haec sunt:

1. Literae excorporationis, „quibus clericus dimittitur, et absolvitur a potestate sui episcopi cum testimonio de vita et ordinibus ipsius“[1]), in jure dicuntur „dimissoriae“, „commendatitiae“, „formatae“; apud auctores etiam vocantur literae dimissoriales, dimissoriae perpetuae, discessuales, et forensi verbo „exeat“.

2. Literas excorporationis concedere non potest capitulum sede vacante, quum sint species quaedam alienationis, generali illo interdicto comprehensae, ne capitulum quidpiam, interregni tempore, innovet, ac de juribus episcopalibus diminuat[2]).

3. Literas excorporationis invito concedi non possunt, quia canones volunt, ut eas episcopus non det, nisi instanter rogatus ab ipso, qui eas habere desiderat et postulat[3]).

---

[1]) Ita literas excorporationis describit gl ad c. Fraternitati 5. X. de clericis non resid. v. commendatitiis.

[2]) Cfr. tit. Ne sede vacante aliquid innovetur.

[3]) C. Episcopus 1. dist. 72, jct. gl.

4. Literae excorporationis clericis dioecesim mutare volentibus regulariter denegari non possunt[1]), nisi habeant in titulum beneficia, quae residentiam requirant.

5. Literae excorporationis clericis absolute etiam concessae vim atque exitum non habent, nisi postquam dimissi certo ac semper mansuro decreto incardinationis seu admissionis in novam dioecesim fuerint recepti[2]): qua incorporatione rite peracta, et dimittenti episcopo debite significata, demum ex catalogo clericorum prioris dioecesis censentur expuncti et in matriculam cleri novae dioecesis relati. Hac ratione sufficienter cautum est, „ne ovis quasi perdita inveniatur“[3]); praesertim si decreta priorum synodorum et variae instructiones romanae in iisdem propositae serventur, quibus prohibitum est, ne clerico literae dimissoriae dentur, nisi certo constet, eum ab alio episcopo fore admittendum[4]).

6. Cerici e religioso instituto legitime egressi non subjiciuntur episcopo dioecesis, in qua sita est domus, cui adscripti sunt, sed vero illi ordinario, cui obnoxii erant antequam religiosum institutum amplecterentur, h. e., episcopo originis vel domicilii[5]).

---

[1]) Propter penuriam sacerdotum eas episcopus denegare posset, „si paratus esset, sacerdoti congruum assignare officium et stipendium“. Cfr. Acta S. Sedis t. 5, p. 479.

[2]) Ea de re legi meretur commentarius Doctoris Bouix: *De l'exeat ou des conditions requises pour qu'un ecclésiastique soit excorporé d'un diocèse et incorporé dans un autre* (Revue des sciences ecclésiastiques, t. 5, pp. 27—41, (1862, I): quem D. Oberkamp in germanicum idioma versum et notis illustratum vulgavit in „Archiv für kathol. Kirchenrecht“, t. 39 (1876, I), pp. 389—395 sub titulo: „*Wann bewirken literae dimissoriae ad quemcunque episcopum die Excorporation aus einem Sprengel*“.

[3]) Id patres baltimorenses ex c. 1. dist. 72 enotant.

[4]) Concil. plen. baltim. II. an. 1866, n. 122. Cfr. coll. lacen., t. 3, p. 432.

[5]) Cfr. Acta S. Sedis, t. 1, p. 366.

7. Clerici religiosi, qui adhuc in professione votorum simplicium constituti ex speciali indulto Sedis apostolicae ordines majores acceperunt, si postea ab ordine dimissi fuerint vel dispensationem a votis simplicibus obtinuerint, „suspensi manent a susceptorum ordinum exercitio, donec sibi sacrum patrimonium constituerint"[1]).

Simile huic est, quod de ejectis ex ordine statutum legitur anno 1624, ut nempe ejusmodi extorres, quousque extra religionem maneant, ab exercitio ordinum in religione susceptorum sint perpetuo suspensi, sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi[2]).

8. Religiosi solemniter professi, qui vel a Summo Pontifice sunt saecularizati, vel ordine canonice exstincto existunt superstites, solemnibus suis religionis votis perpetuo manent ligati[3]). Hinc fit, ut episcopo loci ordinario etiam in vim voti obedientiae sint subjecti[4]).

9. Clerici ab episcopis suis per literas excorporationis dimissi, et „in aliis ecclesiis, ubi non sunt satis cogniti, recipi postulantes, aliquanto tempore in suspensione haberi debent", ut plena de eorum conversatione informatio capiatur[5]).

---

[1]) Ita clausulam indulto pontificio adjici solitam referunt decreta romana in „Archiv für kath. Kirchenrecht", t. 17, pp. 71—72. — In rescripto s. congregationis super statu regularium ad abbatem einsiedlensem, praesidem congregationis helveto-benedictinae, in Helvetia, dato die 30. novemb. an. 1857 sic concepta est: „ea tamen lege, ut si ab ordine dimittantur, a celebratione sacrosancti missae sacrificii suspensi remaneant, donec de congruo patrimonio ad praescriptum ss. canonum provideantur".

[2]) Cfr. Benedict. PP. XIV., *De synod. dioec.*, l. 13, c. 11, nn. 20—21.

[3]) Videantur, quae de eorum conditione scripsimus in *Disput. academ.*, pp. 15—16.

[4]) Cfr. Aichner, *Compend. juris eccl.*, p. 460.

[5]) Cfr. c. Tua nos 1, et c. Inter quatuor 2. X. de cleric. peregrin. jcta. gl.

Quibus principiis rite intellectis, sapienter omnino atque ad normam juris statuta lector comperiet, quaecunque synodus nostra decrevit sive generali sanctione circa alienos sacerdotes non ante exactum probationis triennium[1]) incorporandos (nn. 62—64), sive speciali lege circa cautiones in eorum cooptatione adhibendas, qui ex institutis religiosis egressi in catalogum cleri dioecesani referri cupiunt (nn. 65—66), sive solemni declaratione circa vim ac rationem ipsius incorporationis legitime peractae (n. 67), sive tandem synodali adhortatione circa rectam conceptionem et scriptionem formularum in gravi hoc excorporationis et incardinationis negotio adhibendarum (n. 68).

Non est nobis in singulis decreti partibus immorandum; quemadmodum enim, teste glossa ad distinctionem 72, a concilio plenario laudatam, „omnes casus ibidem relati plani sunt“, ita etiam leges Baltimorae de praesenti argumento conditae omnes perspicuae sunt atque ad intelligendum apertae: praesertim si ad pauca, quae ex jure praemisimus, principia revocentur.

§. 3.

De sacerdotibus infirmis.

Si ecclesia magnam sibi semper curam assumpsit personarum miserabilium, quae aliena ope indigerent, ante omnia tamen in assidua sollicitudine erat de clericis in sua afflictione fovendis ac recreandis. Hac cogitatione inducti patres baltimorenses praesenti decreto diligenter prospectum esse voluerunt vitae, saluti, dignitati illorum presbyterorum, qui vires laboresque suos in salute animarum procuranda consumpsissent.

---

[1]) Circa sacerdotes, qui jam tempore concilii plenarii „per plures annos in alienis dioecesibus morabantur“, s. congregatio de propaganda fide in rescripto ad episcopum Sinus viridis (Green Bay) dato die 17. aprilis 1888 declaravit, „initium triennii vel quinquennii probationis incipere a die promulgationis concilii tertii plenarii baltimorensis, peractae a reverendissimo delegato apostolico“.

Post gravem harengam clero dioecesano normas ad usum accommodatas distincte proponunt, quibus adjumenta aegrotis curandis senibusque sustentandis necessaria comparentur, sive communi sacerdotum aerario, juvantibus parochianis creato, quo opis indigentes generatim subleventur, sive propria mutui subsidii societate constituta, qua speciatim socii rerum inopia pressi sustententur. Et ita quidem patres magnis illis incommodis, quae a defectu canonici tituli patrimonii vel pensionis necessario profluere jam diximus p. 100, utcunque mederi student.

In nostris provinciis sacerdotes, qui infirmitate aut senio laborant, necessaria vitae subsidia habent a beneficio, vel, si eo careant, a titulo patrimonii aut pensionis, sive haec constituta sit in forma tituli mensae, sive assignata ad fundum seminarii, sive generatim promissa ex bonis temporalibus dioeceseos[1]); in omni casu enim clerici beneficio destituti, propter morbum aut senectutem auxilii indigentes, ex canonico suo ornationis titulo accipiunt, quod suppetat ad decentem ipsorum tuitionem. Saepe etiam in apta et convenienti „domo emeritorum" seu „bene meritorum" sacerdotes, muneri ecclesiastico obeundo impares, exigua pecunia ex sua pensione soluta decentem victum et cultum sibi quaerunt, immo et gratuitum obtinent.

Circa titulum mensae, apud nos dari solitum, nominatim observandum est, eum saepe ita constitutum reperiri, ut ad solum casum inhabilitatis ad servitium ecclesiasticum sit restrictus; in Austria immo, siquidem fuerit a gubernio e fundo religionis concessus, tantum pro ea inhabilitate valet, quae citra culpam sacerdotis acciderit: qui modus licet titulum adeo coerceat, ut

---

[1]) Titulos dioeceseos (in Hungaria), seminarii (Salisburgi) aliosque similes ad canonicum pensionis titulum referri, in priori commentarii parte animadversum est p. 204.

ejus naturam tantum non evertat[1]), ab ecclesia tamen admittitur[2]), quod presbyteros morbis afflictos aut senectute confectos ab inopia tutos reddat. Caeteri sacerdotes, ad eundem titulum mensae in imperio austriaco ordinati, semper ad servitia in ecclesia praestanda deputantur, unde necessaria ad vitam honeste transigendam accipiunt.

Quae praeterea ad praestationes ex ordinationis titulo debitas spectant, in priori commentarii parte declarata videantur pp. 203—206.

§. 4.

De sacerdotibus lapsis.

Quae propter defectum tituli patrimonii aut pensionis misera et tristis est sors illorum clericorum, qui vel senio fessi vel morbo fracti necessario vitae subsidio nudati sunt: ea multo acerbior multoque infortunatior iis obtingit, quos rubrica praesentis § propter vitam a sacerdotis dignitate alienam simpliciter „lapsos“ appellat. Miserorum calamitatem patres baltimorenses verbis ad movendum compositis depingunt, miserisque afflictam conditionem paterne lenituri, remedia quaerunt, quibus infelices adjuti quomodocunque e malis emergant. „Ex s. congregationis de propaganda fide consulto in primis enixe commendant“, ut „domus demeritorum“ instituantur, ubi sacerdotibus lapsis provideatur. Si vero id fieri nequeat, episcopis altero loco injungunt, ut tales sacerdotes in aliquos domos religiosas recipiendos curent. Utrumque remedium sacris canonibus reperitur probatum, ex ecclesiae mente eo

---

1) Stipulationem praestationis alimentorum arctis istis limitibus restrictam non sufficere ad canonicum titulum ad mentem concilii tridentini constituendum, pluribus ostendit Phillips, *Kirchenrecht*, t. 1, §. 58, pp. 628—632.

2) Id quomodo fieri possit, breviter explicat Aichner, *Compend. jur. eccl.*, p. 219.

spectans, ut miseri emendentur et ad bonam frugem redeant.

„Detrusio in monasterium", quam vocant, in corpore juris saepe legitur decreta, emendandae vitae causa. Criminosos, ita Innocentius PP. III. scribit archiepiscopo senonensi an. 1199 „ad agendam poenitentiam in arctum monasterium detrudere non omittas"[1]). Quod idem longe ante s. Gregorius Magnus praeceperat episcopo calaritano an. 593 his usus verbis: clericus „in iniquitate repertus, a suo remotus officio, pro suis continuo lugendis excessibus in monasterium detrudatur"; quod et de monacha criminis rea intelligi vult, ut nimirum „in aliud districtius monasterium in poenitentia redacta, illic orationibus ac jejuniis vacet, et sic poenitendo proficiat, et metuendum caeteris arctioris disciplinae praestet exemplum"[2]).

Recentiores „domus demeritorum" similitudinem antiquorum carcerum ecclesiasticorum prae se ferunt, qui in loco aliquo ecclesiastico vel ecclesiae proximo, custodiae clericorum criminosorum congruo, erant constituti, ut ibidem noxii „juxta censuram canonicam" detinerentur et emendarentur. Qui „carceres canonicalis disciplinae" in fontibus juris[3]) varie nuncupantur, ut ecce: decanica, decanonica, diaconica, decaneta; videnturque initio fuisse loca ecclesiae juncta, similia capitulis seu conclavibus illis, in quibus conventus communes celebrantur, capitula regulae exponuntur, et capitulares factae culpae confessione absolvuntur[4]).

Alia de decanicis dant Du Cange sub vv. carcer, decanicum; et Svicerus in *thesauro eccles.* sub δεκανικόν.

---

1) C. Inter sollicitudines 10. X. de purgat. canon.

2) C. Si qua 28. C. 27. q. 1.

3) V. g. Cod. de haeret. l. 3 (lib. 1, tit. 5); Nov. 79, c. 3.

4) Ob hanc culparum expiationem in capitulo concessam scribit Helinandus monachus: „ibi perdit diabolus, quidquid alibi lucratur; ibi Deo restaurat obedientia, quidquid alibi subtraxit vel contemptus vel negligentia". (Apud Du Cange sub v. capitulum).

Plerisque monasteriis, in quae clerici criminosi poenitentiae causa detrudi potuissent, recentiori aetate per vim suppressis, ecclesia in ineundis concordatis id agere studuit, ut gubernia civilia, quae in bona exstinctorum ordinum religiosorum invaserunt, domus demeritorum in antiquis conventibus fundarent, in quibus sacerdotes lapsi, in districtam custodiam redacti et sub idoneo directore ecclesiastico informati, se ad bonam frugem reciperent. Ejus rei exempla haec sunt:

In bulla circumscriptionis dioecesium borussiacarum „De salute animarum“, edita die 16. julii 1821, statuitur n. 56: „Et quoniam serenissimus Borussiae rex ultro Nobis pollicitus est, se non modo domos illas tam ad alendos emeritos senes vel infirmos sacerdotes, quam ad coercendos ecclesiasticos discolos, ubi existunt, conservaturum, sed etiam novas, ubi desunt, constabiliturum, propterea ipsi (executori literarum apostolicarum) committimus, ut cognitis iis, quae de hac re statuerit praelaudatus rex, auditisque respectivis locorum ordinariis, sub quorum jurisdictione hujusmodi domus manere debebunt, omnia quae opus erunt, circa memoratas domos earumque congruam dotationem disponat“[1]).

Similia habentur in bulla circumscriptionis dioecesium provinciae ecclesiasticae superioris Rheni „Provida solersque“, edita die 16. augusti an. 1821, tum pro archidioecesi friburgensi n. 13, circa „domos ecclesiasticorum emeritorum et demeritorum vel jam existentes vel erigendas“[2]), tum pro dioecesi moguntina n. 14[3]).

In Austria tandem accuratae ac meditatae normae per varia decreta aulica sunt propositae et ab ecclesia

---

[1]) Cfr. Walter, *Fontes juris ecclesiastici,* pp. 258—259.
[2]) Ibid. p. 328.
[3]) Ibid. p. 330.

admissae, quibus „ecclesiasticae domus correctoriae“ reguntur, quemadmodum indicatis fontibus ostendit Helfert, *Rechte der Bischöfe*, §. 92.

Sed pauca ista, quae circa disciplinam coercitivam et poenitentialem breviter animadvertimus, satis ostendunt, decreta baltimorensia de juvandis et emendandis sacerdotibus lapsis esse sacris canonibus conjuncta, patresque his statutis novum gressum fecisse, quo „disciplina americana etiam hac in re ecclesiae universae disciplinae conformaretur“.

Ad extremum juverit adscripto exemplo docere, quomodo salutaria ista decreta, communi aerario ad adjuncta americana accommodata creato, ad usum transferantur. Haec igitur de sacerdotibus opis indigentibus decrevit novissima synodus dioecesana leavenworthensis anni 1887, c. 7, §. 7, n. 79: „Quem in finem (ad subsidia pro decenti sacerdotum opis indigentium sustentione procuranda) statuimus, ut, quamdiu necesse erit, sacerdotes saeculares et curam animarum exercentes, ex reditibus annuis salarii, jurium stolae, missarum cantatarum et collectae in natalitiis D. N. J. Ch. unum dollarium per centum annuatim solvant. Missiones sub cura sacerdotum saecularium unum dollarium per centum ex reditibus annuis per singulos annos contribuant. . . . Totius administratio operis ab officialibus ab ordinario deputatis peragetur“. Propositis deinde regulis, ad quas subsidia ex hac „gaza pro sacerdotibus infirmis“ exigi debent, ita pergit §. 8 „de sacerdotibus lapsis“ n. 82. „Sacerdotes, qui ob suam culpam a sacris arceantur functionibus, non possunt titulo justitiae ab episcopo exigere, ut eorum temporali necessitati provideat (c. plen. II. 77); attamen quo efficacius aberrantes in semitam rectam reducantur, haec, quae sequentur, statuimus: Sacerdotes lapsos, qui spem fundatam conversionis exhibent, pro viribus satagemus, ut in domos religiosas seu monasteria recipiantur, ubi pro tempore

ab episcopo statuendo vitam poenitentiae degant. Eleemosynae pro eorum sustentatione ex gaza pro sacerdotibus infirmis domui religiosae solvantur".

In aliis dioecesibus eidem fini obtinendo insistitur constitutis associationibus mutui subsidii[1]), quas priora concilia provincialia sacerdotibus jam enixe commendarant[2]).

Caput VIII.

De vita et honestate clericorum.

Rationem ordinis capitulorum in introitu tituli breviter indicavimus. Praesens caput quippe, ut nostra fert opinio, mediam hanc sedem inter clericos saeculares et regulares obtinuit, quod ejus materia ad utrosque spectet.

Qui huc pertinent canones, per varios juris titulos sparsi reperiuntur. Ex iis duo tamen prae caeteris sunt attendendi, primus atque ultimus libri 3. decretalium. Ille quidem ipsis nostrae rubricae verbis conceptus legitur „de vita et honestate clericorum"; hic vero expressum interdictum continet, „ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant".

Compositio verborum praesentis rubricae „de vita et honestate clericorum" duplici ratione exponi potest. Primo enim particula „et" inter duo substantiva posita saepe alterutri tribuit vim adjectivi; estque ejusmodi loquendi modus figura ἓν διὰ δυοῖν, qua latini et in prosa utuntur: unum per duo nomina exprimendo seu in duo dividendo. Sic Virgil. *Georg.* 2, 192 scribit „pateris libamus et auro", h. e., pateris aureis; et Cicero, *Tusc.* 3, 8. „hunc sertis redimiri jubebis et

---

[1]) Cfr. synod. dioeces. buffalen. an. 1886, c. 16; synod. dioeces. novarcen. an. 1886, c. 1, n. 23.

[2]) Cfr. concil. provinc. neo-eboracen. an. 1883, c. 5, art. 5.

rosa", h. e., sertis roseis[1]). Unde „vita et honestas clericorum" ipsa est „vita honesta" clericorum, quum „ambo in unum resolvantur sitque unum velut adjectio alterius"[2]). — Verum haec interpretatio constructionis minus arridet auctori glossae ad h. t., quod, ea probata, particula „et" fere superflua videretur; in jure autem receptum est axioma, „ne ullam syllabam quidem superfluam aut vacuam dici posse"[3]). Statuit ergo, per dictionem copulativam „et" duo diversa conjungi, quorum unum non insit in altero. „Dic, inquit, quod verbum „vita" concernit necessaria ad victum clericorum, verbum autem „honestatis" concernit ipsos respectu morum; et sic nihil superfluit". Ejus opinione igitur in hac rubrica „vita" sumitur pro alimento et cultu, h. e., pro externa vivendi ratione et apparatu earum rerum, quae ad vitam victumque pertinent, quae sunt aedes, cibaria, vestitus, servitia, impensae; „honestas autem ponitur pro bonis moribus", quibus clerici „prae caeteris fulgere debent", ut idem glossator ad titulum nostrum observat.

Ex duabus istis explicationibus eam sibi lector eligat, quam prae altera assensione dignam judicat.

Et ista quidem de verborum ordine et conjunctione.

Interpretationem rubricae quod spectat, canones expresse monent, in hoc argumenti genere tractando initium esse ab ipsa vocabulorum explanatione sumendum, indeque transeundum ad varia honestatis clericalis capita rationibus, ex ipsa nominum definitione erutis, accuratius illustranda[4]).

---

[1]) Alia ad rem spectantia dedimus in opere „*de rationibus festorum utriusque SS. Cordis*", t. 1, p. 339, edit. 5.

[2]) Ita Gutier. *Pract. quaest.*, l. 3, 14, n. 61.

[3]) Recolantur, quae in hoc axioma animadvertimus in priori parte, p. 63.

[4]) C. Clericus, mox afferendus.

De notione honestatis.

„Honestas“ patet esse abstractum ab „honestus“, honestus vero adjectivum ab „honor“.

„Honor“ sive „honos“ est observantia, quam alicui exhibemus in testimonium virtutis, meritorum, ingenii. In jure saepe denotat reverentiam alicui praestandam ob praerogativam quandam ex vitae morumque probitate et quandoque ex fortuna causatam; identidem etiam accipitur pro decore, dignitate, amplitudine: quibus rebus persona in insigniori gradu posita fulget[1]).

„Honestus“ proprie est honore, dignitate, decore plenus. Ad morum probitatem et ad moderationem translatum de iis omnibus dicitur, quae, quoniam cum virtute fiunt, honorem merentur. In jure praesertim honestum ponitur pro eo, quod non modo licet, sed quod decorum, dignitati conveniens honorique congruum reperitur; nec enim omne quod licet, honestum est[2])

„Honestatem“ s. Isidorus, argumento ab allusione desumpto, „honoris statum“ interpretatur[3]), h. e., honorem stantem, laudem perpetuam, ex dignitate ac rebus cum congruenti decore gestis provenientem.

Dicitur autem „cum convenienti decore“ respectu habito ad statum personae et conditionem rerum sive adjuncta locorum; pro omni ordinum genere quippe propria disciplina est certis legibus justi ac decori statuta; aliud enim decet virum, aliud foeminam; aliud regem, aliud subditum; aliud clericum, aliud laicum. Imo judicium de congruenti decore unius ejusdemque

---

[1]) Cfr. Vicat, *Vocabularium juris utriusque* v. honor.

[2]) Id. v. honestum.

[3]) *Etymolog.* l. 10, n. 117; apud Migne, Patr. lat., tom. 82, p. 379. Eodem sensu Lactantius, *Divin. Institut.*, l. 3, c. 8, honestatem „honorem perpetuum“ definit. Ibid. t. 6, p. 370.

actionis earundem personarum pro diversitate locorum multum a consuetudine regionis atque ab opinione hominum pendet; ut adeo quod v. g. viro ecclesiastico, optimi cujusque sententia, uno in loco congruit, id alibi eum decere non censeatur, licet nulli legi scriptae adversetur.

In jure „honestatis" nomine saepe intelligitur id, quod honestum, decorum, juxta praescriptum rationis est. Ex disciplina matrimoniali norunt omnes impedimentum „honestatis ecclesiae"[1]) seu „justitiae publicae honestatis"[2]), quod ex antiquo jure civili in legislationem ecclesiasticam transiit[3]). Eam honestatem glossa simpliciter „publice honestum" vocat[4]); et matrimonium cum infractione talis honestatis initum declaratur „inhonestum"[5]), utpote contra reverentiam certis personis debitam contractum. Atque eadem ratione personae dicuntur „honestate" praeditae, quae nullo unquam probro se commaculaverunt; et familiae „honestate" gaudentes, quae nulla turpidinis nota laborant[6]). Et ita generatim honestas ponitur pro re honesta, decora, laude digna, utpote quae conditioni ac dignitati personae conveniat.

Quibus ita declaratis, statui potest, in praesenti rubrica honestatis vocabulo omne id intelligi, quod clericis juxta sacros canones congruat. Proprias ejus rationes autem ex ipsa definitione nominis clerici jubemur eruere.

---

[1]) Ita vocatur c. Juvenis 3. X. de sponsal. et matrim.

[2]) Recepta hac appellatione effertur c. Duo pueri 12. X. de desponsat. impub.; et c. Ex sponsalibus un. X. de sponsal. et matrim.

[3]) Cfr. Devoti, *Instit. can.* l. 2, §. 139.

[4]) Ad c. Ex sponsalibus cit.

[5]) C. Accessit 5. X. de desponsat. impub.

[6]) Cfr. Reiffenstuel, *De dispensatione*, n. 108 (Append. ad lib. 4).

De notatione nominis clerici.

„Clericus, qui Christi servit ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, sors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars clericorum est[1]). Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et (ipse) possideatur a Domino. Qui Dominum possidet et cum propheta dicit: pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus; verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem; cum istis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur[2]). Si autem ego pars Domini sum et funiculus haereditatis ejus, nec accipio partem inter caeteras tribus, sed quasi levita et sacerdos vivo de decimis, et altari serviens altaris oblatione sustentor. Habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar“[3]).

Similiter „ipsa nominis ratione persuadetur, clericis jus competere vivendi de patrimonio Christi. Quum enim a κλῆρος, quod est sors vel haereditas, clerici appellentur, quia in sui ordinatione vel assumuntur in haereditatem Domini, vel assequuntur haereditatem in ipso, ut vere possint psallere cum propheta dicente: Dominus pars haereditatis meae: dig-

---

[1]) Similia ex origine et ratione nominis „clerici“ habentur c. Cleros 1. dist. 21; c. Statuimus 4. dist. 4; c. Duo sunt 7. C. 12, q. 1.

[2]) Quae eadem, aliis licet verbis, infert s. Ambrosius, relatus c. Cui portio 6. C. 12, q. 1. „Cui portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atque huic nostro officio decerpitur“.

[3]) C. Clericus 5. C. 12. q. 1.

num est, ut ecclesiae stipendiis sustententur, in qua et per quam divinis obsequiis adscribuntur"[1]).

Honestas clericorum ergo ea omnia complectitur, quae juxta sacros canones iis congruunt, qui de sorte Domini sunt et ipsum Dominum in sortem seu portionem habent.

De ipsa honestate clericorum.

Duplex distinguitur honestas: interna, quae in interno coelestium virtutum exercitio est posita; et externa, qua clerici coram hominibus „pollere" debent.

Internam canones passim vocant „puritatem vitae" et „nitorem conscientiae"; externam vero „testimonium bonae famae" et „non vacillantem morum opinionem"[2]).

Utraque honestate, interna et externa, „splendere" debent clerici. Rem sancti ecclesiae patres, in codice canonum relati, praecipue inde probant, quod quum clericus intercessor ac conciliator inter Deum et homines existat, utrique parti debeat esse persona grata; Deo per cordis munditiam, hominibus per odorem bonae famae. Ex multis testimoniis duo tantum enotamus, alterum ex s. Augustino, alterum ex s. Gregorio Magno.

„Nolo, inquit s. Augustinus, ut aliquis de vobis inveniat male vivendi occasionem. Providemus enim bona, ut ait apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Propter nos conscientia nostra sufficit nobis; propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi atque distinguite. Duae res sunt conscientia et fama. Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est"[3]).

---

[1]) Quum secundum 16. X. de praebend.

[2]) Videantur praeter alia c. Quum venisset un. X. de sacra unctione; et c. Execrabilis de praebend. et dignit., quae decretalis bis occurrit, in extrav. Joan. XXII. et in extrav. com.

[3]) C. Nolo 10. C. 12, q. 1. — Eadem ut alibi saepe, ita nominatim

Expressiora adhuc sunt, quae de ratione mediatoris ac sequestri codex noster semel atque iterum dat ex s. Gregorio M.

„Qui intercessores pro populo ad Deum parantur, ita scribit Gratianus, necesse est, ut ejus gratiam bene vivendo mereantur.“ Unde Gregorius ait in pastorali[1]): „Sollicite formidandum, ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido novimus, quia, quum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur[2]); ... nec is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum“[3]).

Quae patrum doctrina pluribus illustrat Innocentius PP. III. c. Quum venisset un. X. de sacra unctione, ubi Graecos „mysticam rationem chrismatis“, ex oleo et balsamo confecti, quo episcopi unguntur, accuratius docens „Per oleum, inquit, nitor conscientiae designatur; per balsamum odor famae. Hoc chrismate ungi debet episcopus, ut et interius nitorem conscientiae quantum ad Deum, et exterius habeat odorem famae quoad proximum“[4]).

Referri etiam ad hunc locum possunt, quae superius attulimus p. 32 de pabulo boni exempli, quod sacerdotes ovibus sibi concreditis integrum praebere debent.

Decreta baltimorensia de vita et honestate clericorum.

Concilium tridentinum[5]) secuti, patres baltimorenses exordii loco priora decreta synodica de vita et hone-

---

pluries repetuntur in gl. ad extrav. Execrabilis cit. „Ista duo, scilicet nitor conscientiae quantum ad Dominum, et odor famae, quoad proximum, sunt necessaria. ... Unde in odore bonae famae potius quam in fama est delectandum. Etenim bona fama multum cooperari dicitur, praesumptionem magnam in bonum inducit, et praeferenda est ejus reservatio quantiscunque divitiis: unde crudelis dicitur, qui eam negligit“.

[1]) Part. 1, c. 11. [2]) Haec repetuntur c. In gravioribus 5. C. 3, q. 7.

[3]) Dist. 49, dict. Gratian.

[4]) C. Quum venisset un. X. de sacra unctione cit.

[5]) Sess. 22, c. 1, de reformat.

state clericorum innovant „totique clero, ut ea saepe saepiusque animo profunde recolant“, serio commendant n. 74.

Exinde ad honestatem internam progressi, duobus sequentibus numeris decreta condunt, quibus clerici in duplici virtutum genere acquirendo et exercendo juventur, intellectus scilicet ac voluntatis: quae duae supremae potentiae idoneum fundamentum bipartitae virtutum divisionis praebent. Ad comparandas exercendasque virtutes voluntatis pertinet lex de spiritualibus exercitiis, quotannis vel saltem singulis bienniis peragendis (n. 75). Ad virtutes intellectus referuntur varia praescripta de colendis disciplinis sacris ac profanis, in quibus nominatim tres efferuntur, philosophia, historia, physica, quae nostro praesertim tempore cognitione dignissimae sint ac tales, in quibus versari etiam clericos deceat (n. 76).

Quod patres maxime dolent, „reperiri clericos, qui omne fere otium legendis ephemeribus et diariis, romanensibus aliisque nugatoriis libellis impendant“, id enimvero in eos non cadit, qui in bona aliqua facultate theologica juxta rectam studendi methodum ad literas sacras et mores ecclesiastico viro dignos rite sunt informati; ii namque tanto cognitionis et scientiae amore incensi ex instituto egrediuntur, ut etiam medias inter curas pastorales progressus in literis et sapientia cupidi maneant. Sic, ut testimonio aliquo domestico rem confirmemus, vix erit reperire juvenem sacerdotem americanum, disciplinis theologicis ac morum honestate ad leges oenipontani hujus convictus theologorum probe excultum, cui non velut ingenerata sit discendi cupiditas cum assiduitate studii conjuncta, „omne, quod persolutis laudibus divinis et sacri muneris officiis superest, tempus ad literas conferendi“.

Reliquos octo numeros capitis synodus plenaria statutis ac monitis circa „honestatem externam“ com-

plet. Nostrum erit, praecipuos canones indicare, quibus acta nituntur.

Ad tria illa capita, quae honestas externa clericorum ex jure communi complectitur[1]), revocari possunt, quae concilium plenarium, variis his numeris decrevit: ad morum et conversationis integritatem, ad decentiam habitus externam, ad exercitium munerum atque officiorum statui clericali congruentium.

De morum et conversationis integritate, seu de candore ecclesiasticae puritatis.

„Clerici“, inquit Innocentius PP. III., „dormire debent a vitiis[2]), ut sint pennae columbae deargentatae[3]), ne quid appareat in illis, quod obfuscet candorem ecclesiasticae puritatis“[4]).

Candor iste puritatis in tribus maxime consistit; primo enim exposcit, ut clerici „non solum continenter et caste vivere studeant universi“[5]), sed etiam ita caute, ut extra omnem suspicionem incontinentiae et intemperantis animi sint. — Hinc severum interdictum, „ne clericus fabuletur et aliquo modo conversetur cum foemina incontinentiae suspecta; ne solus ad foeminae tabernaculum accedat; ne foemina minus probata in domo ejus moretur: quatenus nempe, ejusmodi cautionibus adhibitis, omnis nefanda suspicio excludatur“[6]). — Cujus candoris puritatis ecclesiasticae studiosi, patres baltimorenses, „cohabitationem clericorum et mulierum“ ad mentem horum canonum diligenter exactam volunt n. 81.

---

[1]) Cfr. Schmalzgrueber, h. t. n. 20.

[2]) H. e., debent esse mortui vitiis.

[3]) Splendori argenti, quo columbae nitent, opponitur nigredo vitiorum, quae corvis est propria, quemadmodum multis exequitur gl. ad c. Non omnis 30. C. 2, q. 7. v. corvi.

[4]) C. Quum ab omni 10. h. t., p. dec.

[5]) C. Ut clericorum 13. X. h. t.

[6]) C Si quisquam 2. X. de cohabit. cleric. jctis. cc. dist. 81.

Altero loco candor puritatis exigit, ut „a crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, quum et mentis inducat exilium et libidinis provocet incentivum"[1]).

„Crapula", inquit gl. ad h. l., dicitur quantum ad superfluitatem ciborum, et vocatur crapula quasi cruda epula", h. e., superfluitas epularum, quae cruditatem sive molestias stomachi ex mala nimiorum ciborum concoctione creat[2]).

„Ebrietas", ita pergit gl., est quantum ad potum; et dicitur ebrietas ab e, quod est sine, et bria, quod est mensura. Unde ebrius est, qui sine mensura bibit"[3]), h. e., nimio vini potu alienatus, temulentus.

Utrumque vitium, crapulam et ebrietatem, clerici maxime eā de causa fugere ceu pestem et ordinis sui infamiam debent, quod, monentibus sacris canonibus, vita intemperans mentis aciem hebetet ac libidinem incendat[4]). Inde est, quod patres baltimorenses „crapulam et ebrietatem, omnium vitiorum fomitem ac nutricem"[5]), extirpare conarentur idoneis monitis propositis heic n. 80, et inferius tit. 9, §. 3, ubi „societates ad temperantiam promovendam" commendant.

Candori puritatis ecclesiasticae tandem canones voluerunt consultum, universali lege condita, „ne clerici edendi aut bibendi causa tabernas ingrediantur, nisi itineris necessitate compulsi": flagitii occasione,

---

[1]) C. A crapula 14. X. h. t. jcto. c. Ante omnia 9. dist. 35.

[2]) Crapula proprie est vibrans dolor capitis ex nimio vini potu, graece κραιπάλη, ἀπὸ τοῦ τὸ κάρα πάλλειν; ex nimio vino quippe titubatio, vertigo, gravedo capitis oritur. — Verum hoc canone sumitur pro immoderato pastu, h. e., pro vitio, quo se homines plus aequo voraces cibis immodicis ingurgitant.

[3]) Alii verbum ebriare volunt esse ab e et bibo, per syncopen, inserta canina litera r, quasi bibendo exhaurire; alii vocem aliunde repetunt.

[4]) Alios deplorandos crapulae et ebrietatis effectus ex eo eruit gl., quod intemperantia, ut multorum aliorum malorum causa existit, ita nominatim sanitati hostis sit ac mortem maturare soleat.

[5]) Sic intemperantia vocatur cit. c. Ante omnia.

quae in cauponis et tabernis deesse non solet, ipsis adempta, quemadmodum rationem hujus interdicti synodus nostra recte explicat.

Ex antiquo jure, praeter alios canones distinctionis 44, huc facit sanctio concilii carthaginensis 3, circa annum 397 celebrati, quae legitur sub n. 4, „clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi“[1]).

Ex jure decretalium memorandum est generale ecclesiae interdictum concilii generalis lateranensis 4, anni 1216, quod exhibetur c. Clerici 15. X. h. t., „Clerici tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti“.

Taberna, a tabula[2]) vel a trabena, per metathesin, factum, universim significat aedificium, quod habitari potest; speciatim vero locum, ubi merces venduntur, et nominatim „domum, in qua panis, vinum, carnes coctae venduntur“[3]). Hinc „tabernarius, qui talia loca tenet“[4]); „tabernaria“ seu „tabernagium“ tributum, quod pro facultate vinum distrahendi solvitur; „tabernare“ vinum, cerevisiam, aliaque potulenta singulatim vendere[5]).

Spectato fine legis, synodi recentiores tabernam definiunt esse omnem locum, in quo publice adventantibus vinum aliaque potulenta, in deversoriis distrahi solita, venduntur. „Tabernarum nomine, inquit synodus leodiensis, intelligitur proprie omnis locus, in quo publice, quacunque diei hora, adventantibus vinum, vinum adustum, cerevisia, cafoea etc. venduntur“[6]). — Quam eandem definitionem tantisper contractam syno-

---

[1]) Nota, inquit gl., quod permittitur viatori, quod alii non permittitur.

[2]) Cfr. c. Dioecesanis 1. h. t. Clem.

[3]) Ita gl. ad c. Dioecesanis cit. v. tabernariorum.

[4]) Ibid.

[5]) De variis vocabulis adductis videatur Du Cange, l. c. sub v. taberna.

[6]) Cap. 3, art. 2.

dus kansanopolitana jam adducta ita reddit: „tabernarum nomine intelligitur omnis locus, in quo publice adventantibus potus inebriantes venduntur"[1]. — Ex decreto concilii provincialis cincinnatensis tertii tabernis etiam accensentur horti publici, divendendis liquoribus destinati[2]; et juxta statutum novissimae synodi dioecesanae cincinnatensis, interdictum de vitandis tabernis etiam ad loca cum domibus publico potui servientibus (saloons) conjuncta extenditur[3].

Dici vix potest, quanta cum sollicitudine curatum per synodos particulares sit, ut lex de vitandis tabernis clericis explicaretur atque inculcaretur. Decreta conciliorum provincialium, quibus observatio hujus legis etiam atque etiam commendatur, magno numero exstant in collectione lacensi, quapropter ea silentio praeterimus[4].

Ex statutis dioecesanis autem, quae minus nota esse solent, unum alterumve caput in exemplum afferemus, quo lector videat, quanta contentione episcopi, disciplinae ecclesiasticae studiosi, laboraverint, ut clerus dioecesanus commune jus servaret.

Statuta synodi dioecesanae leodiensis, ab episcopo van Bommel († 1852) semel atque iterum probata, inter alia haec habent: „Ut saluberrima juris communis lex eo accuratius observetur, statuimus et declaramus, omnes et singulos clericos dioecesis nostrae, sive saeculares sive regulares, qui animo potandi, aut tabacum fumandi, aut ludendi et cum potatoribus fabulandi, tabernas adiverint in communique loco (sive sit conclave, sive atrium, sive hortus) id ibidem peregerint, praeter reatum culpae, quem contraxerunt, eo ipso esse suspensos ab ordine et jurisdictione"[5].

---

1) N. 24.
2) Decret. 9.
3) Part. 1, c. 6. §. 3.
4) Conferri etiam potest Aichner, *Comp. jur. eccl.*, p. 236.
5) C. 3. art. 2.

Consonant statuta dioecesana namurcensia, primum edita ab episcopo Ondernard († 1831) ac pluries deinde confirmata, in quibus articulus 8 legitur ejusmodi: „Omnibus clericis sacris ordinibus initiatis sub poena reservatae episcopo suspensionis seu revocationis facultatum ipsis concessarum, ipso facto incurrenda, prohibitum est, popinas[1]) seu domos quaslibet, ubi quibusvis passim tam laicis quam clericis, vinum, cerevisiam, aquam vitae, vel liquores, qui vulgo thé, café, chocolat nuncupantur, emendi et ibidem compotandi potestas est, sive compotationis, sive lusus causa adire, modo ibidem reipsa potaverint vel luserint. Qua prohibitione comprehenditur quaelibet potatio, etiam sine excessu et sine scandalo; item licet popinalis potus gratis offerretur, si ab aliquo potatore id fiat. Deinde non solum potatio in ipsis popinae aedibus, sed in ejus hortis ac toto fundo ad popinam pertinente eique adjacente. Excipiuntur tamen viatores, non item ambulantes".

Et. ex antiquo orbe quidem istud par praesulum audisse suffecerit.

Europaeos antistites illustri certamine zeli disciplinae ecclesiasticae mox secuti sunt episcopi americani, ex quibus etiam binos, universalem ecclesiae legem inculcantes, adducemus, qui reliquorum vice loquantur.

Rmus. D. Heiss, episcopus crossensis, clero hoc statutum dedit in synodo dioecesana an. 1871: „Cunctis sacerdotibus hujus dioecesis sub poena suspensionis ipso facto incurrendae et nobis reservatae interdicimus ingressum cauponarum, tabernarum vel cujuscunque publici diversorii, mera edendi vel bibendi ratione,

---

[1]) Popina hic generatim sumitur pro taberna. Apud veteres eam tabernae speciem significabat, ubi cocta obsonia et delicatiora esculenta et poculenta publice distrahebantur.

nisi in itinere, vel alia urgente causa gravi et extraordinaria"[1]).

Rmus. D. Hogan, episcopus kansanopolitanus et administrator dioecesis sancti Josephi, in synodo Kansanurbe celebrata an. 1887 ita statuit n. 24: „A tabernis sacri canones arcent clericos. Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur nisi peregrinationis necessitate compulsi. Haec antiqua et salutaris lex, concilio lateranensi quarto instaurata, a concilio tridentino confirmata est. Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant. Sess. 24, c. 12, de reformat. — Tabernarum autem nomine intelligitur omnis locus, in quo publice adventantibus potus inebriantes distrahuntur. Clericos igitur omnes et singulos nostrae dioecesis, sive saeculares sive regulares, qui ad potandum tabernam adiverint, et ibidem plus minusve potus inebriantis potaverint, eo ipso suspensos ab ordine et jurisdictione statuimus et declaramus".

Sed et caeteri episcopi americani, qui synodos dioecesanas celebrarunt, universalem hanc legem, inter decreta concilii plenarii relatam, clericis suis in memoriam revocarunt, explicarunt et inculcarunt, licet necessarium non existimarint, ejus executionem addita gravi poena suspensionis ipso facto incurrendae urgere atque exprimere.

Interdicti violationem semel atque iterum attingit celsissimus D. Aichner, princeps et episcopus brixinensis; et primo quidem in tractatu de obligationibus clericorum p. 236, ubi „ex praevaricatione legis hujus saluberrimae, hodie in quibusdam regionibus adeo frequenti, vulnus grave et insanabile disciplinae status ecclesiastici inferri", dolenter animadvertit; deinde vero in expositione juris criminalis, ubi de

---

[1]) Refertur statutum in „Archiv für kath. Kirchenrecht", 1872. I. p. 184.

coercendis clericorum criminibus disserens p. 736 pro certo tradit, „consuetudinem huic legi contrariam neque hodie censeri posse legitimam et licitam"; quum eam Pius PP. IX. „tanquam detestabilem corruptelam damnarit die 30. junii 1857"[1]). Ratio hujus reprobationis inde peti debet, quod ejusmodi usus seu potius abusus ex numero illorum sit, qui ea de causa tanquam irrationabiles et a jure reprobati declarantur, quia „nervum disciplinae ecclesiasticae disrumpunt"[2]); „ubicunque enim aliquid fit contra ecclesiasticam disciplinam sive nervum ecclesiae, non habet locum praescriptio"[3]).

De decentia habitus externi.

Ex canonibus ad externam habitus decentiam spectantibus patres baltimorenses ea prae caeteris urgent, quae ad vestitum atque ad habitationem spectant.

Leges de vestitu clericali principio illi nituntur, quod concilium tridentinum ex corpore juris sacri desumptum[4]) auctoritate sua confirmavit sess. 14, c. 6 de reformat.: „quod clericos oporteat per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendere". Duae ab auctoribus afferuntur ejus legis rationes, altera inde petita, quod clerici per habitum perpetuo moneantur dignitatis atque obligationis suae

---

[1]) Celsissimus auctor hic dicit literas Pii PP. IX. ad episcopum rottenburgensem datas, de quibus conferri possunt menaea monachensia „Historisch-politische Blätter", an. 1869, p. 88.

[2]) Cfr. c. Quum inter 5. X. de consuetud.

[3]) Ita gl. fin. ad c. Quum inter cit. — Vis ac ratio nervorum disciplinae ecclesiasticae ideo tribuitur, quia sicut nervis membra corporis continentur, ut officia sua rite praestare valeant, ita per disciplinam ecclesiasticam fideles conservantur in suo officio atque ab excessibus seu peccatis retrahuntur. Cfr. Suarez, *De legibus*, l. 7. c. 6.

[4]) C. Quoniam 2. de vita et hon. cler. Clem. — Constitutio Clementis PP. V., Tridenti „innovata et ampliata", in concilio viennensi, notante glossa, „emanavit executive ad jura C. 21, q. 4, per totum et c. penult. eod. tit."

cunctisque vitiis honestati clericali oppositis salubriter absterreantur; altera vero ex paritate cum militibus saeculi deducta[1]); quemadmodum scilicet disciplina militaris regi absque proprio habitu militum nequit, statui clericali suus sit habitus oportet.

Contra clericos, qui „propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes“[2]), „abjectis vestibus proprio congruentibus ordini“[3]), „pedes in diversis ponere nituntur, unum in divinis, alterum in carnalibus“[4]), utramque rationem conjunctim urgent varia statuta dioecesana, ut quum v. g. talibus instant: „Unde ea nonnullorum propensio abjiciendi aut certe dissimulandi clericalem habitum et tonsuram; quum tamen nemo miles erubescat, militarem vestem et status sui insignia gerere? Annon exinde, quia sic conformare se possunt huic saeculo, ejusque luxum, ludos, ineptias sectari? Pudet enim eos haud immerito talari veste indutos, corona conspicuos, frequentare popinas, theatra, nundinas, equorum cursus, venari, negotiari. Mundana vestium forma deformitatis mentium et morum est indicium“[5]).

Jure suo usa synodus plenaria merito statuit n. 77, vestem clerico congruentem domi et in ecclesia esse talarem, foris autem breviorem quidem, „quae tamen nigri coloris sit et ad genua producatur, ita ut clerici a laicis distingui possint“. Praeterea speciatim „collare quod romanum vocant, gerendum“ praescribit.

---

[1]) Ex eo, quod clerici passim dicantur „militare“, a milite armatae militiae ad militem coelestis militiae argumentum frequens et utile sumi, alibi nos dicere meminimus in op. „De libertate clericorum religionem ingrediendi, c. 2, n. 14.

[2]) Concil. trident. l. c.

[3]) C. Quoniam cit.

[4]) Conc. trid. l. c. — Ejusmodi homines „terram duabus viis ingredi dicuntur“ c. Ex parte 22. X. de regularibus.

[5]) Plura alia, quae ad hanc materiam pertinent, diligenter expendit Gonzalez ad c. Clerici officia 15. X. de vita et hon. cler.

Circa aedes habitationi clericorum destinatas patres baltimorenses ornatus omnes, „superfluitatem gerentes“[1]) volunt exclusos n. 78, quum vitae clericalis gravitas et modestia omnem mundanum ac profanum cultum respuat. Domus sacerdotalis igitur sic instruatur atque exornetur, ut „crucifixi salvatoris ministrum illic habitare proclamet“.

De muneribus atque officiis statui clericali non congruentibus, seu de negotiis saecularibus vitandis.

Duo sunt negotiorum saecularium genera, quibus se immiscere vetantur clerici; alia enim indecentia sunt in se atque ex suo objecto, qualia censentur esse munera alchimistarum[2]), mimorum, histrionum, joculatorum; alia autem indecentia reputantur homini clero adscripto, utpote „cui portio Deus est, qui nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere“[3]).

Ex altero hoc negotiorum genere concilium nostrum clericis nominatim interdicit negotiationem, procurationem, tutelam, exercitium medicinae et chirurgiae, tractationem rerum politicarum et actiones forenses in tribunalibus saecularibus. De singulis pauca sunt ex jure notanda.

„Negotiatio“ non prohibetur clericis, quod in se inhonesta sit, aut quod periculum sortis seu amittendi bona ecclesiastica involvat, aut quod suspicionem foedae avaritiae in clericum negotiatorem conferat; sed praecise ideo interdicitur, quia „lucri causa negotiari“ reputatur negotium saeculi[4]), pertinens ad curas hujus vitae, corda hominum gravantes et nimiam in externa effusionem negotiantibus inferentes[5]).

---

[1]) Ita c. Clerici officia cit.

[2]) C. Spondent. un. de crimine falsi. Extrav. com.

[3]) C. Cui portio 6, C. 12, q. 1.

[4]) Ea de causa interdictum negotiationis refertur sub adducto titulo: „ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant“, c. 6.

[5]) Cfr. Theophil. Raynald, *De religioso negotiatore.*

Per recentiores constitutiones Summorum Pontificum plures quaestiones huc spectantes certam solutionem nactae sunt, de quibus olim non parum disputabatur inter doctores. Sic constitutionibus Benedicti PP. XIV. Apostolicae servitutis, ed. d. 25. febr. 1741[1]), Clementis PP. XIII. Quum primum, ed. d. 17. sept. 1759, et aliorum Pontificum praeter alia haec edocemur:

1⁰. Sacris canonibus cautum est, ne clerici vel per interpositam personam negotientur, vel negotium a laica persona institutum et ad ipsos quo demumcunque titulo delatum per alios (cohaeredes aut socios mercatores) prosequantur; illud quippe statim dimittere tenentur, non obstante quacunque sive consuetudine sive necessitate.

2⁰. Statutum est, ut si (quis vel in necessitate negotiari vel delatum ad se commerciale institutum per aliquod tempus retinere velit, per mandatarium scilicet rem gerendo, is ad superiorem pro obtinenda dispensatione recurrere debeat.

3⁰. Definitum est, cambium activum actum esse verae proprieque dictae negotiationis[2]).

4⁰. Declaratum tandem est, negotiationem praedictam etiam superioribus quorumcunque ordinum, societatum, collegiorum, seminariorum, aeque esse prohibitam ac singulis clericis, sive communi societatis sive particulari superioris nomine exerceatur.

Et ista quidem praecipua „canonum praecepta de illicita clericorum negotiatione sunt, quae concilium plenarium omnibus stricte servanda esse declarat“.

Residua et nondum decisa est quaestio, utrum clericis liceat partem habere in societatibus sive mercatoriis sive industrialibus, emendo, retinendo, vendendo actiones sociales quas vocant, et respondens lucrum sociale inde percipiendo?

---

[1]) Affertur ab ipso concilio plenario, n. 82.

[2]) Interdictum cambii sive argentariae concilium inferius denuo inculcat tit. 9, c. 2.

Triplex ea de re est doctorum sententia; alii enim id generali interdicto clericis vetitum esse tradunt; alii cotra putant, ejusmodi actionum usum id non efficere, ut clericus prohibitae negotiationis fiat particeps; alii denique distinguunt inter societates commerciales et industriales, eoque discrimine stabilito dicunt, clericos emptores et possessores actionum commercialium esse in parte negotiationis interdictae, caeteros autem, qui per actionum usum consortes evadunt societatum industrialium, prohibitioni non subjacere. En, quas singuli in confirmationem suae doctrinae habent rationes.

Patroni primae opinionis[1]) ita argumentantur: Summa pecuniae, quae in communi a societate possidetur, quaeque ad negotiationem gerendam adhibetur, ex ipsis his confluis actionibus constat; fructus autem, qui, expensis deductis, pro rata parte actionum a sociis, actiones possidentibus, percipitur, est lucrum vere mercatorium; hinc singuli socii (actionarii), pecuniam ad societatem conferentes membra sunt societatis negotiatoriae vereque negotiari sunt dicendi, quamvis nullatenus se rerum gestioni immisceant.

Qui alteram sententiam propugnant[2]), potissimum ea ratione nituntur, quod qui actiones acquirit ac respondens lucrum sociale percipit, ex sensu communi non reputetur negotiari, dummodo tamen ab omni rerum gestione abstineat; est enim de numero membrorum „dormientium", quae quidem propter pecuniam in commercio collocatam societatis sunt participes, sed nulla ratione re gerenda versantur; omnia quippe ab iis fieri sinunt, quibus societas rerum gestionem commissam voluit.

---

[1]) In his eminent editores duorum foliorum periodicorum, romani „*Analecta juris pontificii*" et leodiensis „*Revue théologique*", an. 1858 et 1859.

[2]) Ex his praecipui sunt: Bouix, in folio „*Revue des sciences ecclésiastiques*", 1860, II, pp. 450 sqq.; Icard, *Praelectiones juris can.* n. 325; Lauwers, *De liceitate emptionis actionum industrialium et commercialium.*

Tertia sententia supponit distinctionem inter negotiationem et industriam in jure sacro traditam c. Ejiciens 11. dist. 88: „Negotiator est, quicumque rem comparat, ut illam ipsam rem integram et immutatam vendendo lucretur; contra, quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator". Qui ejusmodi negotia quaestus causa tractat, commercium „industriale" seu industriam exercere dicitur.

Facta igitur distinctione inter societates mercatorias proprie dictas et inter societates industriales, auctores hujus sententiae[1]) docent, clericis non licere actiones societatum commercialium seu mercatoriarum emere, quod, quum clericis prohibitum sit, alieno nomine „quomodolibet" negotiari, asseri nequeat, eos per actionum emptionem licite ad commercium exercendum concurrere, quemadmodum, ajunt, defensores primae opinionis jam ostenderunt. Licere tamen clericis, certis sub conditionibus, societatem industrialem inire et emptis actionibus in negotio industriali partem habere, inde probant, quod, quum exercitium honestae industriae per se interdictum non sit clericis[2]), ipsis neque absolute prohibitum censeri possit, societati industriali nomen dare. Monent autem tria haec requiri, ut licitum esse possit ejusmodi actiones industriales emere: 1. ut talis sit industria, quae statum clericalem non dedeceat; 2. ut non fiat turpis lucri causa; 3. ut negotium absque officii ecclesiastici detrimento geratur, scilicet ut clericus rem aliis tractandam relinquat.

Res in dubio, ut vides, est, nec eam nos definire audemus.

---

[1]) Cfr. Craisson, in cit. „*Revue des sciences ecclésiastiques*", 1866, pp. 460 seqq.

[2]) Huc faciunt canones 3. et 4. dist. 91; c. 1, C. 21, q. 1; et c. 33, dist. 5, de cons.

De notione „procuratoris“ recolantur, quae in priori commentarii parte scripsimus pp. 72—74.

Ex quo societas civilis clericos non amplius gaudere sinit privilegiis fori et competentiae, nova enata est causa, cur officium procuratoris iisdem prohiberi debuerit. Quum enim procuratores obligentur ad ratiocinia, h. e., ad rationem gesti negotii coram magistratu saeculari reddendam, usui privilegiorum clericalium jam renuntiare videtur, qui procuratoris officium suscipit. Inde est, quod synodus plenaria clericos generatim „aliorum in negotiis procuratores, inconsulto episcopo, fieri non sinat“. Jure ecclesiae communi clerici non prohibentur esse procuratores in negotiis personarum miserabilium, h. e., orphanorum, viduarum, pauperum aliorumque hominum auxilio destitutorum, quum ejusmodi procuratio opus pietatis esse censeatur.

Simili ferme ratione arbitrandum est de interdicto tutelae et curatelae.

Tutor ille est, qui pupillum tuetur ac defendit; pupillus autem dicitur impubes[1]), qui desinit esse in patria potestate, aut morte aut emancipatione. — Tutor distinguitur in testamentarium, qui a parentibus constituitur liberis suis impuberibus in potestate sua existentibus; in legitimum, qui ex legis praescripto ex proximioribus consanguineis assumitur, si testamentarius non exstet; et in dativum, qui, non exstantibus testamentariis et legitimis, a magistratu constituitur ad petitionem matris vel aliorum propinquorum.

Cautum sacris canonibus est, ne clerici tutelam testamentariam et dativam extraneorum suscipiant, excepta tamen tutela personarum miserabilium de consensu episcopi; excepta item, de ejusdem ordinarii licentia, tutela legitima seu legali proximorum consanguineorum, non autem dativa aut testamentaria.

---

[1]) Ex jure communi impubes dicitur mas minor annis 14, foemina vero minor annis 12.

Finita tutela, quando scilicet qui sub tutela erat, pubes factus est, incipit cura seu curatio sive curatela, quae de jure communi durat usque ad 25 aetatis annum. Curator datur ergo minorenni; item prodigo, muto-surdo, fatuo. Tutor pupillo suo negotium agenti auctoritatem, curator minori aut prodigo contrahenti consensum accommodat. Tutores certae rei dari non possunt; curatores autem dari certae rei possunt. — Tutores et curatores non minus quam procuratores ad ratiocinia obligati existunt. Ita doctores passim.

Hisce praestitutis facile intelligitur praesentis synodi interdictum, „ne clerici cujusvis curam ac tutelam, praeterquam suorum, nisi episcopo consentiente, suscipiant“: quod quidem, respectu habito ad peculiaria adjuncta, tantisper a jure communi recedit.

Clericis eo severius prohibitum est artem chirurgiae et medicinae exercere, „quod antiquus hostis, in angelum lucis se more solito transfigurans sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus“, eos ab ecclesiastico ministerio avocat[1]).

Ejus interdicti duplex ratio affertur; exercitium artis medicinae et chirurgiae enim, praeter quam quod periculo incurrendae irregularitatis subjacet, officium saeculare est et praecise ut tale prohibetur.

Quoad irregularitatem animadvertendum est, medicos quoscunque ex morte secuta irregulares fieri, si ita medelam morbis adhibeant, ut in hoc artis suae exercitio peccent, sive id fiat ex malitia, sive ex imperitia, sive ex ignorantia artis suae. Quod si vero medicus nulla malitiae, vel ignorantiae, vel imperitiae culpae reus sit, irregularitatem non contrahit, licet mors sequatur[2]). Hinc assertio doctorum: „eventus

---

[1]) Haec et alia his similia passim urgentur in cit. titulo „ne clerici vel monachi“.

[2]) Cfr. Gonzalez ad c. Tua nos 19. X. de homicidio.

mortalitatis infirmi non impedit promoveri medicum peritum, si conscientia eum non remordeat"[1]).

Ex gravium doctorum sententia, licet clericis peritis ex pietate artem exercere erga personas miserabiles et cognatas in causa necessitatis, h. e., in defectu aliorum medicorum. Poterit certe parochus aegrotum parochianum, praesertim pauperem, consilio juvare, usque dum medicus adveniat: verum id sedulo curandum est, ne propter ejus praesentiam medicus non advocetur. Ex morte secuta irregularitatem incurrit, si ipse in causa erat, cur medicus non adhiberetur, qui aegrotum juxta praecepta medica juvisset.

In universali hoc ecclesiae jure Summus Pontifex dispensare non solet nisi ob penuriam medicorum et certis sub clausulis, de quibus agit Benedictus PP. XIV., *De synodo dioeces.*, l. 13, c. 10. Facilius conceditur clericis medicis artem suam aliorum usibus applicare, ut missionibus promovendis eo felicius inservire possint; id enim, notante glossa, alienum a mente sacrorum canonum non est, ut „relaxatio juris ecclesiastici admittatur, si per acquisitionem aliquorum recompensetur".

Cum exercitio medicinae et chirurgiae clericis etiam interdictum est munus advocati seu officium „postulandi" coram judice saeculari, de quo proprius exstat titulus in corpore juris nostri[2]). Utut enim honorificum ac laudabile in se est postulandi munus, accensetur tamen et ipsum „negotiis saecularibus, quibus se clerici immiscere non possunt".

In quatuor casibus nihilominus advocati munus, in tribunali saeculari etiam, suscipere et postulare permittuntur clerici omnes, nimirum: 1. in causa propria, 2. in causa ecclesiae propriae; 3. in causa personarum

[1]) Cfr. idem Gonzalez ad c. Ad aures 7. X. de aetate et qualitate ordinand.

[2]) De postulando, l. 1, tit. 37.

conjunctarum usque ad quartum gradum consanguinitatis, in defectu idonei advocati; quibus personis doctores etiam adnumerant fratres spirituales, v. g., canonicos ejusdem ecclesiae; 4. tandem in causa personarum miserabilium, quarum defensio est opus pietatis, quod clericum summopere decet.

Coram judice ecclesiastico licet clericis sacerdotio non initiatis advocati munus in omnibus causis obire, sacerdotibus vero non nisi in quatuor casibus recensitis.

Qui adhuc in minoribus sunt constituti, postulare etiam in tribunali saeculari possunt, si stipendiis ecclesiasticis non sustententur, saltem si aliunde non habent, unde decenter vivant[1]).

Ut studium artis medicinae et chirurgiae ita et studium juris civilis in academiis publicis est clericis vetitum: quae prohibitio eo spectat, ut et interdictum exercitii illorum munerum facilius servetur et disciplinis sacris addiscendis major opera navetur. „Quia theologiae studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco funiculos suos faciat ampliores, ut sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, prohibitionem . . . ad (omnes) clericos extendi volumus“[2]).

Accommodata ad rerum adjuncta sunt monita, quae concilium plenarium dat circa actiones forenses (n. 84), ut, quantum fieri possit, lites evitentur; ut immunitatis ecclesiasticae tuendae ubique ratio habeatur; ut excommunicatio in impedientes exercitium jurisdictionis ecclesiasticae lata identidem in memoriam revocetur.

Reliquum est concilii decretum de rebus politicis clero non tradendis (n. 83), quod omnino ad mentem

---

[1]) Cfr. Schmalzgrueber, l. 1, tit. 37, n. 9—10, ubi etiam alios casus solutos reperies.

[2]) Ita Honorius PP. III. in c. Super specula ult. X. „ne clerici“.

sacrorum canonum probatur editum. Ejusmodi tractatio quippe, experientia teste, id efficere solet, ut clericus, iis implicitus, „officio clericali neglecto, fluctibus saeculi se immergat“[1]). Verum quidem est, in Europa jam passim esse receptum, ut clerici etiam in publicis comitiis societatis civilis partem habeant ac politicis negotiis occupentur; sed gravissimae in antiquo orbe sunt causae, quae id ab ecclesia concedi suadeant. In publicis comitiis enim nostra hac aetate saepissime de rebus ecclesiasticis agitur ac decernitur. Hinc non solum permittendum, sed et vehementer optandum est, ut idonei clerici iisdem intersint ac partem in negotiis definiendis habeant, quatenus in magno ac vero damni periculo „ecclesia valeat ascendentibus ex adverso resistere“. Sed ea de re consulantur, qui in praesenti argumento illustrando egregie versati sunt, docti ecclesiae principes card. Hergenröther in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, t. 15, pp. 67 seqq. et episc. Aichner, *Comp. jur. eccl.*, pp. 238—239.

Caput IX.

De regularibus.

Quae postremo hoc capite decreta sunt, distingui in tres sectiones possunt. Priores octo numeri (85—93) ad constitutionem apostolicam „Romanos Pontifices“ ejusque executionem referuntur; altera pars quinque numeros comprehendit, qui ad disciplinam monialium pertinent (94—98); tertia tandem voti humilitatis, in nonnullis institutis fratrum editi, custodiae consulit (99).

De constitutione „Romanos Pontifices“.

Opportuna harenga verbis Pii PP. IX. proposita de animorum consensione inter utrumque clerum, sae-

---

1) Ita c. Sed nec 4. X. de vita et hon. cler.

cularem et regularem, servanda ac fovenda (n. 85), patres baltimorenses ad „sanctam hanc concordiam, quam gaudenti et grato animo hactenus in ditionibus foederatis Americae septentrionalis illaesam fuisse testantur et alte proclamant“, perpetuam reddendam et confirmandam, petunt extensionem constitutionis SS. D. N. Leonis PP. XIII. „Romanos Pontifices“ pro Anglia et Scotia editae an. 1881 (n. 86).

Tria ejus bullae capita summatim indicata (n. 87), deinde ex ordine singillatim exhibentur: nimirum 1. de relationibus regularium ad episcoporum auctoritatem (n. 88); 2. de ministerio sacro per regulares in missionibus exercito (n. 89); 3. de bonis temporalibus missionum (n. 89). — Appendicis instar adduntur normae circa difficultates, quae in executione „aequissimae hujus constitutionis“ adhuc oriri possent“, rite solvendas ac legitime expediendas (nn. 91—93).

De rationibus ipsius constitutionis ejusque ad ecclesiam americanam extensionis recolantur, quae disputata jam sunt in priori commentarii parte pp. 212—218. Iis id unum hic adjiciendum videtur, quod semel atque iterum ex praecipuis jurisconsultis enotavimus[1]), nimirum authenticam legis declarationem omnino ab editione novi juris distingui; per declarationem quippe legislator nihil novi inducit, sed authentice tantum aperit, et, quantum opus est, manifestat verum sensum ac genuinum valorem legis jam existentis; per editionem novi juris autem aliquid novi statuitur, quod antea nondum exstiterat. Quae sacris canonibus jam sunt constituta, ea in americana ecclesia etiam servari debere, facta „declaratione“, Pontifex simpliciter enuntiat; quae vero lege nondum sunt praescripta, ea ut deinceps fiant, novo jure condito, decernit atque imperat. Exemplo sit illud constitutionis caput, quod

---

[1]) Recolas quae superius animadvertimus p. 9, et aliis locis ibidem indicatis.

est de obligatione regularium ad „morales collationes“ sive conferentias cleri conveniendi. „Declaramus, inquit[1]), omnes missionum rectores cleri collationibus adesse ex officio debere; simulque decernimus ac praecipimus, ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri, missionariis facultatibus concedi solitis instructi, *qui hospitia parvasque missionum domus incolunt*“. Quoad ipsos rectores scilicet obligatio, ex lege communi jam existente profluens simplici „declaratione“ erat manifestanda atque inculcanda; quoad vicarios autem et alios religiosos, missionariorum facultatibus instructos, novum jus erat condendum, quum iidem ex generali ecclesiae lege non teneantur, cleri collationibus interesse. Usus itaque distinctione inter eos, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt, et alios, qui in majoribus conventibus seu collegiis degunt: Pontifex novo jure edito decrevit ac praecepit, ut priores collationibus interessent, quod nimirum in parvis suis domibus collationes domesticae parum fructuosae ob exiguum sodalium numerum essent futurae; caeteros vero, qui majores conventus incolunt, sub antiquo jure communi constitutos reliquit, ut adeo iis hodieque „integrum sit de jure constituto a memoratis collationibus abstinere, dummodo morales in eorum conventibus lectiones seu conferentiae habeantur“[2]). — Sed de ipsis conferentiis inferius sermo erit tit. 5. cap. 5.

---

[1]) In append. p. 218.

[2]) In decreto synodico, in quo patres argumentum bullae summatim tantum exhibent, verba haec „*qui hospitia parvasque missionum domus incolunt*“, omissa sunt (n. 88). Verum id non efficit, ut constitutio hoc inciso truncata ac mutilata censeri possit ad ecclesias americanas translata; praesertim quum per eam omissionem, si ita acciperetur, ac si etiam vicariis et missionariis majores domos, in quibus collationes casuum moralium rite celebrantur, incolentibus dictam obligationem imponeret, jus ecclesiae commune immutaretur; quod ut sine speciali confirmatione Papae fieri non potuisset, ita nec factum esse constat. Relege quae in priori parte de approbatione concilii animadvertimus pp. 36—45, ac vide etiam decretum extensionis bullae in Actis p. CV.

Sequitur pars decreti, qua executionem bullae ab omnibus difficultatibus ac dubiis munitam esse voluerunt patres. Atque ut arduo illi negotio cautiones necessarias rite adhibeant, tres casus distinctis numeris considerant; ac primo quidem pro certo habent, impedimenta, quae forsitan ex parte ordinum vere proprieque dictorum regularium (cum votis solemnibus) afferrentur, ad Sedem apostolicam esse deferenda ejusque supremo judicio controversiam finiendam: quod regulares omnes sint exempti ab episcoporum potestate et Sedi apostolicae subjecti (n. 91).

Quod idem secundo faciendum esse monet concilium, si episcopi in difficultates in usu bullae incurrerent apud congregationes religiosas (cum votis simplicibus), quae lato sensu tantum institutis regularibus accensentur (92). Et id recte quidem; quamvis enim ejusmodi congregationes communi ecclesiae jure de potestate episcoporum non sunt detractae, id commodi tamen ex confirmatione pontificia constitutionum suarum habent, ut si lis aut dubium de genuino earum sensu vel de valore usuque privilegiorum in iisdem contentorum moveatur, nemo de oborto negotio cognoscere possit nisi Papa aut ejus delegatus: quemadmodum in expositione vis ac rationis „confirmationis in forma communi datae“ ostensum est in priori commentarii parte pp. 40—42.

Tertio loco attinguntur instituta ecclesiastica dioecesana, quorum constitutiones approbatae a Papa non sunt. Ea omni ex parte sub regimine episcopi ordinarii vivunt; et si contingat, ut in alias dioeceses extendantur, harum episcopis quoque pars regiminis permittitur, prout ea de re in limine fundationis novarum domorum praevie fuerit inter episcopos conventum. Quod etiam, monente synodo, debet servari, „licet praedicta instituta dioecesana regulam a S. Sede approbatam sequantur“.

Per occasionem hujus incisi operae fuerit pretium circa discrimen inter regulam et constitutiones anim-

advertisse, quatuor esse canonicas regulas a Sede apostolica approbatas, nimirum sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci. Sub unaquaque regula autem plures eaeque diversae erectae sunt religiones, quae proinde non regula sed constitutionibus differunt. Regula, ait s. Franciscus Salesius, generatim exhibet media perfectionis acquirendae; constitutiones vero eorundem mediorum usum in particulari docent. Regula est in religione perpetua atque immutabilis; constitutiones autem a praelatis et capitulis religionum ordinantur et, ubi opus fuerit, immutantur[1]). Et haec quidem, si stricto sensu verba sumantur; saepe enim fit, ut constitutiones ipsae latius acceptae regula ordinis vocentur[2]).

„Statuta, quibus novae congregationes reguntur, solent appellari constitutiones (et non regulae), quum novae regulae praeter illas, quae olim a S. Sede confirmatae fuerunt, minime admittantur"[3]). Hinc „distinctio regularum et constitutionum haud admittitur in novis institutis"[4]), quamvis haec instituta praeter proprias suas constitutiones unam ex antiquis regulis a Sancta Sede approbatis sequi possunt: quemadmodum ab institutis dioecesanis in America identidem fieri, synodico hoc decreto docemur.

Quod § finali episcopis imponitur interdictum, ne dispensationem in voto simplici castitatis in perpetuum emissi concedant, nisi „praehabita petitionis superioris vel superiorissae, consentientibus ejus consiliariis", id plenum prudentia et aequitate esse conspicitur.

---

[1]) Plura de discrimine inter regulas et constitutiones dat Suarez, *De religione*, t. 4, l. 1. c. 2.

[2]) Ita v. g. Pius PP. VII. „vivendi rationem constitutionibus Societatis Jesu accommodatam" vocat „regulam sancti Ignatii". (Bulla „Sollicitudo omnium ecclesiarum", edit. d. 7. Aug. an. 1814, §. 8; bullar. rom. cont. t. 13, p. 325).

[3]) S. congr. episc. et reg. d. 20. febr. 1860; in „Archiv für kath. Kirchenrecht", t. 15, p. 429.

[4]) Ead. s. congreg. d. 2. martii 1861; ibid. p. 431.

De disciplina monialium.

Materia bipartito legitur distributa a n. 94. ad n. 98, in decreta de clausura et in leges de confessario. Priori argumento pro duplici clausurae specie, passiva et activa, duo tribuuntur numeri 94. et 95; in gravissimum negotium idonei confessarii constituendi reliqui tres numeri conferuntur. — Utrumque disciplinae caput paucis animadversionibus illustrabimus.

„Clausura", verbale a claudo, generatim est id quod claudit, septum, ambitus; speciatim vero accipitur pro septo monasterii, quo ipsae aedes habitationi regularium destinatae cum aedificiis, hortis, pratis caeterisque omnibus, quae monasterio adjuncta sunt, rite muniuntur ac custodiuntur.

In historia disciplinae regularium sumitur etiam pro „reclusione", qua quis ad vacandum Deo in cella se recludebat ea lege, ut inde nunquam egrederetur, nisi cogeret utilitas major vel necessitas. Prope coenobia quippe, aut etiam in ipsis monasteriis singulares cellae erant, in quas vitae solitariae cupidi de licentia abbatis se concludebant, arctiori studio virtutem exercitaturi. Monachi hanc clausuram amplexi passim vocabantur „inclusi" vel „reclusi". Eadem notione adhibita leguntur vocabula „inclusa" et „reclusa" pro sanctimoniali, ab aliis segregata et in cellam conclusa, ut Deo sibique vacaret tranquillius.

Clausura hoc loco non significat strictius illud vitae genus personarum in singulares cellas perpetuo reclusarum, sed vero septa monasterii puellaris, indeque translata denotat legem, qua nec sanctimonialibus licet statutos claustrorum limites egredi (clausura activa) nec personis exteris permittitur, canonica septa monasteriorum ipsarum ingredi (clausura passiva).

Triplex distinguitur clausura monialium: „papalis", orta ex papali seu communi ecclesiae jure; „episco-

palis", ab episcopo imposita et determinata; „religiosa", peculiari voto religionis suscepta.

Clausuram papalem Bonifacius PP. VIII. lege universali praescripsit[1]), quam patres tridentini renovarunt[2]) et s. Pius V. confirmavit[3]). Praecipuos textus in forma extensa dedimus in tractatu „De solemnibus votis accidentalibus religionis"[4]).

Cura clausurae papalis diligenter custodiendae commissa est episcopis, jure ordinario in monasteriis sibi subjectis, delegato in exemptis[5]); unde et ipsos regulares exemptos recte punit, qui in clausuram monialium sibi subjectarum peccant[6]).

Licet clausura papalis ex communi ecclesiae jure cum solemnitate votorum sit conjuncta, recentiori aetate tamen exempla sanctimonialium occurrunt, quae ex speciali indulto Sanctae Sedis solemnia vota habent, quin clausura papali existant intra septa monasterii inclusae. Ejus generis in America septentrionali sunt moniales a visitatione B. V. M. nuncupatae in quinque monasteriis Georgetown, Mobile, Kaskaskia, sancti Aloysii et Baltimorae: de quarum clausura tantum est per varia decreta romana detractum, ut jam ad conditionem clausurae episcopalis redacta putetur[7]).

Monialibus clausurae papali non subjectis episcopus, loci ordinarius, omnibus rerum ac personarum adjunctis rite perpensis, eas clausurae leges praescribit, quas ipse in Domino expedire judicaverit. Atque haec proprie

---

[1]) C. Periculoso un. de statu regularium in 6.

[2]) Sess. 25, c. 5. de regularibus.

[3]) Const. Circa pastoralis ed. d. 29. maji 1566.

[4]) Cfr. „Zeitschrift für kathol. Theologie", 1889, pp. 300—301.

[5]) Ex monasteriis monialium exemptis alia Sedi apostolicae immediata subjecta sunt, alia gubernantur a certis capitulis, alia denique regularibus subsunt.

[6]) Conc. trid. l. c. jctis. constitutionibus Benedicti PP. XIV. Gravissimo et Gregorii PP. XV. Inscrutabili.

[7]) Cfr. concil. plenar. baltimor. secund. an. 1866, n. 419, in coll. lac. t. 3, p. 513.

est episcopalis illa clausura, in qua accurate definienda et recte custodienda sollicitudo patrum baltimorensium praesentis decreti sanctione sese explicat, tum quoad exteras personas intra septa monasterii admittendas (n. 94), tum quoad moniales e claustris exituras, praesertim, ut fieri solet, colligendarum eleemosynarum praetextu (n. 95).

Ab utroque illo clausurae genere distincta est clausura, quam proprio emisso solemni voto sibi superimponunt Clarissae, cujus rationes descripsimus in cit. opusculo „de solemnibus votis accidentalibus religionis". — Religiosa haec clausura a papali et episcopali in eo maxime differt, quod sanctimoniales Clarissae clausuram violantes duo diversa peccata committant, alterum inobedientiae contra legem ecclesiasticam, alterum sacrilegii contra religionem voti. Haec sunt de clausura quae paucis commentaremur.

Circa confessarium monialium tres actus apprime sunt distinguendi, designatio personae, approbatio et jurisdictio.

Ex jure communi monialibus non competit jus sibi eligendi confessarium, sed ipsis dari a superiore debet; et ita quidem, „ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur"[1]).

Si moniales non sint ab episcopi potestate exemptae, vel si exemptae sint, sed Sedi apostolicae aut cardinali protectori subjectae, tunc omnes tres actus (deputatio, approbatio, jurisdictio) ad episcopum spectant.

Quodsi vero moniales exemptae sint et praelatis regularibus aut certis capitulis subjectae, deputatio confessarii ad praelatos aut capitula pertinet; deputatum autem episcopus speciatim approbare debet ad excipiendas monialium confessiones in certo ac determinato conventu, idque pro omni casu, sive currat

---

[1]) Ita Benedict. PP. XIV. constit. Pastoralis, ed. die 5. Aug. 1748.

privilegiatum jubilaei tempus, sive agatur de confessione non ex necessitate, sed ex devotione peragenda.

Approbatione episcopi indigent omnes, etiam exempti pro excipiendis confessionibus monialium sibi subjectarum, solis generalibus et provincialibus ex indulgentia Benedicti PP. XIII. exceptis[1]). Confessarii regulares exempti monialium, ab episcopo approbati, jurisdictionem a Summo Pontifice habent, quemadmodum supra est dictum p. 68.

Bis aut ter in anno confessarius extraordinarius eadem ratione „offerri" debet monialibus, etiam iis, quae solemnitate votorum et clausura papali carent. Praelati regularis aut capituli negligentia, ea in re forsitan commissa, suppletur per episcopum, episcopi vero per cardinalem poenitentiarium.

Nequeunt moniales, nisi assignata justa causa, deputatum sibi confessarium, sive ordinarium sive extraordinarium, recusare et alium petere; extraordinarium autem sine causa recusare possunt, „dummodo alium ejus loco non petant"[2]). Et quamvis non teneantur omnes confiteri confessario extraordinario legitime constituto, debent tamen omnes coram ipso successive se praesentare, etiam quae confiteri nolunt, ne discerni possit, quaenam extraordinarii opera indigeant necne[3]). Durante confessarii extraordinarii munere cessat confessarii ordinarii officium.

Necessariae libertati conscientiae monialium efficaciter consulturi, volunt canones, ut confessarii ordinarii constitui nequeant, nisi ad triennium[4]). Ad hoc

---

[1]) Cfr. Honorante, *Praxis secretariae emi. et rmi. cardinalis Urbis vicarii* et Ferraris, *Approbatio*, art. 3, n. 15 (supplementa auctoris).

[2]) Cfr. Ferraris, *Bibliotheca*, v. monialis, art. 5, n. 35.

[3]) Ibid. nn. 36—37.

[4]) Ex jure particulari plurium ordinum (v. g. ord. Praedicatorum, Benedictinorum cassinensium) ad biennium tantum deputantur. Cfr. Ferraris, l. c., n. 21.

autem, ut pro altero triennio licite confirmari possit, Sedes apostolica communiter requirit, ut consensus monialium, scilicet duarum ex tribus partibus, capitulariter et per secreta suffragia praestandus, accedat; pro ulteriori triennio tandem omnium omnino consensus est necessarius.

Ad ultimum numerum (98), qui est de dotibus confessariorum monialium, tria haec dicenda videntur:

1. Quod synodus plenaria, verbis in decretis romanis saepe occurrentibus usa, praescribit, ut confessarii sint „maturioris aetatis", id ita est accipiendum, ut aetate quidem provecti sint, non vero ut certam ac determinatam aetatem expleverint. „De jure communi, inquit Passerinus, nulla aetas nisi ad sacerdotium necessaria est. Sed hujusmodi confessarios debere esse maturae et provectae aetatis, ratio ipsa demonstrat, et ex decretis sac. congreg. est manifestum; unde in hoc tam generalia, quam specialia synodorum statuta servanda sunt[1]).

2. Quamvis abbates, generales et provinciales confessiones monialium sibi subjectarum audire possunt, tamen non expedit, ut in earundem confessarios deputentur. „Quum enim, notante eodem Passerino, ejusmodi praelatus regularis sit etiam judex fori externi, civilis et criminalis, adesset periculum, quod ipse notitia sacramentali uteretur ad externum regimen, quod est contra jura; et de facili aliqua subditarum mulierum ex timore potestatis fori externi, existentis in confessario, non confiteretur integre peccata sua"[2]).

3. Praelati regulares monialibus sibi subjectis confessarium ordinarium ex suo ipsorum ordine deputant;

---

[1]) Quod folium periodicum „*Analecta juris pontificii*" docuerat, ex jure communi debere esse constitutos in aetate supra 40 annos, id probari non esse, multis adductis rationibus ostendunt auctores alterius folii periodici „*Revue théologique*", 1863, pp. 359—373.

[2]) Cfr. etiam „*Revue théologique*", 1862, p. 475.

caeteris vero episcopus sacerdotem saecularem dat, casu necessitatis excepto. Ejus rei causam s. Franciscus Salesius inde repetit, quod sub directione confessarii saecularis melius consultum esse soleat sanctae libertati monialium in servitio divino. „Ces bonnes filles, inquit, ne savent pas ce qu'elles veulent, si elles veulent attirer sur elles la supériorité des religieux, lesquels, à la verité, sont des excellents serviteurs de Dieu; mais c'est une chose toujours dure pour les filles, que d'être gouvernées par les ordres, qui ont coutume de leur ôter la sainte liberté de l'esprit". (Lettre 686, t. 4, p. 145, edit. Paris. 1821).

De voto humilitatis in nonnullis religiosis congregationibus fratrum laicorum emissis.

„Voti humilitatis" nomine venit promissio religiosa de non ambiendo. Est autem duplex votum humilitatis, alterum dignitates ecclesiasticas non appetendi neque acceptandi, alterum vero non transeundi ad statum clericalem. Utrumque votum in multis religionibus in ipsa professione regulari tanquam solemne cum aliis votis solemnibus emittitur. Votum solemne non transeundi ad statum clericalem apud Trinitarios discalceatos congregationis hispanae, in ordine scholarum piarum Matris Dei et in religione Carmelitarum discalceatorum provinciae italicae a fratribus laicis in solemni professione nuncupatur[1]).

Antiquos illos ordines multae recentiores congregationes religiosorum fratrum laicorum, juventutis christianae institutioni destinatae, quadantenus imitantur, sodalibus partim voto partim lege impeditis, ne unquam sacerdotium ambiant[2]). Laudabilium ejusmodi

[1]) Consuli de voto humilitatis potest commentarius noster „de solemnibus votis accidentalibus religionis", in quo omnia, quae ad hanc rem pertinent accuratius explicata sunt. (Zeitschrift für kath. Theologie 1889, pp. 272—278).

[2]) Ex iis concilium memorat „fratres a christianis scholis nuncu-

institutorum firmitati prospecturi, ac „cupientes aliquam benevolentiae significationem ipsis exhibere, praeclaras eorum regulas et constitutiones[1]) pro viribus tuendo, et simul menti Sanctae Sedis, ne ad sacerdotium aspirent, obsecundare“, patres baltimorenses finali numero decernunt, „neminem qui in tali congregatione prima vota emiserit, et deinde quacumque de causa congregationi valedixerit, in seminarium tanquam sacrorum ordinum candidatum sine dispensatione s. congregationis admitti posse“.

---

patos, fratres Xaverianos, Franciscales, aliosque, quibus lege sua sacerdotium ambire vetitum est“.

[1]) Hanc distinctionem inter regulas et constitutiones in recentioribus congregationibus religiosis minus proprie fieri, animadversum recolas p. 145.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Ut jus canonicum universim, ita etiam concilium nostrum pertinet ad personas, res et judicia[1]). Firmissimo omnis juris sacri fundamento in fide catholica posito (tit. I.), cum patribus baltimorensibus a personis sumus exorsi. Decretorum ordo fert, ut jam agamus de rebus ecclesiasticis, quarum latissime patet nomen; quidquid enim est in ecclesia extra personas et judicia, id rei nomine comprehendimus. Sunt autem res ecclesiasticae, quas jus canonicum respicit, vel spirituales vel temporales. — Spirituales sunt, quae ad animarum salutem aeternamque earum beatitudinem, tanquam ad finem et terminum, totae referuntur; atque huc spectant sacramenta, preces, jejunia, dies festi, caetera generis ejusdem. Pertinent etiam ad spirituales res sacrae, quas vocant; quae scilicet Deo et religioni sunt consecratae, ut divinus cultus exerceatur, veluti ecclesiae, sacra vasa et ornamenta, item res, quae religiosae appellantur, domus scilicet et loca, in quibus vel regulares vitam traducunt, vel pauperes atque aegroti curantur, vel fidelium cadavera sepeliuntur. — Res temporales ecclesiasticae sunt reditus et fundi ecclesiarum, quibus aluntur clerici et pauperes, omniaque ad religionis usum necessaria comparantur. Ita Devoti, *Institut. canon.*, l. 2, tit. 1. de rerum divisione[2]).

---

[1]) Videsis, quae superius animadvertimus p. 10.

[2]) De aliis rerum ecclesiasticarum divisionibus apud varios auctores occurrentibus, deque defensione praesentis, quam ex Devoti proposuimus, partitionis, videatur Sanguineti, *Instit.*, l. 2, tit. 1, de rerum ecclesiasticarum divisione, pp. 299—301.

Ex titulis concilii, qui ad res pertinent, quinque sunt de rebus spiritualibus, nimirum tertius (de cultu divino), quartus (de sacramentis), quintus (de scholis clericalibus), sextus (de scholis catholicis generatim), undecimus (de sepultura ecclesiastica). Titulus nonus spectat ad res temporales. Medii inter titulos sextum et nonum interjacent duo tituli, sextus (de doctrina christiana) et septimus (de zelo animarum), qui quum in explicandis dotibus pastorum versentur, opportunam sedem inter decreta de personis invenire poterant, a synodo tamen veluti appendix quaedam ad argumentum de scholis catholicis non sine causa in hunc locum sunt translati.

Quae his titulis comprehenduntur, secundum rationem studiorum in plerisque scholis clericalibus receptam a professoribus sive theologiae (dogmaticae, moralis, pastoralis) sive juris canonici dudum sunt praeoccupata fuseque tractata; quapropter interpretationem nostram brevi circumscribemus.

Titulus III.

De cultu divino.

A nobilissimo rerum ecclesiasticarum genere exorsi, patres baltimorenses praesenti titulo de legitima Deum colendi ratione agunt, praecipuas ejus partes singillatim persecuti.

Cultus, a colo, qua cum accusativo personae significat cura, studio, obsequio prosequor, sumitur pro ipsa veneratione seu observantia, ac nominatim de honore superis habito dicitur.

Juxta modum loquendi s. scripturae cultus divinus latissime accipitur: nam „visitare viduas et pupillos et immaculatum se custodire ab hoc saeculo, est religio munda apud Deum“ (Jacob. 1, 27); similiter „benefi-

centia et eleemosynae accensentur hostiis acceptis et Deo placentibus" (Philipp. 4, 18 et Hebr. 13, 16); „jejunium et obsecrationes vocantur servitus" (Luc. 2, 37); „castitas et corporis castigatio apostolo est hostia vivens, sancta, Deo placens, rationabile obsequium" (Rom. 12, 1), ac generatim omne opus bonum factum, ut Deo placeamus, cultus quidam Dei est.

Verum hoc loco pressius sumptum vocabulum significat externum apparatum earum rerum, quae ad rectam Dei venerationem pertinent.

In sacris ecclesiae canonibus maxime favorabilia judicantur, quae divino cultui promovendo serviunt. In favorem divini cultus, inquit glossa[1]), multa sunt specialia statuta; cultus divinus enim tribus praeceptis primae tabulae inhaeret[2]): ex quo videtur, quod etiam Papa non possit super hoc sine magna causa dispensare; deinde Papa nunquam supponitur velle divini numinis minui cultum[3]); sed e contrario semper censetur desiderare eum augere[4]): quare non valent statuta inferiorum magistratuum, per quae divinus cultus minuitur, etiamsi sub forma communi confirmata a Sancta Sede fuissent[5]); tandem constat, cultum divinum esse juris publici[6]): hinc est, quod pactis privatorum nequeat tolli aut minui[7]); quodque, si quis eum laeserit, ab omnibus tanquam pro publico crimine possit accusari[8]).

Quibus de ratione divini cultus ejusque favore ex canonibus breviter praenotatis, pauca restant de qua-

---

[1]) Ad c. Suscepti regiminis un. Ne sede vacante. Extrav. com.

[2]) C. Quid in omnibus 16. C. 32, q. 7.

[3]) C. Ex parte 12. X. de constitutionibus.

[4]) C. Quia per ambitiosam 15. de rescriptis in 6.

[5]) C. Ex parte cit. v. confirmatione, et relegas quae de confirmatione papali in priori parte scripsimus pp. 31 seqq.

[6]) C. Jus publicum 11, dist. 1.

[7]) C. Si diligenti 12. X. de foro competenti

[8]) C. Jus publicum cit. jcta. gl.

dripartito hoc titulo dicenda, quum qui americanae nostrae sacri juris academiae sunt consortes, totum ferme argumentum jam ex communibus praelectionibus theologicis perspectum habeant.

Caput I.

De facultate bis eodem die missam celebrandi.

Priscis ecclesiae temporibus, quum pauci ad sacrum presbyteratum ascenderent, ob sacerdotum penuriam quilibet sacerdos eodem die plures missas celebrabat, ut constat ex concilio toletano 12. (an. 681), c. 5, relato in corpore juris c. Relatum 11, dist. 2. de cons., ubi non reprehenduntur sacerdotes, quod saepius in die celebrarent, sed quod in omnibus missis non communicarent. Huc similiter facit, quod Walfridus Strabo, monachus fuldensis, refert saeculo nono, dum scribit: „Fidelium relatione virorum ad nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam, sicut ipse fatebatur, una die septem vel novem missarum solemnia celebrasse“[1]). Sed numero sacerdotum deinceps paulatim aucto, ampla illa facultas restringi coepit. In concilio Seligenstadiensi anni 1022 jam cautum legitur c. 5: „Ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare praesumat“[2]). Et non ita multo post mos invaluit, ut uno die una tantum celebraretur. Ejus juris fontes duos concilium nostrum assignat: can. 53, dist. 1. de cons. et cap. consuluisti; quae loca quia altiores rationes praesentis disciplinae attingunt, interpretationis instar, cum selectis glossae notis exhiberi possunt. Canon 53 citatus, ex Alexandro PP. II. († 1073) desumptus, ita legitur apud Gratianum:

---

[1]) *De ecclesiasticarum rerum exordiis et incrementis*, c. 21; apud Migne, Patr. lat. t. 114, p. 943.

[2]) Apud Hardouin, t. 6, p. 829.

„Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare[1]); quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit[2]). Non modica res est, unam missam facere; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest[3]). Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit[4]). Qui vero pro pecuniis aut adulationibus[5]) saecularium una die praesumuntur plures facere missas, non aestimo evadere damnationem“.

Caput „consuluisti“ est epistola decretalis Innocentii PP. III., ad episc. vigorniensem data anno 1212 ac relata c. 3. tit. de celebratione missarum. „Consuluisti (nos, inquit Pontifex, utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare: super quo tibi) respondemus, quod, excepto die nativitatis dominicae, nisi causa necessitatis[6]) suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare“.

Quod glossa verbo „sufficit“ indicari putat, ex jure decretalium nondum fuisse absolute prohibitum, plures missas eodem die celebrare, quum, quod sufficit, numerum non praecise restringat: id postea ex-

---

1) „Ex eo, quod dicit ‚sufficit‘, non expresse prohibetur, quin plures possint celebrari; et quoties celebrat, toties sumat corpus Christi et sanguinem“. Sic gl. ad c. Consuluisti cit. v. necessitatis.

2) „Ergo non nisi semel debet celebrari; sed quia quotidie peccamus, ideo ‚quotidie pro nobis eucharistia mystice immolatur: can. Utrum 72. dist. 2. de con.‘“. Ita gl. ad h. l.

3) Quae eadem de „quolibet sacerdote, quacumque dignitate praefulgente“, intelligenda esse declarat Honorius PP. III. c. Te referente 12. X. de celebrat. miss.

4) „Ergo etiam in necessitate non tres, ex quo dixit ‚alteram‘“. Gl. ad h. l.

5) „Id est, gratia favoris humani vel laudis acquirendae“. Gl. ad h. l.

6) Quamvis facultas bis in die celebrandi juri ecclesiae communi sit contraria indeque in rebus odiosis habenda, quas potius restringi quam ampliari oporteat; ex mente gl. ad h. l. tamen eruitur, episcopos in dijudicanda necessitate „non debere nimis angi“, ut synodus plenaria merito animadvertit n. 104, et fuse exponitur in instructione romana ea de re in appendice proposita pp. 233—244.

pressius esse interdictum, res jam est ex historia disciplinae ecclesiasticae testatissima.

Tandem canonibus eodem titulo „de celebratione missarum" relatis stricte praeceptum est, ut etiam altera missa a jejuno celebretur[1]).

Et istae quidem sunt praecipuae hujus decreti rationes in citatis fontibus contentae, quae singulis ejus partibus desideratam lucem afferunt.

Iis eruditionis causa hoc unum addimus, etiam in multis Europae dioecesibus sacerdotes facultate duas missas diebus dominicis et festis celebrandi uti non posse, nisi sub expressa conditione ab episcopis adjecta, „ut in utraque missa fiat instructio christiana ad populum", ne scilicet fideles per occasionem alterius missae ab auditione verbi Dei avertantur[2]).

Caput II.

De uniformitate in festis et jejuniis.

De festis eorumque divisione ac celebratione ex professo egimus in *Kalendario manuali utriusque ecclesiae.* Plura etiam dedimus in priori hujus commentarii parte pp. 107—111 et pp. 220—222. Inde ergo, ubi opus fuerit, facile eruentur, quae ad praesentem materiam plenius illustrandam desiderari poterunt. Ex iis duas tantum animadversiones huc transferemus, alteram, quae ad instituenda et sanctificanda, alteram vero quae ad immutanda et diminuenda festa[3]) refertur.

---

[1]) C. Ex parte 5.

[2]) Cfr. Statuta dioecesis luxemburgensis anni 1880.

[3]) Festus, festivus, dici videtur a „fari", a quo „fastus", mutata litera a in e. Alii ejus originem quaerunt in „feriae", quae et „fesiae" ab antiquis dicebantur; unde inserta litera t factum esse putant vocabulum „festus". Alii vocem a *φῶς*, alii ab *ἑσθιάω*, alii aliunde repetunt. Verum licet parum certae sit originis, latinis tamen dies festus sine ulla dubitatione erat feriatus, laetus, jucundus, ac nominatim tempus, quod cessatione ab opere, ludis, conviviis apparatuque laetitiae celebrabatur.

Justum est, inquit catechismus romanus[1]), ac rationi consentaneum, nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque nostrum, a quo summa et innumerabilia beneficia accepimus, agnoscamus, colamus ac veneremur. Si enim jussisset, nos quotidie religionis cultum sibi tribuere, nonne pro suis erga nos beneficiis, quae maxima et infinita sunt, omnis opera danda esset, ut prompto alacrique animo ejus dicto audientes essemus? Nunc vero, paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est, cur nos negligentes atque difficiles in ejus officii functione simus, quod sine gravissima culpa praetermittere non possumus. — Et haec quidem de instituendis ac sanctificandis diebus festis.

Triplex est imminuendorum festorum inita ratio; aut enim legitima auctoritate omnino tolluntur (festa abrogata); aut tota clero relicta celebritas templorum parietibus finitur (festa chori); aut ita sunt dies festi agendi, ut fideles, nisi audita missa laborare suisque rebus temporalibus vacare non possint (festa intercisa). Sed ea re videatur cit. *Kalendar.* t. 1, p. 34.

Praesenti capite synodus plenaria de ea festorum immutatione agit, quae ad uniformitatem in status illos inducendam requiritur.

De diebus festis in ditionibus foederatis rite ac sine varietate agendis, episcopis indultum jam est concessum anno 1885, quod hoc capite fuerat praeparatum quodque a nobis explicatum relegas ex priori commentarii parte, pp. 220—224. Aliam orationem non desiderat decretum.

Ut in libello supplici ad Summum Pontificem dato (l. c.), sic et in praesenti decreto causam festorum numeri in America imminuendi patres baltimorenses inde repetunt, quod adjuncta rerum ac locorum chri-

---

[1]) De tertio praecepto decalogi (part. 3, c. 4), n. 27.

stianam multorum festorum sanctificationem omnino impossibilem reddant, quum patroni acatholici, apud quos fideles quotidianum victum laboribus suis comparare debent, cessationem ab opere non permittant. Est scilicet christiana festorum sanctificatio in eo posita, ut non tantum missam audiamus, sed etiam, omisso labore servili, diem in divinis laudibus, in precibus atque in caeteris religionis officiis transigamus, quae catechismus romanus singillatim exponit[1]). Jam vero nihil horum ab operis fieri acatholici sinunt, qui eas diurna mercede conducunt.

Caeteras sanctificationis rationes, diebus festis et dominicis communes, ad caput proxime sequens rejicimus.

Quae in rubrica indicatur „uniformitas in jejuniis", ea in textu, numero finali (112), „difficilius adhuc obtineri posse" dicitur; quapropter concludunt patres, „satius videri, ut relinquatur judiciis episcoporum ea statuere in synodis provincialibus, quae suis provinciis magis in Domino judicaverint expedire".

Ad hoc disciplinae caput, praeter dist. 41, 47 et plures canones dist. 3 et 5 de cons., spectat decretalium titulus „de observatione jejuniorum" (III, 46), in quo exponendo interpretes omnia late ac diligenter persequuntur, quae de jejunio ciborumque genere sunt observanda.

Exinde praecipuae jejunii et abstinentiae leges in obvios libros theologiae moralis transierunt, ubi eas juventus theologica discere solet.

De jejuniis, quae a christianis variorum orientalium rituum in America degentibus magna austeritate observantur, quaeque nec uniformia sunt inter se, nec cum jejuniis latinae ecclesiae conveniunt, singillatim egimus in cit. *Kalendario utriusque ecclesiae*, ad

---

[1]) L. c. n. 26.

quod auditoribus nostris semper apertus est aditus. Quae animadversio ideo erat expressa facienda, quod, quum fideles rituum orientalium per se non obligentur legibus disciplinaribus ecclesiae latinae[1]), etiam synodicis his decretis de jejunio non attingantur, qui, v. g., ritui graeco sunt in America addicti. Reperiuntur autem in ditionibus foederatis Americae septentrionalis, praeter numerosissimos schismaticos, multi christiani ritus graeci ecclesiae catholicae uniti, qui fere omnes ex Austria et Hungaria in novum orbem, praesertim in statum Pensylvaniae, immigrarunt ibique ab europaeis sacerdotibus sui ritus reguntur et sacramentis divinisque omnibus providentur[2]). Sic, ut nonnulla exempla adscribantur, sacerdotes e catholica dioecesi eperjesiensi ritus graeci, in Hungaria, habent Graeco-rutheni in Kingston (dioecesis scrantonensis) et in Minneapolis (archidioecesis s. Pauli); e catholica dioecesi munkácsiensi ritus graeci, in Hungaria, parochos acceperunt, qui eundem ritum sequuntur in Wilkesbarre et in Hazleton, quae loca sunt in laudata dioecesi scrantonensi sita; qui in urbe Shenandoah (archidioecesis philadelphiensis) consederunt, suum nanciscuntur parochum ex archidioecesi ritus graeci leopoliensi, in Galicia; qui magno numero Neo-eboraci, in Freeland et alibi commorantur ritus graeci fideles, parochos nondum habere potuerunt.

---

[1]) Videsis, quae ea de re diximus in adducto *Kalendario utriusque ecclesiae,* t. 2, pp. 483—484.

[2]) Ex Europa necessario adscisci debebunt sacerdotes ritus graeci, usquedum Sedes apostolica ejus ritus christianis proprium episcopum dederit, qui ordinationes clericorum ritu graeco in ipsa America legitime celebret.

Caput III.

De observantia diei dominicae.

„Observantiam“[1]) in rubro capitis expressam ex nigro seu ex textu decreti ipsam patet esse christianam diei sanctificationem, quam ex mente catechismi romani in eo positam esse monuimus, ut a vetitis laboribus abstinentes sacrosancto missae sacrificio praesentes simus ac diem in idoneis religionis exercitiis transigamus, negotiis omnibus sedulo vitatis, quae aut sua natura mala sunt, aut „animum a divinarum rerum studio avocant et nos a Dei amore prorsus sejungunt“[2]). „Inter hujusmodi, inquiunt patres baltimorenses n. 113, summum certe locum occupat popinarum seu cauponarum hac die commercium, a quo in religionem et societatem tot ac tanta scaturiunt damna“.

Ad cessationem a laboribus vetitis spectat c. Jejunia 16. dist., cujus ultima pars ejusmodi universale interdictum continet: „Die dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum. Nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum hymnis et psalmis et canticis spiritualibus dies illa transigatur“. Itemque, praeter alia capita, huc pertinet c. Omnes 1. X. de feriis, quo jubentur christifideles „omnibus diebus dominicis ab omni illicito opere abstinere: ut in his mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad

---

[1]) „Observantia“, verbale ab observo, qua significat custodire, servare, colere, sumitur pro custodia, obedientia, executione, et in legibus maxime pro cultu divino: quemadmodum et clerici „observantes“ dicuntur, qui regulis canonicis rite servatis munia consueta sibique imposita exequuntur. Eodem significatu modo adhibitum vidimus nomen „observatio“ in rubrica tituli de „observatione jejuniorum“. S. Isidorus tamen inter observantiam et observationem hoc discrimen statuit *Different.* l. 1, n. 400: „Observatio“ curae, doctrinae, artis est; „observantia“ vero cultus et religionis. (Apud Migne, Patr. l. t. 83, p. 51).

[2]) Ita catechism. roman. l. c., n. 22.

mortem vel ad poenam judicetur, nec sacramenta, nisi pro pace vel alia necessitate, praestentur", h. e., notante rubrica capitis, „diebus dominicis mercari, litigari, judicari[1]) vel jurari[2]) non debet".

De operibus servilibus die festo prohibitis non est, quod dicamus, quum hoc argumentum etiam praeoccupatum ab auctoribus theologiae moralis sit[3]). Ex catechismo romano[4]) id unum addimus, „existimandum non esse, earum rerum opera hac lege prohiberi, quarum jactura facienda sit, si die festo praetermittantur, quemadmodum sacris etiam canonibus permissum est[5]). Multa alia Dominus in evangelio festis diebus fieri posse declaravit, quae facile parochus apud sanctos Matthaeum[6]) et Joannem[7]) observabit": quaeque „necessitate urgente vel pietate suadente"[8]) facta conspiciuntur; „in operibus misericordiae quippe dierum distinctio non est habenda", quemadmodum recte animadvertit gl. ad c. Conquestus cit. et belle confirmat Prosperi versu adscripto:

„Non recto servat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum".

Qua eadem interpretationis regula ad acta judicialia translata, glossa plures articulos ibidem enumerat, qui necessitatis vel pietatis causa die festo expediri possunt. Ex iis praecipuos idoneis animadversionibus expositos vide apud Schmalzgrueber, l. 2, tit. 9, §. 2, nn. 52—53.

---

[1]) Acta judicialia die festo exercita ipso jure irrita sunt.

[2]) „Pro pace quidem vel pro alia necessitate omni die jurari potest, quum sit opus pietatis". Ita gl. ad h. l.

[3]) De notione „operis servilis" videatur Gury-Ballerini, t. 1, n. 354, adnotatione a.

[4]) L. c., n. 24.

[5]) Ex c. Licet 3. X. de feriis episcopus v. g. urgente necessitate piscandi tribuit facultatem, si praeclara sit occasio piscandi, quae alio die haberi non possit.

[6]) Cap. 12. [7]) CC. 5, 7, 9.

[8]) C. Conquestus 5. X. de feriis.

Inter „opera, in quibus christiani diebus festis praecipue se exercere debent", catechismus romanus id primo loco recenset, „ut ad Dei templum accedamus, eoque in loco pia sinceraque animi attentione sacrosanctae missae sacrificio intersimus"[1]). Ejus officii rationes ex tribus canonibus 62, 64, 65 dist. 1. de cons., quos meliores catechismi editiones in margine indicant, erui facile possunt. Ex iis, ut unum adscribamus, 64 ita habet: „Missas die dominico saecularibus totas audire speciali ordine praecipimus: ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat. Quodsi fecerint, ab episcopo publice confundantur". Quaecumque ad praeceptum de missa rite audienda pertinent, a professoribus theologiae sive moralis sive pastoralis exacte tradita reperies. Iis ut aliquid tamen, ex scriniis interpretum desumptum, adjungamus, paucis de ipso nomine „missae" dicemus.

Ac primo quidem sunt, qui vocabulum missae apud christifideles exoticum esse contendant, hebraicum scilicet aut graecum. Alii enim vocem hebraicam esse putarunt ex Deuteron. 16, 10, ubi nomen „missah" pro oblatione accipitur[2]). Alii originem graecam arcessiverunt a *μύησις*, initiatio in sacris[3]). Verum plerique omnes recentiores nomen esse docent non exoticum, sed latinum, deductum sive a missu seu ferculo[4]), sive a verbo mitto; missam quippe dictam volunt vel propter coelestia bona ad populum missa, vel propter preces per ministerium sacerdotis ad Deum missas, vel propter dimissionem sive catechumenorum dum-

---

[1]) L. c., n. 26.

[2]) Miram vocabuli missae originem nuperrime ex hebraico „siloë" (missus) invenit Lowey, *Die mystischen Bezeichnungen Jesu Christi als Siloë.* Paderborn, Schoeningh. 1888.

[3]) *Μυέω, μυῶ*, instruo, initio in sacris, cultum divinum doceo. Inde veniunt nota vocabula *μυσταγωγέω, μυστήριον, μύστης*.

[4]) Latinis missus in coenis sunt singulae ferculorum illationes in mensam.

taxat, sive totius populi, solemni formula factam: „Ite‘ missa est!“

Relictis prioribus conjecturis, ultima haec sententia omnino est tenenda, qua statuitur, missam fuisse appellatam a missione seu dimissione populo indicta sive catechumenis abire jussis, sive ipsis fidelibus post peractum sacrificium ab ecclesia rite dimissis. Coepit nimirum in ecclesia latina vox missae pro incruento christifidelium sacrificio ideo usurpari, quod ante illud dimitti consuevissent catechumeni, dicente diacono: „Ite, missa est“; h. e., Excedite! dimissio vobis est indicta! Et ista proprie erat dimissio seu „missa catechumenorum“[1]). Alii vero censent missam fuisse dictam a „missa fidelium“ seu ab ultima missione totius populi, quae finito missae sacrificio adhuc obtinet, diacono recitante formula: „Ite, missa est!“: et qua fideles solemniter dimittuntur atque ad sua quisque negotia privata abire jam sinuntur. — Sunt etiam, qui nomen missae in utraque illa dimissione, catechumenorum et fidelium, usurpatam velint pro fine seu completione s. liturgiae, quum ex Cassiano aliisque veteribus scriptoribus constet, et missam fuisse pro fine acceptam, et generatim missum esse vel fieri tantundem valere ac finitum et completum esse. Sic igitur intelligunt dimissionis formulam: Abite, officium divinum, cui interesse potuistis, finitum ac completum est!

Propter geminam illam missam, catechumenis ac fidelibus in eadem liturgia indictam, multis factum esse videtur, ut veteres christiani scriptores passim „missarum solemnia“ plurative dicerent, de uno eodemque sacro loquentes. Sic s. Gregorius M., *Dialog.* l. 3, c. 3: „Protinus, inquit, venerandus vir orationi incu-

---

[1]) Variis poenitentiae publicae gradibus etiam propriae ac distinctae erant dimissiones ab ecclesia, seu missae, quemadmodum scite animadvertit cl. Bickell, *Liturgie,* apud Kraus, Real-Encyklopaedie der christl. Alterthümer, t. 2, p. 314.

buit, et missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotenti immolavit"[1]).

Quod ex synonymis jam attulimus, vocabulum „liturgia" (λειτουργία) graecum est, sed civitate romana donatum. Compositum apparet ex λήϊτος (λεῖτος), publicus (a λαός, ληός, populus) et ἔργον, opus, ita ut ex sua origine sit publicum munus sive ministerium.

Varia est ac copiosa vocis homonymia; sumitur enim missa 1. pro toto officio sacro, utramque missam, catechumenorum et fidelium, comprehendente; 2. pro missa catechumenorum tantum, h. e., pro oblationibus et precibus, quae ab initio liturgiae usque ad dimissionem catechumenorum expleantur; 3. pro missa fidelium, h. e., pro ea liturgiae parte, quae est ab offertorio usque ad finem; 4. pro collectis seu orationibus, quae in missa fidelium legi consueverunt; 5. pro ipso officio divino, h. e., vel matutino vel vespertino; 6. pro ipsa festivitate, a potiori ejus parte denominata[2]).

De reliquis pietatis et caritatis operibus, quibus fideles die festo „corpori convenientem praebentes quietem, et cum vicinis et amicis libertatem carpentes filiorum Dei"[3]), se exercere debent, videatur catechismus romanus l. c. n. 26.

Caput IV.

De musica sacra.

Singula hujus capitis decreta suos in corpore juris canones habent, unde illustrari commode possunt. Praecipuum inter eos locum obtinet decretalis extravag. „Docta" (de vita et honestate clericorum), quam

---

[1]) Apud Migne, Patrol. lat. t. 77, p. 224.

[2]) Conferri de praesenti materia possunt Bona, *Rer. liturg.* l. 1, c. 1; Benedict. PP. XIV., *De ss. missae sacrificio,* l. 2, c. 1; Gerbert, *Princip. theol. liturg.,* sect. 1, c. 2; Rottmanner, *Ueber die ältere und neuere Deutung des Wortes Missa* (Tübinger Quartalschrift, 1889, pp. 531—557).

[3]) Verba sunt patrum baltimorensium h. l.

in priori commentarii parte exhibuimus pp. 118—119. Ex caeteris canonibus selectas tantum sententias huc transscribemus, praemissa tamen brevi ipsius rubricae interpretatione, et primo quidem vocabuli „musicae", quod identidem in fontibus occurrit.

„Musica", nomen adjectivum a musa, proprie ad musas pertinens, h. e., ad liberales disciplinas[1]), praesertim ad poësin et cantum; absolute vero ac substantivorum more accipitur pro arte cantandi seu pro scientia, quae modum canendi docet, indeque translate ipsum cantum significat. Atque hoc sensu solemnis ille canendi modus, „qui docta sanctorum patrum auctoritate in divinae laudis officiis modesta gravitate ac placida modulatione illibate" est adhibendus, ab ipso Summo Pontifice Joanne XXII. cit. c. Docta. „bene morata[2]) musica" vocatur.

„Sacra" autem dicitur musica, quod in sacrosancto sacrificio adhibita caeterisque divinae laudis officiis inserviens ad eum finem sit instituta, ut „cantibus omnium devotio in Deum accendatur", quemadmodum idem Papa ait l. c.[3]). Et haec quidem de rubrica capitis.

Argumentum ipsum in quatuor partes distinguitur. Initio quippe synodus finem musicae sacrae describit (n. 114), eoque praestituto, deinde tribus numeris (115—117) id agit, ut musica profana atque a dignitate ritus ecclesiastici aliena ex ecclesiis eliminetur, in ejus locum vero musica „bene morata" introducatur

---

[1]) Antiquis musae erant deae, liberalium artium praesides. Inde vocabulum musa metonymice sumitur pro quavis disciplina liberali, praesertim pro cantu et carmine.

[2]) Moratus, adjectivum a mos, est bonis moribus praeditus; et active, bonos convenientesque mores et affectus tribuens. Unde „bene morata musica" bonis moribus seu legibus regitur, ac bonos aptosque affectus et mores omnibus tribuit.

[3]) Inde est, cur glossa animadvertat, decretalem „Docta", „potuisse poni, et forte aptius, sub titulo de celebratione missarum".

ac foveatur; quarto tandem scholas cantus gregoriani impense commendat.

Praeeunte decretali „Docta“ patres baltimorenses proprium musicae sacrae finem in eo positum esse tradunt, „ut affectus hominum melius provocentur in Deum, et magnificentius Deus colatur“.

Interdictum profanae et a dignitate divinorum officiorum alienae musicae ab ipso synodo multis constitutionibus pontificiis munitum conspicitur. Iis praeter c. Docta addi possunt canones 1 et 2 dist. 92, ubi „ii, quibus psallendi in ecclesia officium est, serio monentur, non in tragoedorum modum guttur et fauces dulci medicamine esse liniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica[1]). Apud profanae musicae cultores quippe „plerumque fit, ut in sacro ministerio dum blanda vox quaeritur, quaeri congrua vita negligatur, et cantor minister Deum stimulet[2]), dum populum vocibus delectat“. — Alii abusus artis musicae in ecclesia a concilio plenario notati illustrari ex variis illis excessibus musicae male moratae possunt, quos Joannes PP. XXII. c. Docta „relegare, imo prorsus abjicere, et ab eadem ecclesia Dei profligare efficacius properavit“.

Quod patres baltimorenses penultimo numero praecipiunt, „ut musica cum temporum varietate et cum qualitate festorum concordet“: id ex mente sacrorum canonum omnino ad dotes musicae bene moratae pertinet. Volunt enim canones, ut „ordo et modus canendi in choro servetur pro solemnitate et tempore“[3]); nunc ut „psalmorum decantatio cum puritate ac serenitate ac spiritualitate fiat“[4]); nunc ut cantores „ita miserabiliter[5]) pronuntient, ut animos audientium ad

---

[1]) „Ut populum delectet“. Ita gl. ad c. Cantantes 1. cit.
[2]) „Exasperet contra se“. Ita gl. ad c. In sancta 2. cit.
[3]) C. Perlectis 1. dist. 21. [4]) C. Non mediocriter dist. 5. de cons.
[5]) „Non per pravam et raucam vocem, sed potius per altam ad sonoram, ut ex sequentibus patet“. Ita gl. ad h. l.

compunctionem excitent atque ad luctum lamentationemque compellant"[1]): cantu scilicet ad tempora et festa accommodato.

Ultima decreti pars tandem, quae est de musica sacra in scholis promovenda, cum antiqua illa traditione cohaeret, qua musica semper adnumerata legitur sacris disciplinis, quas sibi colendas sumere debebant ministri ecclesiae, juxta vulgatum effatum, receptae rationi studiorum veluti fundamentum omnis partitionis disciplinarum praefixum: „In domo Dei quatuor sunt necessaria: grammatica ad verba Dei intelligenda et debito modo exponenda; musica ad laudes Dei decantandas; jus canonicum ad jura ecclesiastica discernenda et defendenda; computus ad festa mobilia et immobilia invenienda"[2]).

Titulus IV.

De sacramentis.

Inter res spirituales, quae propriae juris canonici sunt, sacramenta eminent, de quibus praesenti titulo agitur.

Sacramentum etsi plura significet[3]), hoc loco est visibile signum invisibilis gratiae, ad animarum salutem divinitus institutum. In corpore juris canonici sacramentum brevi oratione dicitur „invisibilis gratiae visibilis forma"[4]); in catechismo romano autem accuratius definitur „res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet"[5]). Et haec quidem de notione

---

[1]) C. Cleros 1. dist. 21.

[2]) Cfr. Disputat. academ. III, pp. 144—145.

[3]) Vide quae de multiplici nominis sacramenti significatione habet Devoti, *Instit. can.*, l. 2, tit. 2, §. 1.

[4]) C. Sacrificium 32. dist. 2. de cons.

[5]) Part. 1, c. 1, n. 11.

tituli ex fontibus disciplinae nostrae innuisse sufficiat. Caetera, quae de sacramentis in genere disputari a canonistis solent, ex scholastica consuetudine jam ad theologos pertinent.

Ex sacramentis duo in specie considerant patres baltimorenses, baptismum et matrimonium. Eos pari passu sequemur, decreta brevi interpretatione declaraturi.

Caput I.

De baptismate neo-conversorum.

Maximam diligentiam ac cautionem baptismo neoconversis conferendo adhiberi oportet; diligentiam quidem, ne „qui Christi ovili incorporari postulant, sacramento ad salutem necessario priventur"; cautione vero, ne „sacramentum istud prorsus initerabile temere renovetur". Huc redeunt, quae tribus continuis numeris (120—122) a synodo sunt statuta.

In corpore juris nostri varia est sedes materiae; ad eam quippe, praeter plurima loca decreti Gratiani, pertinent tituli decretalium „De baptismo et ejus effectu" (III, 42) et „De apostatis et reiterantibus baptisma" (V, 9). Et ut „gravissimum scelus a reiterante baptisma commissum" statim ex inspecta ratione ultimi hujus tituli lector agnoscat, glossam rubricae subjectam adscribimus: „Quoniam reiterantes baptismum videntur apostatare, dum recedunt a priori baptismate, ideo ista rubrica subdit „de reiterantibus baptisma".

Ex locis citatis tria doctrinae capita huc faciunt: 1. De charactere per baptismum in anima impresso, qui deleri non potest; 2. de interdicto iterandi baptismum; 3. de baptismo conditionate conferendo, si post diligentem inquisitionem adhuc de baptismo rite collato dubium fuerit super.

Baptismo fixum certumque characterem imprimi, h. e., notam animo insculptam, quae semper maneat,

ex jure sacro adeo manifestum est, ut glossa ad c. Licite 2. C. 32. q. 7 simpliciter dicere potuerit, „quod anima semel baptizata nunquam debet iterum baptizari, etsi millies quis mortuus resuscitaretur ad vitam; quum baptisma non deleatur morte“: quemadmodum, notante eadem gl., nec ordinatus, post mortem resuscitatus, esset denuo ordinandus: quia character semel impressus manet in aeternum[1]).

Semper quidem certum atque exploratum juris interpretibus erat, „rebaptizare magnum peccatum, immanissimum scelus[2]) esse et inexpiabile facinus“[3]); sed circa propriam hujus sacrilegii causam non una erat antiquorum opinio. Dum enim plerique contenderent, idcirco sacramentum nefas esse iterare, quod character baptismo semel impressus deleri nequeat, „contra dixerunt quidam, quod si prius fuit baptizatus, eundem characterem iterare non est inconveniens, ut reiteretur, arg. illius c. 78. dist. Presbyteri; et attulerunt simile: quia eadem possessio ex pluribus causis acquiritur π. de acquir. poss. possideri. §. Si ex pluribus“[4]). „Dixerunt immo, quod si millies ordinatur presbyter, tot presbyterales ordines recipit, quot recipit sacerdotia, sicut qui rebaptizatur; aliter enim quomodo fieret injuria sacramento, ut infra de cons. dist. 4. ostenditur; vel quomodo diceretur quis bis baptizari, ut infra de cons. dist 4. Qui bis et c. Eos? Item, quum dicatur: accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum (C. 1, q. 1. Detrahe). Ergo quoties dicuntur verba illa et apponitur elementum, fit novum sacramentum. Nam et saepius aliquis excommunicatur, et ex pluribus causis aliquis possidet rem ali-

---

[1]) Alios canones ad eandem materiam spectantes indicatos vide in „margarita decreti Gratiani“ sub v. character.

[2]) C. Rebaptizare 108 dist. 4. de cons.

[3]) C. Quum itaque 112 eod. l.

[4]) Ita gl. ad C. de quibus 2. X. de baptismo v. baptizo.

quam"[1]). — Sic igitur concluserunt „quidam", causam „immanissimi sceleris" ab anabaptistis commissi aliunde, quam ex praetensa baptismi irreiterabilitate, ut vocant, desumendam esse.

Verum contra eos longe maxima pars doctorum, traditionem „canonicam"[2]) secuta, cum magistro Gratiano semper tenuit, illum, qui rite est in forma ecclesiae baptizatus, propter characterem jam impressum, iterato baptismate „nihil accipere"[3]), et „reiterationem talem ad vocem tantum referri, vel ad opinionem vel ad facti speciem, non autem quoad rei veritatem"[4]).

Ad argumentum vero quod a possessione alicujus rei ex pluribus titulis deductum afferebatur, aliis juris textibus allegatis respondent, ut ecce: „Juxta legum sanctiones quod meum est, ex alia causa meum fieri non potest"[5]); et „reiteratio baptismi nihil addit, sicut secunda manumissio nihil adjicit primae, ut C. de manumiss. vind. l. 2.: sic in sacramento"[6]).

Tandem improbum ausum, characteri semel insculpto, iterato sacramento, alios superinducendi, verbis doctissimi glossatoris Vincentii ita perstringunt: „baptismo animae infigitur quaedam imago sive pictura vel character. Unde si alia imago superponeretur, illa prima pictura obfuscaretur, et ita videretur obfuscari primum sacramentum et injuria eidem fieri"[7]). Atque hinc est, cur nefarium, licet irritum, conatum, repetito sacramento, novum characterem superinducendi, non alienum ab „immanissimo anabaptistarum scelere" putent.

Caeterum inter omnes canonum interpretes semper constitit, ideo etiam sceleris rationem in reiteratione

---

[1]) Ex gl. ad dict. Grat. c. Presbyteri 2. dist. 78, v. non reiteratur.
[2]) Gl. l. c.
[3]) Dict. Grat. cit.
[4]) Ex gl. cit. ad dict. Grat. et ad c. De quibus.
[5]) C. Inter dilectos 6. X. de fide instrument.
[6]) Ex gl. cit.
[7]) Gl. ad c. Ex literis 2. X. de apostatis. v. injuriam.

baptismatis inesse, quod per eam „rursus crucifigatur Christus, quantum in hominibus est; quod qui rebaptizatus fuerit, gratiam passionis Christi et potentiam baptismi visus sit negasse. Baptismus enim Christi passionem significat; et sicut impossibile est, quod rursus crucifigatur Christus, ita impossibile est, quod quis rursus baptizetur; et si quis eo scelere obligatus fuerit, Deum abnegasse censetur, apostata factus"[1]).

Et ista sunt, quae ex sacris canonibus de charactere baptismali deque interdicto iterandi sacramenti enotaremus. Recentiora et ampliora dant theologi, qui sanctiones tridentinas, contra novatores editas[2]), explicatius commentantur.

Quibus de charactere generatim praestitutis, restat, ut breviter ostendatur, cuncta, quae circa baptisma neo-conversorum a synodo plenaria sunt statuta, juxta antiquos canones ad amussim fuisse exarata.

Ac primo quidem, ubi certo constiterit, primum baptisma fuisse invalidum, neo-conversos esse absolute rebaptizandos, id inprimis docetur c. Si quis confugerit 52. C. 1. q. 1, ubi „statutum est, confugientes ad ecclesiam catholicam de Paulinianistis et Cataphrygis rebaptizari omnino debere", quod, praemonente Gratiano, isti haeretici „baptisma non in forma ecclesiae, sed suae perversitatis administrarent". Paulinianistae[3]) quippe „in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizabant"[4]); Cataphrygae vero, quia Spiritum Sanctum perverso sensu quemdam pravum hominem

---

[1]) Cfr. canones in „margarita decreti" indicatos sub vv. baptismus et character. jctis. ubique gl.

[2]) Sess. 7, de sacramentis in genere, can. 9; de baptismo, can. 11. Item sess. 14, de poenitentia, cap. 2; et sess. 23, de sacramento ordinis, can. 4.

[3]) Discipuli Pauli samosateni.

[4]) C. Paulinianistae 53. l. c.

Montanum[1]) credebant"[2]), invalide sacramentum conferebant.

„Quorum similes multi sunt et alii", ita pergit s. Gregorius M. in eodem canone; „tales, quum ad sanctam ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctae trinitatis nomine minime perceperunt". „Tales" neo-conversi ergo et in America sunt ex canonum praescripto absolute baptizandi.

Quae deinde in dubio de valore primi baptismi „diligens investigatio" institui jubetur, ipsa illa est „sollicita examinatio", quam eodem casu „longo tempore" faciendam praecipit s. Leo M. in epistola (166) ad Neonam, episcopum ravennatem, data an. 458 et relata c. Quum itaque 112. dist. 4. de cons.; qui canon, quum praecipua hujus disciplinae capita complectatur, commentario decreti baltimorensis esse poterit. Est autem ejusmodi:[3]) „Quum itaque baptismi sui nihil recordetur, qui regenerationis est cupidus[4]), nec alter attestari de eo possit, qui sciat consecratum, nec ille qui consecratur[5]). Scimus quidem, inexpiabile esse facinus, quoties juxta haereticorum damnata a sanctis patribus instituta cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante sententia, quae nobis unam praedicat in

---

[1]) „Cataphrygarum auctores, ait s. Augustin., fuerunt Montanus tamquam paraclitus, et duae prophetissae ipsius, Prisca et Maximilla. Iis nomen dedit provincia Phrygia, ubi exstiterunt. Adventum Spiritus S. a Domino promissum in se potius, quam in apostolis fuisse asserunt redditum". (De haeresibus, c. 26; apud Migne, Patrol. lat. t. 42, p. 30).

[2]) C. Hi vero haeretici 84. dist. 4. de cons.

[3]) Exstat apud Migne, Patr. lat. t. 54, pp. 1193—1194.

[4]) Agitur de his, qui de captivitate redeuntes, incertum habent, utrum ante captivitatem baptisma consecuti sint (rubr. p. 1191).

[5]) In fonte legitur: „nec alter attestari de eo possit, qui nesciat consecratum, nihil est, in quo peccatum possit obrepere, quum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille qui consecrat. Scimus quidem etc."

trinitate deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum[1]). Sed in hoc nihil simile formidatur; quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur. Atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, et longo tempore (nisi forte supremus finis immineat) indagate, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis; et quum constiterit, hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium; nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus". In eandem sententiam scripta est ejusdem Pontificis epistola (167) ad Rusticum, episcopum narbonensem[2]), in qua, ad inquisitiones 16 et 17, docetur baptizari debere eos, „qui a parentibus christianis parvuli derelicti sunt, et de quibus, utrum baptizati sint, non potest inveniri" (rubr.). Refertur textus canone Si nulla extant 113, qui praecedentem sequitur.

Tertio tandem de baptismo iis sub conditione conferendo, de quibus post „sollicitam examinationem" non constat, num collatus, aut num recte collatus jam sit, animadverti debet, antiquos patres tales absolute baptizari voluisse, nulla expressa conditione apposita: quod fere usque ad octavum saeculum in praxi fuit. Conditionalis formae expressa mentio primum occurrit in statutis s. Bonifacii, episcopi moguntini, quae condita sunt circa an. 745; deinde habetur in capitularibus Caroli M., itemque apud Isaac, episcopum lingonensem[3]). Usum conditionalis formae sua jam aetate multis in locis receptum probavit et ubique servari

---

[1]) Ephes. 4, 5.

[2]) Apud Migne, l. c., pp. 1208—1209.

[3]) Textus hic memoratos in forma integra sistit atque idoneis commentariis illustrat Benedictus PP. XIV. *De synodo dioec.* l. 7 c. 6, nn. 1—9.

jussit Alexander PP. III. in c. De quibus dubium 2. X. de baptismo; ac tandem confirmavit Joannes PP. XXII. apud Baron. seu Raynald. ad an. 1333, n. 42. Exinde igitur conditionalis forma adhiberi debuit in sacramentis, quae iterari non possunt, quando incertum erat, collatane, et an recte collata essent.

Instructio s. Officii de neo-conversorum receptione, quam servari jubet concilium plenarium, exhibetur in collectione lacensi t. 3, pp. 550—551.

Caput II.

De matrimonii sacramento.

Quaestionem de nomine interpretes omittendam non censent, praesertim quod in ipso corpore juris attingatur.

Sunt, qui cum abbate panormitano et Silvestro matrimonium per allusionem dictum putent quasi „matris munium", sive officium, quod prolem concipere, parere, educare ad matrem pertineat, quodque „infans materno magis indigeat solatio quam paterno", quemadmodum habet c. Ex literis 2. X. de convers. infidelium[1]).

Alii verius docent, matrimonium nomen esse a „mater" syllabica adjectione productum eadem ratione qua vocis productione a pater est patrimonium, a sanctus sanctimonia.

Maritalem viri et mulieris conjunctionem matrimonium „dictum esse a matris nomine, non adepto jam, sed cum spe et omine mox adipiscendi", docet Gellius, *Noct. attic.*, l. 18, c. 6. Consentit s. Augustinus, qui causam declaraturus, ob quam mulier duci possit,

---

[1]) Ex causa non dissimili bona nominari patrimonium iidem putant, quod „patris munus" maxime versetur in opibus familiae quaerendis ac arandis.

contra Faustum, l. 19, c. 26, scribit: „matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat foemina nubere, quam ut mater fiat"[1]). Utramque auctoritatem secuti, plures ex recentioribus pro certo tradunt, matrimonium a matre nominari, quod, quum prolis causa suscipiatur, summum votum sit, ut ea, quae ducitur, mater fiat.

Verum Gregorius PP. IX. c. Ex literis cit. judicat, datum hoc laboribus, quos mulieres circa prolem sufferunt, ut ab ipsis potius quam a viris eorum conjunctio nomen accipiat. „Ex hoc, inquit, legitima conjunctio maris et foeminae magis matrimonium quam patrimonium nuncupatur, quod infans matri ante partum laboriosus esse noscatur". — „Et haec est ratio, ait gl. ad h. l., quae consuevit assignari a doctoribus, quare potius dicatur matrimonium quam patrimonium"; quia magis concurrit mater, prolem caute gestando, difficulter pariendo, sollicite nutriendo et accurate educando. Et ita factum est, ut tanquam certa traderetur haec „responsio ad propositam quaestionem de nominis causa; quia plura onera matrimonii subit et tolerat mulier; est enim in conceptu gravida, in partu dolorosa, in lactando laboriosa"[2]).

Et haec pro instituto nostro sufficiunt. Alia de rationibus vocabuli, ubi lubitum fuerit, reperiri poterunt apud Schmalzgrueber, l. 4, tit. 1. nn. 221 seqq. et Wiestner, eod. tit. nn. 127—128, atque in fontibus ab iisdem indicatis.

Praestabilito fundamento dogmatis catholici, quod sola ecclesia sit judex competens in causis matrimonialibus (n. 123), patres baltimorenses longa numerorum serie (124—134) varias regulas canonicas sanciunt, ad quas solutio difficiliorum casuum in statibus foederatis occurrentium exigi debeat, praesertim quum agitur

---

[1]) Apud Migne, Patr. lat., t. 42, p. 365.

[2]) Gl. ad Caus. 27. in princ.

de vinculo matrimonii consummati solvendo, aut de separatione tori concedenda, aut de matrimonio mixto permittendo.

Fundamentum competentiae ecclesiae breviter sic probat synodus: „Quum matrimonii contractus sit unum ex septem legis evangelicae sacramentis, ad solam ecclesiam, cui tota de sacramentis cura a Christo concredita fuit, pertinet de validitate matrimonii, et de juribus et obligationibus ex eodem derivantibus judicium ferre. Quam ob rem concilium tridentinum[1]) definivit: ‚Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos: anathema sit' ".

Matrimonii nomine, in themate proposito, intelligitur tum ipse contractus „mutuo consensu, regulariter per verba de praesenti expresso[2]), initus", tum vinculum, quod ex contractu oritur et quod solvi non potest.

Utrovis sensu vocabulum accipiatur, definiri matrimonium potest „legitima conjunctio maris et foeminae individuam vitae consuetudinem retinens"[3]); in priori vocis acceptione nomen „conjunctio" sumitur causaliter atque effective, et definitio ita redditur: „matrimonium est contractus, quo mas et foemina, nullo jure impediti, se ad individuam vitae societatem et mutuam corporum traditionem in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis obligant". Ad vinculum autem translata seu formaliter accepta dictione „conjunctio", sensus definitionis est, quod „matrimonium sit perpetua et indissolubilis conjunctio seu vinculum viri et foe-

---

[1]) Sess. 24, de sacramento matrimonii, can. 12.

[2]) Dum Eugenius PP. IV. „causam efficientem matrimonii regulariter esse docet mutuum consensum per verba de praesenti expressum" (*Decret. pro Armen.*, edit. die 22. novemb. 1439), haud obscure adsignificat, consensum etiam signis declarari posse, dummodo tamen constet, eum ad tempus praesens referri.

[3]) Cfr. C. Illud 11. X. de praesumptionibus, et C. Ex literis 2. X. de conversione infidel. Videatur etiam C. 27, q. 2. Dict. Grat. in princ. §. 2.

minae, ortum ex mutuo eorum consensu, verbis de praesenti vel aliis signis expresso".

Dum patres baltimorenses „matrimonii contractum unum ex septem legis evangelicae sacramentis esse" docent, veram ac catholicam doctrinam contra neotericos profitentur, in lege gratiae ipsum contractum fuisse a Christo Domino ad dignitatem sacramenti evectum, sacramentumque solo contractu inter christianos rite inito perfici, nec fieri unquam posse, ut eorum contractus matrimonialis a sacramento separetur. Materia sacramenti matrimonii scilicet idem ille est contractus, per quem nupturientes suam obstringunt fidem ac perpetuam coeunt vitae societatem; sacramenti ministri autem ipsi sunt contrahentes; indeque patet, formam esse sitam in verbis aut signis, quae consensum exprimunt.

Quapropter audiendi non sunt, qui in matrimonio christiano duos vel tres contractus distinguunt, primum juris naturalis, alterum juris civilis, tertium juris evangelici; christianis quippe contractus unus est, et idem ac sacramentum[1]). Quodsi contractus ille, qui ipse est sacramentum, quandoque contractus civilis dicatur, id inde venit, quod ab eo ineatur, qui simul est civis et christianus, non autem ex eo, quod distinctus a sacramento sit aut quoad valorem suum a legibus civilibus pendeat.

Nec minus improbandi sunt, qui nostra hac aetate cum Freisen[2]) arbitrantur, matrimonium non inito contractu, sed demum maritali corporum conjunctione perfici ac stabiliri[3]). Et quoniam falsa haec opinio aliquam veri speciem inde habere videtur, quod ex

---

[1]) Copiose ea de re disserit, qui auditoribus nostris in manibus est, Hurter, *Compend. theol. dogm.*, t. 3, nn. 727—737.

[2]) In „Archiv für kath. Kirchenrecht", t. 54 (1885, II), pp. 372 seqq.

[3]) De alio errore ejusdem auctoris confersis „Zeitschrift für kath. Theologie", t. 11 (1887), p. 186.

recepto loquendi usu matrimonium per copulam carnalem dicatur „consummari“, de divisione matrimonii, ad quam nomenclatura spectat, paucis est dicendum.

Distinguitur ergo matrimonium in legitimum, ratum et consummatum. Legitimum stricto sensu vocatur, quod secundum leges humanas inter infideles, paganos aut judaeos initur, ac legitimo eorum consensu constat. Ratum est, quod ex regulis christianae religionis a fidelibus contrahitur; et manet ratum, usque dum commercium carnale intercesserit; eo autem exercito matrimonium ex rato efficitur consummatum, scilicet ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi cum ecclesia, cujus conjunctionis causa proprie consummatum dicitur. Matrimonium fidelium ratum et non consummatum „non significat conjugium illud, quod inter Christum et ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum“, sed per „consensum animorum in contractu declaratum designat caritatem, quae consistit in spiritu inter Deum et animam justam“; matrimonium consummatum vero utrumque significat[1]), et utriusque conjunctionis sacramentum sive signaculum est, eoque sensu consummatum dicitur.

Explicationem datam ex recepta interpretatione glossae confirmasse, operae fuerit pretium. Haec igitur ad notissimam illam patrum sententiam, quod matrimonium in desponsatione per spiritualem animorum conjunctionem initietur, in usu vero per corporalem conjunctorum commixtionem perficiatur, glossa ad c. Quum initiatur 35, et c. Quapropter 37, C. 27, q. 2. animadvertit ad vv. initiatur et perficiuntur: „Perficitur

---

[1]) Discrimen inter significationem matrimonii consummati et matrimonii rati tantum pluribus exequitur Innocentius PP. III. c. Debitum 5. X. de bigamis; ubi etiam, „quia in conjunctione Christi cum ecclesia est sponsa unica unici et unus unius“, infertur, in bigamis deesse perfectam significationem sacramenti vel mysterii, h. e., bigamos deficere in mystica illa significatione conjunctionis unius sponsi Christi cum una sponsa virgine ecclesia.

conjugium commixtione corporum, non quo ad sui essentiam, sed quo ad significationem. Non tamen sequitur, quod ante non fuerit perfectum; nam quoad essentiam statim plenum est et perfectum, quia simplex est, sicut et omne sacramentum. Et perfectum amplius potest perfici. Perficitur autem matrimonium per coitum quo ad sui significationem, quia tunc utramque habet significationem animae fidelis ad Deum et Christi ad ecclesiam[1]). — Sed quare separatur matrimonium causa religionis post conjunctionem animae fidelis ad Deum, et non post conjunctionem Christi ad ecclesiam? Ratio est, quia anima separatur a Deo per peccatum: unde non est mirum, quod post talem conjunctionem matrimonium separatur. Sed ista conjunctio Christi ad ecclesiam designatur per unionem, qua unita est divinitas carni humanae in utero virginali, unde quia humana caro nunquam a deitate separata est, ideo post talem conjunctionem matrimonium nunquam dissolvitur".

Sed missis etiam interpretationibus glossae, ex historia ecclesiastica constat, multa vera et proprie dicta matrimonia exstitisse, quin conjuges unquam usi jure suo in copulam sint. Qua de re quoniam alibi jam disseruimus[2]), inde unum locum tantum huc transferimus, Hugonis a s. Victore scilicet, qui vestigia s. Augustini aliorumque patrum secutus, paucis declarat, quomodo translatio dominii in corpus utriusque conjugis, salva conjugii veritate, separari ab usu possit. „Quid enim est conjugium, inquit, nisi legitima societas inter virum et foeminam, in qua videlicet societate ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri?... Spontaneus ergo consensus, inter virum et foeminam legitime factus, quod uterque alteri debitorem sui se

---

[1]) In eandem sententiam ad c. Quum initiatur 5, ejusdem quaestionis, notavit gl., „pactione conjugali, h. e., consensu de praesenti initiari conjugium quo ad significationem", scilicet solius unionis animae fidelis cum Deo per caritatem.

[2]) In „Zeitschrift für kath. Theologie", 1888, pp. 736—737.

spondet, iste est qui conjugium facit. Et conjugium est societas tali consensu foederata, quae, altero vivente, alterum a debito non absolvit. — Est adhuc alius consensus, scilicet carnalis commercii ad invicem exercendi atque reddendi, similem inter virum et mulierem pactionem constituens: comes non effector conjugii, officium et non vinculum, qui et ipse tamen cum pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Quod debitum in hoc quoque consensu dupliciter exhibendum est, ut videlicet uterque se alteri conservet et neuter alteri se neget. . . . Nec tamen hoc officio (ex mutuo consensu) cessante, veritatem sive virtutem conjugii cessare credendum est; imo potius tanto verius et sanctius conjugium esse, quod in solo caritatis vinculo, et non in concupiscentia carnis et libidinis ardore foederatum est. . . . Ecce quo pacto se voluntariae sponsioni adstringunt, ut adhinc et deinceps semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in omni virtute consolationis et fide devotionis, hoc uterque sit alteri, quod ipse sibi, ut quisque alterum quasi unum secum factum attendat, tum in bonis quam in malis omnibus, sicut consolationis socium, ita et tribulationis et sufferentiae indivisum exhibeat. . . . Sic in sanctae societatis pace et communicatione quiescentibus fit, ut dum uterque non sibi vivit, sed alteri, felicius atque beatius uterque vivat sibi"[1]).

In praesenti materia duo causarum genera praecipue ad contentiosum ecclesiae forum pertinere docet concilium plenarium, quae nimirum spectant sive ad validitatem matrimonii, sive ad jura et obligationes, quae ex matrimonio derivant. Ex juribus et obligationibus prae caeteris memorari debent vinculum conjugale, fides conjugalis, educatio prolis.

---

[1]) *De beatae Mariae virginitate*, c. I. Apud Migne, Patr. lat., t. 176, pp. 859—860.

Vinculum conjugale obligat conjuges ad individuam vitae societatem, aliter tamen in matrimonio legitimo, aliter in rato, aliter tandem in consummato.

Fides conjugalis a conjugibus exigit, ut conjuge vivente cum alia persona matrimonium alter non contrahat, nec ullo modo sive in affectu sive in effectu cum aliena commisceatur; ut vir et uxor sibi debitum reddant; ut ambo conjuges mutuo cohabitent amoremque sibi exhibeant[1]).

Educatio prolis, praeter alimentationem, decentem institutionem in religione, in probis moribus atque in artibus statui convenientibus complectitur. Quae ergo circa ista jura et officia emerserint causae, a judice ecclesiastico erunt noscendae ac finiendae.

Synodus plenaria decretis suis omnino cautum voluit, ne ejusmodi causae unquam a solo competente tribunali ecclesiastico abstractae ad incompetentem judicem saecularem deferrentur. Ea ut rite intelligantur, tria haec de judice incompetente juverit ex utriusque juris praescripto animadvertisse:

1. Acta a judice non competente „viribus non subsistunt“[2]), h. e., ipso jure irrita sunt ac nulla. Etenim fundamentum omnis legitimae disceptationis est fori competentia seu jurisdictio judicis in personam conventam in causa proposita. Sine hac potestate judicis, acta nullius plane sunt momenti et roboris; et nominatim sententia a tali judice lata non tenet“[3]).

2. Personae judiciales in foro, quod certo est incompetens, agentes, citatione effectum sortita, h. e., sententia lata, graves poenas de jure incurrunt. Et actor quidem, qui alterum ad forum certe incompetens trahit, actionem perdit et causam; reus autem, qui actorem cogit, ut se coram tali judice conveniat, ha-

---

[1]) Cfr. Schmalzgrueber, h. t. n. 314.

[2]) Ita reg. juris 26. in 6.

[3]) C. At si clerici 4. X. de judiciis.

betur pro confesso; judex tandem „capitalem sibi animadversionem subeundam esse cognoscat“[1]), si sententiam ferat et executioni mandet. Ex cujus legis rigore, quantumvis ex hodierna praxi mitigato, sequitur, tum judicem, ecclesiasticum etiam, qui limites suae competentiae exercendo contra officium delinquit, tum partes litigantes, qui judicem cogunt, ut ad tribunal suum personas vel causas suae jurisdictioni non subjectas trahat, graviter puniri debere[2]).

3. Si judicis citantis incompetentia est notoria, reus conventus impune non comparet, h. e., non tenetur comparere[3]). Notoria autem est judicis incompetentia, si reus est exemptus de jure communi vel privilegio in corpore juris contento: quo modo clerici sunt exempti a jurisdictione laicorum et religiosi mendicantes a potestate episcoporum. Notoria item judicis incompetentia censetur, si judex incapax est jurisdictionis in causam propositam: qua ratione laici, de jure communi, in rebus spiritualibus judices esse nequeunt[4]): quamvis et consiliarii ecclesiastici et una cum clerico arbitri esse valeant[5]).

Quibus e jure enotatis, patet sacris canonibus omnino consentaneum esse, quod concilium plenarium eos, qui divortium civile sibi a judice saeculari decernendum curaverint, gravibus poenis affectos velit; et eos quidem, qui post sententiam solutionis vinculi nuptialis alias inire nuptias attentaverint, excommunicatione,

---

1) Cfr. L. 5. Cod. de jurisdictione omnium judicum (lib. 3, tit. 13).

2) Si judex ecclesiasticus incompetens fuerit limites potestatis suae transgressus (sive circa causam sibi non subjectam, sive circa personam de sua jurisdictione detractam, sive extra territorium jurisdictioni suae praefixum actum judicialem ponendo), ab illo judice competente, in cujus jura invasit, propulsandus omnimodis est, ut puta, gravi protestatione authentice facta et gravamine ad superiorem (metropolitam vel Papam), ut juris est, delato.

3) Cfr. Pichler, *Jus canon.*, l. 2, tit. 1, nn. 4—7.

4) C. Decernimus 2. X. de judiciis.

5) C. Per tuas literas 9. X. de arbitris

ipso facto incurrenda et ordinario reservata (n. 124); eos vero qui separationem tori atque habitationis, integro vinculo, impetraverint, poenis judicio episcopi determinandis (n. 126).

Praeter detestandum hoc civile divortium patres etiam legitimam illam vinculi nuptialis solutionem, quae per occasionem conversionis conjugis fidelis identidem evenire solet, canonice tractant; solutionem, inquam, quae vel „ex divina concessione" datur, si alter infidelis maneat atque a fideli discedat, aut ejus cohabitatio injuriam Deo afferat ac peccandi occasionem praebeat, vel, si propter impossibilitatem interpellationis conjugis infidelis de his non constiterit, suprema Sedis apostolicae auctoritate decernitur. — Lectorem synodus delegat ad c. Gaudemus 8. X. de divortiis, desumptum ex epistola Innocentii PP. III. ad episcopum tiberiadensem data an. 1200. Sed quid proprie sit ea de re ex catholicae doctrinae norma tenendum, idem Papa explicatius tradit c. Quanto te, quod ibidem positum est sub n. 7., episcopo ferrariensi ita scribens: „Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam con- „vertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis[1]), vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit[2]). Et in hoc casu intelligimus quod ait apostolus: ‚Si infidelis discedit, discedat. Frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi'. Et canon est etiam[3]), in quo dicitur, quod contumelia creatoris solvit jus matrimonii[4])

---

[1]) „Non tamen absque contumelia creatoris". C. Gaudemus.

[2]) Tres casus in decretali contentos Vincentius in gl. his versibus complectitur:

Desere spernentem vel blasphemare volentem;
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem;
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

[3]) C. Si infidelis 2. C. 28, q. 2.

[4]) Ad haec gl. marginalis animadvertit: „Non dicit litera: solvit matrimonium, sed solvit jus matrimonii, h. e., obligationem et servi-

circa eum, qui relinquitur". Iis additur capite Gaudemus: „Quodsi conversus ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur": ex quibus patet, primum nuptiale vinculum „tunc vere primo solvi, quando contrahit cum secunda et non ante": quemadmodum in gl. ad h. l. habetur.

Quod antiquo jure cautum erat, ne conjux fidelis novas iniret nuptias, nisi post certam notitiam obtentam, quod „conjux infidelis ei cohabitare nollet secundum modum in canonibus traditum"[1]): id synodus plenaria merito servandum praescripsit (n. 129), inculcata necessitate „conjugem infidelem circa ejus voluntatem interpellandi". Quum scilicet solis illis tribus casibus, qui in citatis capitibus 7. et 8. de divortiis exprimuntur, conjugi fideli concessum sit „ad secunda vota transire", manifestum est, sine praevia investigatione ac monitione sciri non posse, an facultati iterum nubendi ex doctrina apostoli locus supersit. Saepe enim fit, ut conjuges ad fidem conversi de numero illorum sint, qui olim per vim rapti atque in servitutem in longinquas terras abducti, non solum non dicendi sunt in sensu apostoli ab invicem discessisse, sed imo nihil ardentius quam restitutionem mutuam desiderant. Eo in statu essentialis illa conditio deest, quae secundum s. Paulum requiritur, ut fidelis ad alias nuptias, soluto priori vinculo, transire possit. Ne tamen et eo casu miseri ad fidem conversi matrimonio carerent, synodus nostra ad mentem decretorum romanorum subjunxit: „Quodsi conjux infidelis nequeat legitime interpellari, recurrendum est ad S. Sedem pro dispensatione"; ad solvendum scilicet vinculum nuptiale in infidelitate con-

---

tutem": ita ut quod jure indissolubile erat vinculum, jam solvi queat sive novis nuptiis conciliatis, sive dispensatione pontificia, sive professione solemni in religione facta. De ultimo casu videatur Sanchez, *De matrimonio*, l. 7, disp. 77, n. 9.

[1]) Cfr. gl. ad c. Quanto te cit. v. qui relinquitur.

tractum; et quidem vi supremae potestatis apostolicae, qua ejusmodi matrimonia infidelium, nondum post conversionem ad fidem consummata, sed ut mere rata, „necessitate suadente solvuntur“. Et ita quidem hujus interpellationis rationes ex locis authenticis interpretantur Ballerini, *Adnot. ad Gury*, t. 2, n. 759; Biederlack, *Ueber das sogenannte paulinische Privileg*, (Zeitschrift für kath. Theologie, 1883); Lehmkuhl, *Theol. moral.*, nn. 706—709: expeditis etiam argumentis eorum doctorum, qui eo in casu recurrendum ad Sedem apostolicam esse tradunt „pro dispensatione ad supplendam interpellationem conjugis infidelis“.

Qui reliqui sunt hujus capitis numeri ad duo impedimenta matrimonium impedientia referuntur, ad ignorantiam elementorum christianae religionis et ad disparitatem cultus inter baptizatos. Quemadmodum autem et quibus legibus interdum a Sede apostolica matrimonia mixta permittantur, synodus ex variis fontibus late explicat, quos norunt omnes, qui theologiam moralem ac pastoralem in scholis nostris didicerunt. Inde est, quod in declarandis praescriptis cautionibus et canonicis causis non immoremur.

Ad catholicos solemniter conjungentes nuptias cum haereticis ea excommunicatio spectare videtur, quae lata est „in catholicos, qui coram ministro cujuscunque sectae acatholicae contraxerint vel attentaverint“ (n. 127).

Caetera pertinent ad custodiam regularum pastoralium, quae in Rituali romano, *de sacramento matrimonii* praescripta leguntur; ut ecce: „Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui et quales sint, qui matrimonium contrahere volunt . . ., an uterque sciat rudimenta fidei. . . . Habeat in primis ipse bene cognita praecepta illa omnia, quae in matrimoniis rite conficiendis servari oportere sacri

canones . . . jubent; dabitque operam, ut illa in parochia sua accurate exacteque serventur".

Requisitum „scientiae rudimentorum fidei" examen cum sponsis nullo negotio instituit parochus, qui elementorum doctrinae christianae praeceptor semper in scholis existit. Ast multo difficilior est altera pars examinis seu „investigatio" canonica earum rerum, quae ipsum matrimonium spectant, tum quod argumentum saepe sit valde salebrosum, tum etiam quod ordo totius rei gestae in authentico protocollo accurate perscribi debeat[1]). Atque hinc est, cur aliquod operae pretium apud futuros parochos nos esse merituros arbitremur, si in eruditionem, (non in imitationem) schema exhibeamus, ad quod Oeniponte protocollum de canonica investigatione rite peracta exigi solet. Exemplar ex cancellaria ecclesiae s. Jacobi erutum in ipsa, qua perscriptum est, lingua damus, quum americani auditores nostri, quibus exili hoc commentario servire studemus, germano interprete non indigeant.

---

[1]) In America investigatio eorum, quae nuptias vel prorsus irritas faciunt vel saltem minus honestas, eo accuratius est instituenda, quo facilius nupturientes ex catechismo concilii perperam intellecto induci in opinionis errorem possent, quatuor tantum esse, quae matrimonio contrahendo obstent. In lectione 35, quae est de praeceptis ecclesiae, ad quaestionem, quaenam sint praecipua ecclesiae praecepta (Which are the chief commandments of the Church?) ita respondetur loco 6: „Not to marry persons who are not Catholics, or who are related to us within the fourth degree of kindred, nor privately without witnesses, nor to solemnize marriage at forbidden times". — Ubi vides quatuor tantum impedimenta doceri, nullo discrimine facto inter dirimentia et impedientia, nullaque animadversione adjecta, sintne ascendentium et descendentium nuptiae ipso naturae jure an ecclesiastico solum vetitae. Per praescriptam investigationem canonicam igitur occurrendum est incommodis, quae ex imperfecta rei cognitione oriri possent.

A.

EXAMEN SPONSI.

Stadtpfarre St. Jakob in Innsbruck. **Jahr 18 Nro.**

Protokoll,

aufgenommen mit dem Ehewerber:

Frage	Antwort
1. Wie heissen Sie mit Tauf- und Familiennamen?	
2. Welcher Religion sind Sie? (Ist der Bräutigam einem fremden Kirchensprengel angehörig:) Haben Sie von Ihrem Seelsorger ein Religions-Zeugniss?	
3. An welchem Orte (Lande, Kreise, Bezirke) und an welchem Tage, Monate und Jahre sind Sie geboren und wo getauft worden? Welcher Gemeinde sind Sie angehörig? oder von wo haben Sie einen Heimatschein?	
4. Wie heissen und wessen Standes sind oder waren Ihre Eltern? Wo wohnen, oder (wenn sie verstorben sind) wo wohnten dieselben? Haben Sie etwa Adoptiveltern? wie heissen und wessen Standes sind dieselben? wo wohnen sie?	
5. Wo wohnen Sie gegenwärtig? und wie lang? (Ist der angegebene Zeitraum nicht gesetzlich hinreichend:) Wo wohnten Sie vorher? und wie lang? Haben Sie nicht noch einen andern eigentlichen Wohnsitz? Oder haben Sie gar keinen Wohnsitz?	

Frage	Antwort
6. Sind Sie ledigen Standes oder Witwer? (Bei Witwern:) Wie hiess Ihre † Frau? Wann starb sie? (Bei Protestanten: Sind Sie etwa gesetzlich von Ihrer Gattin geschieden worden und lebt dieselbe noch?	
7. Wessen Amtes, Standes oder Gewerbes sind Sie? Sind Sie noch unter der Militär-Losungspflicht? (bis 1. Jänner nach erfülltem 22. Lebensjahre.) Gehören Sie etwa wirklich dem Militärstande an? Sind Sie Reservemann? oder Patentalinvalide?	
(Wenn die Eltern leben:) 8. Willigen Ihre Eltern in die eheliche Verbindung, welche Sie mit schliessen wollen? (Bei Minderjährigen, deren Vater noch lebt:) Haben Sie die väterliche Zustimmung? (Bei minderjährigen Waisen und unehelichen Kindern:) Haben Sie die obervormundschaftliche Bewilligung?	
9. Haben Sie die erforderliche Erlaubniss (der politischen Personalbehörde, oder Ihres Militär-Commandos, oder Ihrer vorstehenden Behörde), sich verehelichen zu dürfen? (Bei Ausländern, welche noch nicht österreichische Staatsbürger sind:) Haben Sie die Bewilligung zu Ihrer Verehelichung von Ihrer Heimatsbehörde und die Bestätigung der Gesandtschaft?	

Frage	Antwort
10. Haben Sie etwa einer andern Person, ausser Ihrer Braut — (oder vielleicht der Mutter oder Schwester Ihrer Braut) — versprochen, sie zu ehelichen? (Im bejahenden Falle:) Wann? wie haben Sie dies versprochen? Besteht dieses Eheversprechen noch in Kraft? Warum wollen Sie dasselbe nicht erfüllen? oder: Wann und wie ist es aufgelöst worden?	
11. Versprechen Sie ganz frei und ungezwungen, sich mit der Braut verehelichen zu wollen?	
12. Sind Sie mit Ihrer Braut (zufolge ihrer ehelichen oder unehelichen Abstammung) blutsverwandt? und wie?	
13. Sind Sie mit Ihrer Braut bürgerlich verwandt oder verschwägert als Adoptivsohn des oder als Adoptivvater des oder der ?	
(Wenn die Braut Witwe ist und Kinder hat oder hatte — oder wenn sie als ledig uneheliche Kinder hat oder hatte:) 14. Waren Sie etwa eigentlicher Pathe bei der hl. Taufe oder bei der hl. Firmung eines Kindes Ihrer Braut? Sind Sie also mit derselben geistlich verwandt?	
15. Sind Sie mit Ihrer Braut verschwägert? und wie? (A. Wenn der Bräutigam Witwer ist:) War Ihre † Frau (oder eine Ihrer †† Frauen) mit Ihrer Braut ehelich oder unehelich blutsverwandt? und in welchem Grade? (B. Wenn die Braut Witwe ist:) War der † Ehemann (oder einer der †† Ehemänner) Ihrer Braut mit Ihnen ehelich oder unehelich blutsverwandt? und in welchem Grade?	

Frage	Antwort
(Nur dann, wenn ein allgemeines Gerücht oder schwerer gegründeter Verdacht obwaltet, werde gefragt:) 16. Sind Sie etwa auf unehrbare Weise mit Ihrer Braut verschwägert — durch sündhaften Umgang mit einer nahen Blutsverwandten Ihrer Braut? (d. i. mit der Mutter, Schwester, Tante oder einem Geschwisterkinde derselben?)	
(Wenn ein allgemeines Gerücht oder sonst ein schwerbegründeter Verdacht obwaltet, werde gefragt:) 17. Steht Ihrer vorhabenden Verehelichung nicht etwa das Hinderniss des Ehebruches mit Eheversprechen entgegen?	
(Wenn der Seelsorger verlässlich erfährt, oder mit Grund besorgen muss, dass die Braut schwanger sei, so stelle er bescheiden unter vier Augen an den Bräutigam die Erage:) 18. Ist es Ihnen wohl bekannt, dass Ihre Braut schwanger sei oder sein soll?	
19. Haben Sie etwa das Gelübde der Keuschheit, — der beständigen Keuschheit abgelegt, oder gelobt, keine Ehe zu schliessen, oder in einen Orden zu treten, oder die höheren geistlichen Weihen zu empfangen?	

Hierauf wurde das Protokoll vorgelesen und gefertigt.

Unterschrift des Bräutigams:

Innsbruck den

Unterschrift des protokollführenden Seelsorgers:

B.

EXAMEN SPONSAE.

Stadtpfarre St. Jakob in Innsbruck. **Jahr 18 Nro.**

Protokoll,

aufgenommen mit der Braut:

Frage	Antwort
1. Wie heissen Sie mit Tauf- und Familiennamen?	
2. Welcher Religion sind Sie? (Ist sie Protestantin:) Haben Sie von Ihrem Pastor ein Religionszeugniss?	
3. An welchem Orte (Lande, Kreise, Bezirke) und an welchem Tage, Monate und Jahre sind Sie geboren und wo getauft worden? Welcher Gemeinde sind Sie angehörig?	
4. Wie heissen und wessen Standes sind oder waren Ihre Eltern? Wo wohnen, oder (wenn sie verstorben sind) wo wohnten dieselben? Haben Sie etwa Adoptiveltern? wie heissen und wessen Standes sind dieselben? und wo wohnen sie?	
5. Wo wohnen Sie gegenwärtig? und wie lang? (Ist der angegebene Zeitraum nicht gesetzlich hinreichend:) Wo wohnten Sie vorher? und wie lang? Haben Sie nicht noch einen andern eigentlichen Wohnsitz? Oder haben Sie gar keinen Wohnsitz?	

Frage	Antwort
6. Sind Sie ledigen Standes oder Witwe? (Bei Witwen:) Wie hiess Ihr † Ehegatte? Wann und wo starb derselbe? (Ist die gesetzliche Witwenfrist noch nicht abgelaufen:) Haben Sie zu Ihrer vorzeitigen Wiederverehelichung die nöthige Bewilligung? (Bei Protestantinen:) Sind Sie etwa gesetzlich von Ihrem Ehegatten geschieden worden und lebt derselbe noch?	
(Wenn die Eltern leben:) 7. Willigen Ihre Eltern in die eheliche Verbindung, welche Sie mit schliessen wollen? (Bei Minderjährigen, deren Vater noch lebt:) Haben Sie die väterliche Zustimmung? (Bei minderjährigen Waisen und unehelichen Kindern:) Haben Sie die obervormundschaftliche Bewilligung?	
8. Haben Sie etwa einem Andern ausser Ihrem Bräutigam — (oder vielleicht dem Vater oder einem Bruder Ihres Bräutigams — die Ehe versprochen? (Im Bejahungsfalle:) Wann und wie haben Sie dieses Versprechen gegeben? besteht es noch in Kraft? warum wollen Sie es nicht erfüllen? — Oder: wann und wie ist dasselbe aufgelöst worden?	

Frage	Antwort
9. Versprechen Sie ganz frei und ungezwungen, sich mit dem Bräutigam verehelichen zu wollen?	
10. Sind Sie mit Ihrem Bräutigam (zufolge Ihrer ehelichen oder unehelichen Abstammung) blutsverwandt? und in welchem Grade?	
11. Sind Sie mit Ihrem Bräutigam bürgerlich verwandt oder verschwägert als Adoptivtochter des oder als Adoptivmutter des oder der ?	
(Wenn der Bräutigam Witwer ist und eheliche Kinder hat oder hatte — oder wenn er uneheliche Kinder hat oder hatte:) 12. Waren Sie etwa eigentliche Pathin bei der hl. Taufe oder bei der hl. Firmung eines Kindes Ihres Bräutigams? Sind Sie also mit ihm geistlich verwandt?	
13. Sind Sie mit Ihrem Bräutigam verschwägert? (A. Wenn der Bräutigam Witwer ist:) War die † Frau (oder eine der † † Frauen Ihres Bräutigams) mit Ihnen ehelich oder unehelich blutsverwandt? und in welchem Grade? (Wenn die Braut Witwe ist:) War Ihr † Ehegatte (oder einer Ihrer † † Ehegatten) mit Ihrem Bräutigam ehelich oder unehelich blutsverwandt und in welchem Grade?	

Frage	Antwort
(Wenn ein allgemeines Gerücht oder ein schwer begründeter Verdacht obwaltet, werde gefragt:) 14. Sind Sie etwa auf unehrbare Weise mit Ihrem Bräutigam verschwägert — durch sündhaftem Umgang mit einem nahen Verwandten (d. i. mit dem Vater, Bruder, Onkel oder Geschwisterkinde) Ihres Bräutigams?	
(Wenn ein allgemeines Gerücht oder sonst ein gegründeter Verdacht obwaltet, werde gefragt:) 15. Steht Ihrer beabsichtigten Verehelichung nict etwa das Hinderniss des Ehebruches mit Eheversprechen entgegen?	
16. Haben Sie etwa das Gelübde der Keuschheit, — der beständigen Keuschheit abgelegt, oder gelobt, sich nicht zu verehelichen oder in einen Orden zu treten?	

Hierauf wurde das Protokoll vorgelesen und gefertigt.

Unterschrift der Braut:

Innsbruck den

Unterschrift des protokollführenden Seelsorgers:

Comparationis ergo subjungimus articulos „interrogatorios“, quos pro instituendo examine sponsorum synodus dioecesana cincinnatensis anni 1886 tradit in appendice pp. 63—65.

Instructio pro sponsis.

Questions at the first interview. — What parish? Single? Free consent? Any relationship (consangu., affin., spirit.)? Sufficient knowledge of religion? *Before mixed marriages* — Protestant party baptized? Catholic education of children? Non-interference with Catholic party as to religious practices? *If widows* — Assurance of the death of former husband or wife.

Preparatory Instruction.

Principal questions in catechism. — Necessaria medii; chief prayers; precepts of the church; Sacraments, especially Baptism, Eucharist, Penance.

Concerning matrimony. — *Indissolubility* quoad vinculum. Separation a toro et mensa, when allowable, by what authority, marriage tie still remaining intact. Sin of private separation and without a most urgent cause.

Duties of husband and wife toward each other. — Promoting each other's *temporal* happiness. Tacit agreement, love, forbearance, sympathy in adversities, „duo in una carne", sacrifice for each other. Working for each other's *eternal* salvation. By mutual example, admonition, no cause of sin. Mass on Sundays and holy days. Sacraments (church service). Prayer in common (domestic service), reading, etc.

Duties of husband and wife (united) *toward the children.* — *Temporal education:* Care for life and health of children, food, clothing, early training, trade, profession. *Spiritual education:* Early baptism, early correction, early instruction (prayers, principal truths), care of modesty in children, sleeping with parents, distinction of sex in putting children into bed, wicked companions of the neighborhood. Bringing young

children to church, school education, early confession, first communion, confirmation[1]).

Final Exhortation. — 1. To spend the last days of single life in more frequent and fervent prayer. 2. To prepare by a good confession (general, if necessary). If that confession is not made to the pastor (they should be free to make their confession to whomsoever they wish), they should meet him in the confessional a week before and two or three weeks after their wedding-feast. 3. To have a nuptial mass. 4. To exclude all scandal from the wedding-feast.

In confessionali.

Ante matrimonium rector interroget nupturientes de sequentibus: 1. de impedimento affinitatis ex copula illicita, et publicae honestatis; 2. sponsam de consensu libero; 3. sponsum de sua valetudine et indirecte quoad impotentiam; 4. viduum et viduam de impedimento criminis.

Post matrimoninm rector quamprimum, post duas vel tres hebdomades, instruat mulierem de obligatione obediendi marito quoad debitum conjugale, et evitandi quidquid sit illicitum. Caute tamen hac in re loquatur rector, ne partes decentiae aut prudentiae excedat, et ad res minutas ne descendat. Moneat conjuges, verbis tamen generalibus, de peccato gravi impediendi mediis illicitis conceptionem, procurandive abortum; deque cura, quam adhibere debent, ne fetus discrimini vitae ante partum exponatur. Tandem eis consulat ut, ad dubia tollenda de quibusdam actibus, utrum sint liciti necne, interrogent confessarium.

---

[1]) Duties toward step-children the same. The step-father or step-mother must remember that they assume the same obligations toward step-children as they have or will have toward their own.

Titulus V.

De clericorum educatione et instructione.

Praeter res spirituales propriae etiam juris canonici sunt res religiosae, et ex iis nominatim causae piae ecclesiae, quae communiter loca pia vocantur et personalitate juridica, a magistratu concessa, gaudent[1]). Ejusmodi sunt scholae erudiendis atque educandis liberis destinatae, hospitalia, xenodochia, orphanotrophia et caetera loca rite fundata, quae alendis, educandis, sustendandis quibusvis hominibus ope egentibus comparata sunt.

Ad constituendam causam piam sive locum pium quatuor elementa requiruntur, nimirum

1. Certum quoddam peculium seu dos causae perpetuo addicta, ex cujus reditibus atque emolumentis omnes impensae necessario faciendae jugiter praestentur[2]);

2. Finis pietatis vel caritatis eidem peculio ecclesiastica auctoritate assignatus;

3. Personalitas juridica, seu persona quaedam idealis seu fictitia, a legitimo magistratu tamquam subjectum juris creata, cui tum dominium bonorum tum finis causae piae praestitutus inhaerere censetur;

4. Persona physica singularis sive etiam personae plures, quae conditionibus in erectione causae piae

---

[1]) De rationibus personalitatis juridicae recolantur quae dicta superius sunt pp. 85—86.

[2]) Peculium seu dos causae piae etiam constitui potest in certis juribus, quae fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus aequantur, uti sunt census, oblationes, et reliquae generis ejusdem praestationes, quae sive ex communi lege sive ex privata obligatione debentur.

determinatis satisfaciunt ac commoda ex ea vel ipsi soli percipiunt, ut beneficiati ecclesiastici, vel aliis percipienda concedunt, uti rectores locorum piorum, caritatis causa fundatorum, qui detractis expensis reditus omnes in beneficentiam a legibus ipsius loci praescriptam conferunt[1]).

Ex causis piis concilium plenarium loca instituendae juventuti addicta duobus titulis tractat, solito uberius docendo ac decernendo, quod res scholastica sit gravissima, a qua futura conditio ecclesiae in America pendeat. Et titulo 5 quidem de scholis clericalibus disserit, titulo 6 autem de institutione juventutis catholicae, tum de elementaria in scholis parochialibus, tum de politiore in ludis literariis.

Post longiorem patheticam harengam ex binis literis apostolicis Pii PP. IX. desumptam (n. 135), synodus cuncta quae ad clericorum institutionem referuntur, quinque capitibus comprehendit. Ex iis tria priora sunt de seminariis rite constituendis ac regendis; quartum et quintum de doctrinis in seminario haustis postea sedulo fovendis et promovendis.

„Seminarium" latinis proprie est plantarium seu locus in agro, in quo semina seruntur aut surculi arborum et vitium panguntur, ut ubi ad certam quantitatem excreverint, in alium locum, in vinetum, arbustum vel pomerium, transferantur.

Ad hanc rationem in disciplina nostra seminaria vocantur loca pia, reditibus ecclesiasticis instructa, in quibus aluntur et erudiuntur pueri atque adolescentes

---

[1]) Pauperes caeterique homines ope egentes, licet in locis piis excipiantur ac necessaria quaeque, juxta leges fundatione constitutas, certo obtineant; non tamen ideo domini bonorum istorum locorum dici possunt. Unde ferendum non est, quod Winkler tradit, dominium bonorum hospitalis penes „eas personas esse, in quibus (excipiendis et curandis) finis ejusdem, ope bonorum temporalium, obtinetur", h. e., penes ipsos aegrotos, pauperes, senes, qui in nosocomiis et aliis locis piis aluntur, ac curantur (*Lehrbuch des Kirchenrechtes*, p. 388, edit. 2).

liberalibus disciplinis et bonis moribus, ut, ubi ad canonicam altitudinem adoleverint, alio colendae vineae Domini transferantur.

Seminaria alia sunt dioecesana, singulis dioecesibus propria; alia provincialia, toti provinciae communia; alia generalia, quae ad universas ejusdem regni vel reipublicae ecclesias pertinent; cujusmodi est „seminarium principale", quod patres baltimorenses futurae catholicae literarum universitati addictum volunt.

Seminaria dioecesana et provincialia distinguuntur in majora (clericorum) et minora (puerorum). Utraque iisdem legibus tridentinis eriguntur et gubernantur. Quare brevem earum summam uno commentario complectemur.

Caput I. De puerorum seminariis.
Caput II. De seminariis majoribus.

Ex fontibus igitur haec notentur[1]):

1. In seminariis tridentinis admitti non possunt nisi pueri seu adolescentes, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.

2. Pauperum filii praecipue eligi debent; nec tamen ditiorum excluduntur, modo suo sumptu alantur et studium prae se ferant Deo et ecclesiae serviendi.

3. Recipi in alumnorum numerum non possunt nisi qui ex matrimonio legitimo orti duodecimum aetatis annum attigerint[2]), et legere ac scribere didicerint.

4. Quicunque in seminarium admittuntur, debent statim tonsura atque habitu clericali uti.

5. Si plura in dioecesi exstent seminaria, caetera debent ab illo uno majori, quod in civitate erectum fuerit, in omnibus dependere.

---

[1]) Conc. trident., sess. 23, c. 18.

[2]) Cfr. Acta S. Sedis, vol. 9, p. 341.

6. Quamvis ipsi episcopo jus sit atque officium, seminarium pro sua pietate et prudentia administrandi, voluit tamen concilium tridentinum, ut in re tanti momenti uteretur consilio trium deputationum seu commissionum, ex canonicis et clericis civitatis coalescentium. Ex iis prima deputatio est rebus spiritualibus administrandis addicta. Componitur ex duobus canonicis ab episcopo electis, et ipsum episcopum consilio juvare in omnibus debet, quae juvenum institutionem, disciplinam moresque pertinent. — Altera deputatio, pro rebus temporalibus procurandis est instituta, et ex quatuor consiliariis constat, ex duobus canonicis et duobus a clero civitatis. Alterum canonicum episcopus, alterum ipsum capitulum eligit; et ex clero item alterum episcopus, alterum clerus dioecesis designat. — Tertiam deputationem tandem constituunt quatuor consiliarii, duo a capitulo et alii duo a clero civitatis electi, qui episcopo praesentes sunt, quum totius administrationis gestae rationem postulat, quae a seminarii administratoribus unoquoque anno reddenda est[1]). Horum omnium igitur consilium est in rebus sibi attributis adhibendum; et omnes semel constituti a commisso munere sine justa causa removeri nequeunt.

7. Quoniam consultores seminarii ex communi ecclesiae jure sunt adhibendi, episcopus, ut nihil iisdem non auditis valet circa administrationem facere, ita nec seminarium potest gubernandum tradere ordini religioso vel congregationi sive instituto presbyterorum saecularium, ubi consiliariis non amplius esset locus; si enim sine expressa dispensatione Summi Pontificis ejusmodi societati committeretur regendum, canonici et clerus dioecesanus praecipuo suo jure, quod

[1]) In plerisque dioecesibus est usu introductum atque etiam lege firmatum, ut ratio administrationis gestae non coram propria deputatione, sed praesentibus omnibus consultoribus duarum priorum deputationum episcopo reddatur.

ipsis concilium tridentinum voluit assertum, illegitime privarentur. — Quodsi episcopis facultas concedatur, seminarii administrationem ea ratione ordini vel congregationi tradendi, apponi indulto clausula solet: „ita tamen ut alumni ab episcopo nominentur[1]), et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subjectione episcopi[2]).

8. Quamvis clerici, in seminario publice educati, non tenentur sumptus episcopo vel dioecesi reddere, si transire ad religionem velint: liberum tamen est donatoribus seu fundatoribus, sive episcopi ii sint, sive alii quicunque, beneficiis suis eas conditiones adjicere, quae sacris canonibus „de libertate clericorum religionem ingrediendi" non repugnent; scilicet in ipsa erectione et fundatione seminarii vel in ipsa largitione beneficii duo haec circa restituendos sumptus constituere licet: 1. ut ille juvenis seminarii commodis ac beneficiis minime frui valeat, qui firmiter jam constituit, religionem suscipere; et 2. ut ille, qui, postquam seminarium ingressus quidem est intentione statum clericorum saecularium amplectendi, temporis progressu tamen Spiritu Sancto afflatus, propositum capit religionem capessendi, id episcopo significare teneatur, simul ac sanctum ejus propositum satis maturuit, ut eum videlicet episcopus retinere queat, si velit, vel etiam ad religionem statim dimittere, si ita expedire videatur. Sed de his aliisque casibus ad rem praesentem pertinentibus late disseruimus in *Disputationibus academicis*, pp. 91—113.

Et ista quidem sunt principia canonica, quibus nixi patres baltimorenses copiosa sua decreta de se-

---

[1]) Identidem factum legimus, ut episcopis facultas sit concessa, alumnorum admissionem superioribus Seminarii relinquendi.

[2]) Reliqua ad administrationem seminariorum spectantia, praeter caeteros, docet Bouix, *De capitulis*, pp. 470—502, et *De episcopo*, pp. 67—80.

minariis condiderunt, licet ea, pro facultate ab ipso concilio oecumenico sibi tributa[1]), variis in rebus ad peculiaria locorum ac personarum adjuncta accommodarint; ut, quum deputatorum vices per consultores dioecesanos sustineri vellent (n. 176), ac juvenes, in seminarium recepti, praeter disciplinas Tridenti praescriptas[2]), artem tabulas accepti et expensi accurate conficiendi diligenter addiscere juberent; dum alibi, quoad scripturas in archivis parochialibus reponendas, id tantum scire debent, ut quinque vel sex libros parochiales, ex juris necessitate exarandos, rite perscribant. Et merito sane! Licet enim isti codices, in quos computatio acceptorum et expensorum, ex ordine temporum, locorum ac rerum, continentibus atque assiduis notationibus diligenter refertur, non sint de numero librorum canonicorum, qui plenam ubique fidem faciant[3]), sunt tamen documenta genuina, atque ad ordinatam et tutam bonorum temporalium procurationem omnino necessaria, maxime in regionibus, ubi ecclesia privilegiis suis caret et se ad conditionem societatis minoris dejectam videt.

Caeterum perspicua sunt, quae synodus plenaria de alumnis ad theologica studia et ad mores ecclesiasticis viris dignos rite informandis decrevit, nec commentario indigent.

---

[1]) Huc pertinet, quod synodus tridentina in corpore citati capitis habet: „Docebunt magistri, quae videbuntur episcopo expedire".

[2]) „Grammatices, cantus, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent, sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas ediscent". Ita cap. cit.

[3]) Recole, quae de libris parochialibus deque plena, quae in iis inest, vi probandi animadvertimus in priori commentarii parte, pp. 93—94 et 193.

Caput III.

De seminario principali.

Seminarium principale, de quo erigendo patres hoc loco agunt, legibus tridentinis non subjicitur; quum non tam seminarium sit, quam facultas theologica, futurae catholicae universitati addicenda ac statutis propriis regenda. Ejus omniumque generatim facultatum constitutiones, pridem cupide exspectatas[1]), modo jam a Sede apostolica approbatas[2]), quia passim obviae non sunt, hoc loco in forma integra exhibemus, multis rationibus persuasissimum habentes, in iis legendis ac meditandis et delectationis et utilitatis et aedificationis uberem fructum esse capturos sublimiorum literarum amatores.

CONSTITUTIONES GENERALES
CATHOLICÆ UNIVERSITATIS AMERICÆ.

CAPUT I.

De universitatis scopo generali.

I. Catholicae universitatis Americae is perpetuo finis erit, ut juventae in nostra regione optimae cuiusque disciplinae in gradu superiori addiscendae copia suppetat, catholicae veritatis praeeunte lumine.

II. Romanum Pontificem tamquam catholicae ecclesiae supremum moderatorem et magistrum universitas colet, eiusque apostolicae auctoritati, ceu tutissimae assequendae veritatis normae, pleno adhaerebit obsequio.

---

[1]) Videsis, quae de studiis superiorum facultatum scripsimus in priori commentarii parte pp. 134—136.

[2]) Cfr. literar. apostol. d. d. 7. martii 1889, relat. in Act. S. Sedis, t. 21, pp. 517—519.

III. Prouti Summus Pontifex LEO XIII. praescribit in literis apostolicis editis III. Idus Aprilis anno 1887, universitas sub moderamine coetus episcoporum statuum Americae foederatorum perpetuo erit; quorum tamen auctoritas in consilium quoddam moderatorum communiter derivabitur, qui eam episcoporum nomine exerceant in dirigenda universitate. Iidem autem nominandi erunt sive in plenario concilio sive in quovis alio adsimili episcoporum totius hujus regionis conventu.

IV. Sub episcoporum auctoritate universitatem moderabitur rector, senatu academico assistente.

V. Rectori praesto erit proprius vicarius. Addetur secretarius generalis totius universitatis, et alii officiales quotquot necessarios duxerit consilium moderatorum.

VI. Universitas, quae initio sacrae theologiae facultate constabit, progressu temporis omnes facultates complectetur, quae perfectam universitatem decent.

VII. Doctores disciplinis tradendis deligi poterunt non solum ex saeculari clero, verum etiam ex quovis regulari ordine seu religioso instituto, quemadmodum et ex laicorum coetu; verum universitas ipsa numquam cujusvis ordinis aut particularis instituti auctoritati suberit.

CAPUT II.

De auctoritate episcoporum et consilii moderatorum.

I. Coetus episcoporum statuum foederatorum Americae, sub suprema Sedis apostolicae auctoritate, plenam jurisdictionem habebit in iis quae ad disciplinae leges methodumque atque ordinem studiorum spectant.

II. Consilium moderatorum, quibus communiter in regenda universitate episcoporum delegatur auctoritas, constat episcopis aliisque a plenario concilio similive generali episcoporum conventu ad id munus delectis, qui officium exercebunt, usque ad proximum hujusmodi concilium vel conventum, vel donec iis statuantur

in munere successores. Interim in ipsorum numero vacantibus forte locis sufficere sibi alios episcopos vel prudentes viros consilium poterit, vel etiam, si expedire judicaverit, numerum sociorum augere.

III. Ipsi semel saltem in anno una convenient; et praeterea quotiescunque eos consilii praeses convocarit.

IV. Ipsorum erit doctores disciplinis tradendis praecipuosque universitatis officiales nominare, eosque sive ad tempus sive in perpetuum ab officio removere. In omnibus autem hisce consilia conferant cum senatu academico.

V. Pecuniae collocandae impensisque cujusvis generis faciendis invigilabunt; item rationum libros inspicient. Quaecunque vere in iis rebus gerendis fuerint peracta eisdem quotannis scripto accurate exhibeantur, vel saepius si ipsis placuerit.

VI. Fas erit consilio moderatorum, cum id opportunum visum fuerit, e suo numero aliquos deligere, qui velut comitatus executorius consilii decretis implendis prospiciant.

VII. In rebus expediendis, sententia praevaleat cui numero plures suffragantur, dummodo fuerint omnes convocati.

VIII. E suo numero seligant ipsi secretarium, qui scripto diligenter consignet quae acta fuerint in eorum conventibus. Eligant etiam moderatorem fiscalem, qui universitatis pecuniae administrationem gerat, deque ea referat in conventibus qui stato tempore habebuntur, vel saepius cum jussus fuerit.

CAPUT III.

De cancellario.

Cancellarius, a Summo Pontifice nominatus, vices geret Sedis apostolicae in gradibus conferendis, nisi ad id muneris rectorem in casu particulari delegaverit,

atque in studiorum examinumque materia quotannis approbanda.

CAPUT IV.

De rectore.

I. Universitatis rector sacerdos sit oportet, et sacrae theologiae doctor. Ipsum eliget consilium moderatorum, cum adprobatione S. Sedis.

II. Officii ejus erit universitatem gubernare juxta constitutiones et ad normam praescriptam a consilio moderatorum.

III. Ipse vi proprii muneris consilio moderatorum interesse debebit, praeeritque senatui academico. Praeesse insuper, si libet, poterit, cum jure suffragii ferendi, omnibus cujusvis facultatis conventibus, aliisve universitariis quibuscunque comitiis. Decreta quaevis, praeter ea quae tulerit consilium moderatorum, ut vim habeant, subsignata ab eo sint oportet.

IV. Ad ipsum spectabit omnes eos officiales renunciare, quorum electio per has constitutiones alteri non tribuitur.

V. Ipse, cum necessarium id videatur, si tempus non adsit recurrendi ad consilium moderatorum, exquisito prius consilio et consensu senatus academici, ad tempus removere poterit doctorem quempiam ab officio tradendae doctrinae.

VI. Ordinaria rector auctoritate gaudeat quoad alumnos admittendos dimittendosque, salvo recursu ad consilium moderatorum, et quoad regularum dispensationem in casibus particularibus pro sua prudentia.

VII. Si cui forte negotio per regulas aut universitatis constitutiones provisum non fuerit, resque urgeat, ea de re ipse sua auctoritate pro opportunitate decernat, integro tamen superioribus jure adprobationis aut abrogationis.

CAPUT V.

De rectoris vicario et de secretario generali.

I. Rectoris vicarius sit sacerdos et sacrae theologiae doctor. Ejus designatio pertinet ad rectorem cum senatu academico, confirmatio vero ad consilium moderatorum.

II. In sua opera praesto erit rectori in officiis proprii muneris obeundis; ejus autem absentis vices explebit auctoritatemque mutuabitur.

III. Ipsius erit sub rectoris auctoritate invigilare, ut officiales, doctores, alumni, sua quique officia fideliter custodiant; ut scholastica caeteraque praescripta exercitia rite fiant, omniaque statuto ordine procedant.

IV. Ipse etiam arcarium domesticum et supellectilis curatorem assidua vigilantia in officio continebit, et consulet, ut universitatis oeconomica administratio sic procedat, ut commode aeque ac parce omnibus provideatur.

V. Rationes rei oeconomicae ipse accurate singulis tribus mensibus senatui academico scripto exhibeat, singulis vero annis consilio moderatorum, et quotiescumque iidem exquisierint.

VI. Secretarius generalis in regestis accurate consignabit ea omnia, quae ad alumnorum ingressum, examina, et graduum collationem pertinent et quidquid in quotidiana universitatis administratione notatu dignum dignoscatur.

CAPUT VI.

De senatu academico.

I. Senatus academicus constabit ex rectore tamquam praeside, rectoris vicario, secretario generali, collegiorum praesidibus (cap. VIII, n. 6), decanis singularum facultatum, et duobus insuper doctoribus ab unaquaque facultate ea lege delectis, ut ab officio non eodem uterque anno, sed alternis desinant, neque ex-

pleto muneris biennio iterum pro ea vice eligi iidem queant.

II. Singulis mensibus, post habita facultatum comitia, una ipsi convenient; quod insuper praestabunt, quotiescumque eos rector convocarit.

III. Ipsi ea diligenter notabunt ac proponent, quae ad abusus siqui forte irrepserint abolendos, ad vigentes studiorum methodos expoliendas perficiendasque, ad prosperitatem universitatis promovendam, quoad constitutionum decreta sinunt, conducere animadverterint.

IV. Ea, quae ab ipsis acta fuerint, scripto diligenter mandentur ab aliquo ex eorum numero tamquam secretario a caeteris electo.

CAPUT VII.

De decanis, decanorum vicariis, et doctoribus disciplinis tradendis.

I. Decanos et decanorum vicarios unaquaeque facultas proprios sibi designet; designati vero a senatu academico confirmentur. Iidem biennium in officio consistent, ac denuo eligi semper poterunt.

II. Decanus traditae in propria facultate doctrinae invigilet, praeeritque facultatis conventibus, qui singulis mensibus habebuntur.

III. Quum is abesse contigerit, ejus vices explebit decani vicarius.

IV. Unaquaeque facultas certum sibi secretarium e suorum numero eligat, qui conventuum acta scripto accurate notabit.

V. Disciplinas tradent doctores, doctores sociati et academici.

VI. Doctores eligantur a moderatorum consilio, exquisita prius sententia senatus academici, qui consilia conferre curet cum facultate, de qua agitur.

VII. Doctores sociati eligi queunt a senatu academico, consulta prius facultate, de qua agitur. Eorum autem erit leviores disciplinas tradere, et, quum necessitas postularit, doctorum loco ad tempus docere.

VIII. Academici, quum expedire id videatur, usui esse queunt in privatis praelectionibus tradendis, aliave ratione doctoribus pro opportunitate auxilium praestando.

IX. Qui in aliqua facultate doctoris munus exercet, in alia nonnisi doctor sociatus esse potest.

X. In tota universitatis docendi ratione adamussim servetur illud concilii vaticani: „Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae istic disserte non enumerantur, ab hac sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt". (Const. de fide cath. can. IV).

CAPUT VIII.

De disciplinis et auditoribus.

I. Disciplinae tradendae ejus sint dignitatis et gradus, quem veri nominis universitas exposcit.

II. Quapropter alumni, antequam admittantur, probent necesse est, sive peculiari ad id facto periculo, sive idoneis exhibitis documentis, in disciplinis respectivae facultati praeviis se satis profecisse, habito respectu ad numerum annorum absumptorum et ad diligentiam adhibitam.

III. Qui auctoritate in universitate praestant, curent mutua consilia cum aliorum catholicorum collegiorum aut seminariorum in nostra regione moderatoribus conferre, ita ut omnes ad catholicae juventutis educationem in nostra regione provehendam communi consensu conspirent.

IV. Collegia aut seminaria, salva et integra omnibus libertate, auctoritate consilii moderatorum cooptari possunt universitati; quod quum fiat, diplomata quae apud eadem collegia in testimonium profectus

propriorum alumnorum data fuerint, loco examinis quoad admissionem in universitatem habebuntur.

V. Alumni degent in collegiis universitatis, nisi aliter in particularibus casibus provisum fuerit, consentientibus auditorum tutoribus, siqui adsint, vel episcopis, si de auditoribus sacrae theologiae agatur.

VI. Collegia universitaria moderetur, iuxta regulas a consilio moderatorum traditas, praeses in singulis residens. Ejus autem officii erit, assidue invigilare ne cujusvis generis abusus inrepant, ut ordo diligenter in omnibus servetur, ut alumni alacriter studiis vacent, ut adolescentium animi ad fidem, pietatem virtutemque omnem informentur. Praeses de iis quae in suo munere obeundo praestiterit, in menstruis senatus academici comitiis referet. Ipse autem, quum necesse id sit, opera cujusdam vicarii poterit juvari.

VII. Auditores, qui extra collegia commorantur, non modo regulis universitatis obstringuntur, quum in ejus ambitu versantur, verum etiam ea servare tenentur, quae circa domicilii electionem statuantur; loca ne adeant neve contuberniis utantur, quibus offendi castigati mores queant; eamque instituant vitae rationem, quae catholicae fidei professioni sit consentanea, quaque universitas quae eos excipit honestetur.

VIII. Quivis alumnorum, sive in collegiis commorans sive non, si regulas universitatis violaverit, privatim aut publice redarguetur, ad tempus removebitur, aut etiam expelletur, prouti cujusque culpae momentum postulaverit.

CAPUT IX.

De gradibus academicis.

I. Ad examen pro assequendis gradibus academicis admitti nemo poterit, nisi adsiduo disciplinarum studio profectuque ac vitae insuper integritate hujusmodi honore se dignum praebuerit.

II. Auditores autem qui digni visi fuerint, ea pericula oretenus et scripto facient, quae lege senatus academici fuerint praescripta. Nemo autem unquam academico aliquo gradu augeatur, nisi ob singularia omnino merita praecellentemque in scientiis peritiam.

III. Aliorum institutorum alumni, qui ad academicos gradus promoveri velint, admitti ad periculum faciendum poterunt, si bonum de se suoque in studiis profectu testimonium per opportuna documenta exhibeant. In caeteris par cum ipsis ratio servabitur. Absoluto examine, alumni catholici ad doctoratus gradum provehendi in solemni renuntiatione collationis graduum professionem fidei juxta Pii IV. ac Pii IX. formulam emittent.

CAPUT X.

De censibus pro alumnorum sociorumve sustentatione.

I. Ut quamplurimis liceat in nostra universitate studiorum curriculum emetiri, optimum consilium erit maximeque probandum, si census constituantur ad pauperiorum auditorum tenuitatem sublevandam.

II. Adsimiles constituantur census, quibus copia fiat alumnis praestantioris meriti, post gradus adeptos, sese in studiis ulterius perficiendi, imo aut scientiis provehendis semet perpetuo dicandi. Senatus academici erit, illos proponere consilio moderatorum, qui ad talium censuum fructus percipiendos admittantur. Qui autem illo gaudent privilegio, in ejus usu universitatis regulis obstringuntur.

CAPUT XI.

De coelestibus universitatis patronis.

I. Beatissima Virgo Maria immaculate concepta, quae patrocinio fovet ecclesiam statuum foederatorum Americae, erit etiam coelestis patrona universitatis, ejusque dies festus solemni ritu VI. idus decembris quotannis celebrabitur.

II. Ad tramitem literarum apostolicarum SSmi. D. N. Leonis PP. XIII. prid. nonas augusti an. MDCCCLXXX editarum, universitas singulari etiam veneratione colet divum Thomam Aquinatem, doctorem angelicum, catholicarum omnium in orbe scholarum coelestem patronum.

CAPUT XII.

De constitutionum observantia.

I. Consilium moderatorum, proponente senatu academico et rectore, regulas dare poterit, quae harum constitutionum observantiam promoveant.

II. Nulla hisce constitutionibus induci mutatio, neve iis in quovis derogari poterit, sine adprobatione Sanctae Sedis.

CONSTITUTIONES PROPRIÆ SACRARUM SCIENTIARUM SCHOLÆ IN MAGNO AMERICANORUM LYCEO.

CAPUT I.

Quorsum haec sacrarum scientiarum schola constituatur.

I. Seminarium principale, quod magni Americanorum lycei esset initium, quodque majori doctrinae copia et dignitate seminaria alia caeterasque scholas superaret, episcopi collatis consiliis constituendum decreverunt, ut clericorum in dies numero crescentium utilitatibus prospiceretur; deinde ut vota patrum in concilio plenario baltimorensi III. congregatorum ad felicem exitum tandem aliquando perducerentur.

II. In hoc proinde sacrarum scientiarum curriculo abunde per quatuor saltem annos tradentur ea omnia quae nosse theologum decet; theologia nempe fidei sive rerum credendarum, una cum ethice sacra, historia religionis a primis inde temporibus, rerumque in ecclesia gestarum ad nostram usque aetatem, leges sa-

crorum rituum, et accurata sanctorum patrum veterumque scriptorum cognitio. Quibus accedent interiora et penitus abdita philosophiae arcana, caeteraeque eloquentiae et bonarum artium disciplinae, quarum ope auxilia ad sacram doctrinam optima parantur. Ante omnia vero auditores in sacrosanctis utriusque foederis libris interpretandis, exponendis, acerrimeque tutandis instituentur. Quoad jus canonicum, erigentur cathedrae institutionum ac textus, nec non juris publici ecclesiastici; totum vero studium tribus saltem annis absolvetur.

III. Quum romana Petri apostoli cathedra sit ipsa petra immota, in qua Christus Dominus ecclesiae suae fundamenta posuit, doctores sedulo curent oportet, ut ne latum quidem unguem a Romani Pontificis, qui in docendo falli nequit, doctrina et auctoritate deflectant. Unde optatissimum illud facile continget, ut ecclesia nostra certae, quam docet romanae cclesia, veritati constantissime adhaerescat.

IV. In philosophicis quoque disciplinis tradendis d. Thomam quasi ducem fidissimum sequantur. Doctrinam ex ejus scriptis haustam auditoribus suis eo modo proponant, quo proposuisset ipsemet, si in nostra rerum tempora incidisset. Qua docendi ratione mentem d. Thomae melius et accuratius assequentur, ipsius laudem apud domesticos et exteros propagabunt, et Leonis XIII. Pontificis Maximi, qui magni Aquinatis nomen ac scripta ad priscam dignitatem et auctoritatem revocavit atque vindicavit, voluntati et imperio optime obsecundabunt.

CAPUT II.

De collegio doctorum.

I. Collegium doctorum, praeter cancellarium (uti vocant) et rectorem, complectitur tam decuriales, qui docendi munere funguntur, quam collegiales seu supra numerum adlectos, consentiente consilio moderatorum

et rectore, eaque lege ut nunquam decuriales numero superent.

II. Ex suomet ipsi numero decanum ab episcopis approbandum creabunt, cujus sit utilitati et bono communi advigilare, conventibusque doctorum, absentibus cancellario et rectore, praesidere. Suffragiis quoque suis vicarium deligent, qui decano in gerendo munere praesto sit; scribam quoque sive ab actis, qui res in conventibus gestas accurate describat ac diligenter adservet.

III. Praeter modo memoratos, collegio adnumerabuntur doctores emeriti; honorarii quoque, quos scilicet sive scriptis in vulgus editis claros, sive ingenii et doctrinae laude florentes, ex episcoporum sententia collegium sibi adsciscere velit.

IV. Singulis mensibus, vel saepius si visum fuerit, doctores decuriales et collegiales convenient ad deliberandum de iis, quae ad utilitatem et commoda lycei aliaque hujusmodi spectant. Negotium si fuerit ordinarium, plurium suffragiis expedietur. Quod si de re magni momenti condenda, immutanda, aut refigenda agatur, licebit quidem sententiam suam libere dicere, sed res ipsa, modo duae ex tribus partibus consenserint, ad senatum aut ad episcopos deferenda est, ut eorum arbitratu definiatur.

V. Statis diebus quibus auditores probandi sunt, vel certatim doctrinae suae specimen daturi, quo honores in magno lyceo conferri solitos promereri studeant, invitentur doctores omnes ad assistendum probationi vel certamini et ad sententiam suam de singulorum meritis dicendam. Jus tamen suffragii ferendi penes solos doctores decuriales et collegiales esto, quorum plurium suffragiis res decidatur.

VI. Si in magno lyceo festus dies agatur vel solemnia celebrentur, doctores universi ad celebrationem vocentur; dumque adstant, si lubet, ordinis sui insignia gerant.

CAPUT III.

De doctoribus decurialibus.

I. In Collegium doctorum decurialium ii tantum cooptentur, sive saeculares sint sive regulares, quos integritas vitae et doctrinae fama commendat. Quibus adjungi poterunt socii et adjutores in docendo, quasi praeceptores sociati, quibus tamen nullum jus, ne locus quidem, inter doctores sit. Eorum autem ratio habeatur in novis doctoribus deligendis, ita ut, si pares ingenio fuerint, caeteris competitoribus anteponantur.

II. Episcoporum est doctores deligere, audita prius senatus et collegii doctorum sententia. Eorumdem episcoporum auctoritate dignitatis gradu movendi sunt, quoties causa justa vel collegii utilitas id postulare videatur.

III. Doctores quum primo docendi munus capessunt, deinde singulis annis, quo die post solemne sacrum Deo Spiritui Sancto factum scholae primo patent, sacramentum ex formula catholicae professionis jussu Pii IV. et Pii IX. edita dicunto.

IV. Doctoribus in memoria penitus insideat, se suscepto docendi munere obligasse quodammodo fidem suam collegio et reipublicae sacrae, eaque de causa lege arctissima adstrictos esse ad officium suum rite exequendum. Hinc statis diebus et horis in schola constanter adsint, postquam materiam ad docendum accurata meditatione paraverint. Quae vero scite sapienterque recentiori aevo docti homines industria sua protulerunt, ea discipulis suis accurate communicent, ostendantque ea nedum philosophicis scholae principiis esse contraria, quin et ipsi sacrae scientiae plurimum adjumento ac incremento esse. Discipulorum honestam aemulationem ac diligentiam hortamento, laude, reprehensione provocent. An doctrinam traditam probe cognoscant penitusque percipiant, necne, saepe interrogando et disceptando experiri studeant. Absentes

quoque, et eos in quorum moribus aliquid improbandum forte deprehenderint, notent eorumque nomina ad rectoris vicarium deferant.

CAPUT IV.

De auditoribus et honorum gradibus.

I. Ad hanc magni lycei scholam admittentur presbyteri, clerici qui sacris initiari volunt, et ordinum religiosorum sodales, modo permissionem scriptam afrant episcopi sui aut praepositi domui religiosae in qua morabantur. Quoad autem studia praevia, omnes advertant oportet ad leges magni lycei jam memoratas[1]) et ad monita concilii plenarii baltimorensis tertii[2]).

II. Qui scholam hanc studiorum causa celebrant, debent in collegio habitare et legibus, quibus domus regitur, parere; iis exceptis de quibus episcopi aliter statuant, vel qui religiosam sui ordinis domum incolant. Valde optandum est ut religiosae hujusmodi domus prope lyceum, imo in ipso ejus fundo, extruantur.

III. Cursum studiorum nemo arbitrio suo eligat, sed episcopi sui, aut si sodalis religiosus fuerit, praepositi sui voluntati et jussis obtemperet. Qui magnum lyceum sponte adeunt, rectoris vel praesidis consilio utantur.

IV. Alumni qui in caeteris lycei curriculis se exercent, possunt etiam in curriculum sacrum pro studio aliquo particulari descendere, modo rector consenserit. Hoc exteris quoque bene moratis licebit.

V. Quum ex more et instituto majorum disciplinae theologicae latine tradantur, doctores hortatu et exemplo suo discipulos ad copiam facultatemque latine dicendi sibi comparandam alliciant atque excitent.

VI. Qui, ex S. Sedis concessione[3]), sine praevio cursu theologico in lycei scholas theologicas admit-

---

[1]) Cap. VIII, n. 1. 2. [2]) Nn. 166, 182.

[3]) Vide Litt. apost., d. 7. mart. 1889.

tuntur, probent necesse est per debitas attestationes se per duos saltem annos studiis philosophicis cum successu laudabili incubuisse. Hi, post secundum disciplinarum theologicarum annum, examina subire poterunt ad baccalaurei (ut vocant) honorem consequendum[1]; post tertium vero annum, examinandos se sistere poterunt ad prolytatus honorem adipiscendum[2]; non autem nisi quarto saltem anno expleto ad doctoratus lauream contendere licebit.

VII. Qui post praevium cursum theologicum alibi laudabiliter factum studia superiora in lyceo aggrediuntur, adhibitis attestationibus cursus cum profectu expleti, initio admitti possunt ad certandum pro baccalaureatu; post annum autem primum ad examina pro prolytatu; secundo ad minus expleto ad doctoris honorem contendere fas erit.

---

[1]) Baccalaureus (bacalarius, bacellarius, bacularius) generatim dicitur, qui in aliqua arte vel disciplina depositi tirocinii insignibus est donatus. Ita juvenes equites, ad militarem ordinem jam evecti, sed militibus banneretis nondum adnumerati, baccalariorum appellatione veniunt; similiter ecclesiae clerici, in inferiori loco constituti, et religiosi solemniter professi, sacerdotio tamen adhuc carentes, baccalarii vocantur. — A re militari ad academias translata, vox eum significat, cui primum doctrinae testimonium publice est collatum, per quod eruditae militiae in inferiori gradu adscriptus existit. Qui baccalaurei sunt renuntiati, ad altiores honores academicos adspirare possunt, quemadmodum baccalarii militares adolescentes ad banneretorum dignitatem adspirare solebant. — Vulgus interpretum vocabulum a baccis lauri derivat, quod sc. bacca lauri, quae tironi post inchoata aliquousque feliciter studia concedebatur, significaret, spem fieri, quod a bacca (ramusculo sive fragmento) ad laurum seu plenam lauream esset perventurus. Non desunt tamen, qui nomen deducant a bacillis, quorum olim collatione baccalaurei creabantur; nec spernenda eorum sententia est, qui baccalaureos seu bacellarios ex gallico „bacheliers" dictos tradunt, quasi „bas chevaliers", qui nimirum militibus banneretis primum locum ultro cederent, quemadmodum baccalarii academici doctoribus sunt dignitate inferiores. — Alia de baccalaureatu videsis apud Du Cange, *Glossar. med. et inf. lat.* v. baccalaria.

[2]) Vocabula *λύτης*, solutor (a *λύω*, solvo), et *προλύτης*, praesolutor, e jure romano ad nostras universitates transierunt. In praefatione *π.* quippe (ad antecess. §. 5) „lytae" vocantur, qui post quartum studiorum annum tantos progressus fecerunt in jure, ut de eo interrogati respon-

VIII. Ex senatus academici judicio ad certamina consueta admitti poterunt exterorum quoque collegiorum alumni, qui, studiis paribus peractis, exhibitis ut supra attestationibus, ex permissu antistitis sui aliorumve, quibus jure sacrorum subjecti sunt ad honores magni lycei consequendos contendere cupiunt.

IX. Ad gradus in jure canonico adipiscendos requiretur ut, dato testimonio in scriptis de institutionum cursu, imo et de cursu theologico jam completo, quo et ad certandum pro baccalaureatu jus merebitur, per duos insuper annos ad textus canonici et juris publici ecclesiastici studia assidue incumbatur; unde ad certandum pro prolytatu post annum primum, et pro doctoratu post secundum, jus obtinebitur.

X. Leges quibus utantur in periculo faciendo, dandoque ingenii ac studiorum specimine, a senatu, probante consilio moderatorum, constituentur; ita tamen ut uniuscujusque examen pro baccalaureatu per dimidiam saltem horae partem perduret; pro prolytatu, saltem per tres quadrantes; pro doctoratu autem, ad minus per horam cum dimidio. Requiretur insuper pro doctoratu ut theses saltem quinquaginta, totam veluti scientiam theologicam attingentes, praeclare de-

---

dere et quaestiones solvere possint. Qui in quintum jam annum juri operam dederunt, ut lytis in jurisprudentia jam provectiores, „prolytae“ dicuntur. Eum gradum consecuti honestam missionem a magistrorum scholis impetrarunt; indeque factum videtur, ut a recentioribus identidem „soluti“ seu „licentiati“ dicerentur; quamvis licentiati proprie vocantur, qui publice sunt designati, ut licentiam habeant ad consequendam dignitatem supremi gradus academici, quasi facta copia quandocunque velint doctores fieri. A nonnullis etiam licentiati improprie appellati leguntur magistri sive doctores, quibus licentia seu facultas data est, disciplinam aliquam publice profitendi in academiis. — Constitutiones catholicae universitatis Americae honoris titulum „licentiati“ non habent, ea fortasse de causa, quod vix unquam eventurum praevideretur, ut quis ibidem esset futurus, qui, supremo doctoris gradu publice dignus declaratus ejusque adipiscendi facultatem legitime nactus, copia sibi facta, timore sumptuum per eam occasionem praestandorum, uti nollet: quemadmodum alibi jam plus semel factum fuisse, ex jure sacro docemur c. Quum sit nimis absurdum 2. de magistris. Clem.

fendantur, et ut tractatus aliquis veri solidique valoris in scriptis conficiatur.

CAPUT V.

De disciplina domestica.

I. Quod episcopi in magno lyceo constituendo sibi proposuerunt, ut nempe clerici juniores non solum amplissimam divinarum humanarumque rerum cognitionem sibi compararent, sed etiam ad integerrimam vitam moresque sanctissimos instituerentur, id etiamnum episcopis et decurionibus magnopere cordi est. Ii enim sunt alumni, quos populus christianus docentes aliquando suspiciat, et tamquam exemplar omnium virtutum intueatur.

II. Visum est episcopis, gravissimum hoc munus excolendi ac fovendi inter alumnos pietatem in Deum caeterasque virtutes, quae clericos maxime decent, sodalibus Sulpitianis demandare.

III. Itaque horum erit instituere atque erudire alumnos ad disciplinam sanctissimam, legibusque quibus regi solet domus servandis diligenter incumbere. Eorum animos religione ac pietate imbutos ad majora semper et altiora ducere satagant. Eos etiam in studiis eligendis et prosequendis consiliis et hortatibus suis juvent. Praesideant quotidianis exercitationibus, quibus alumni meditando et orando Deum sibi demereri student. Curabunt quoque ut alumni potioris vitae studio quotannis per statos dies, et sub magistro pietatis, religiosis exercitationibus dent operam.

IV. Quicumque ex illis praepositus est, praeses collegii habebitur, locumque in senatu habebit. Singulis mensibus de collegii conditione ac statu ad senatum referet.

CAPUT VI.

De festo tutelari.

Doctores patronum sibi adsciscant Paulum apostolum. Quum vero dies III. kal. jul. in ferias aesti-

vas quotannis incidat, sacrum solemne anniversarium celebretur die festo Pauli apostoli designati, VIII. kal. februarii.

CAPUT VII.

De constitutionibus perpetuo observandis.

I. Episcoporum coetus, proponente senatu et rectore, leges condere potest, quae ab hisce constitutionibus haud discordent, sed ad eas accuratius servandas et ad meliorem lycei administrationem utiles sint.

II. Nemini in hisce constitutionibus quidpiam immutare aut tollere fas esto, inconsulto Romano Pontifice.

De disciplina œnipontanae scholae theologicae.

Numero finali (185) tandem universa tractatio „de clericorum educatione“ absolvitur synodica illa trium scholarum europaearum commendatione, quam auditores nostri jam in priori commentarii parte perlectam (p. 137) hoc loco haud inviti relegendo iterabunt. Est autem ejusmodi: „Curent autem episcopi, ut ad collegium americanum Romae vel Lovanii existens, vel etiam Oenipontem, alumnos suos mittant, qui prae caeteris spem majoris profectus prae se ferant. Quae commendatio non minus etiam pro futuro tempore valet, quando seminarium principale jam fuerit institutum; quum hoc pro iis, qui studia sua theologica jam absolverint, sit destinatum“.

Publicam, quae Oeniponte viget, studiorum rationem et exteriorem, qua ibidem vivitur, consuetudinem literis sumus in priori parte persecuti pp. 136—154. Restat nunc, ut interiorem „vitae et honestatis clericalis“ disciplinam videamus, ad quam juvenes in hac schola conformantur; prolatis nimirum ex domestico, quem indicavimus (p. 147), codice „Consuetudines con

victus s. Nicolai" praecipuis vitae praeceptis, quae ut plures episcopi americani jam pridem laude et approbatione sunt dignati, ita in praesentia attentus lector, qui ea cum legibus baltimorensibus curiosius contulerit, his conjuncta ac consentientia reperiet. Ea licet plus semel sint typis exscripta et apud theologos ditionum foederatarum quoque pervulgata, hoc loco tamen et ad absolutionem commentarii nostri et ad voluntatem eorum, qui cupiunt commodius europaea amerinis comparare, denuo exhibenda censemus.

CONSUETUDINES
ŒNIPONTANI CONVICTUS THEOLOGORUM AD S. NICOLAI.

§. 1.
De alumnis in convictum admittendis.

Quemadmodum seminaria generatim erecta sunt, ut in iis boni strenuique operarii in vinea Domini instituantur, qui in omnibus se exhibeant sicut ministros Christi fideles et dispensatores mysteriorum Dei, ita et adolescentes, qui in domum hanc nostram admitti cupiunt, id ante omnia intelligere debent, scopum convictus eum non esse, ut in illo simplices sacerdotes, sibi tantum utiles futuri, evadant, sed vero ut idonei animarum pastores ex eo prodeant, *vitae sanctitate ac salutaris doctrinae laude spectati, qui sub antistitum suorum ductu strenue praelientur praelia Domini et animarum saluti consulant*[1]).

In domum recipiuntur alumni, qui clericali militiae jam adscripti sunt, vel illi nomen dare deliberatum habent. Hanc ob causam aut ab episcopis et sacrarum familiarum praepositis mittantur, aut saltem bona eorum venia et eorum testimonio ingrediendi copiam sibi fieri curent.

---

[1]) Pius PP. IX. ad convict. oenipont. d. 20. nov. 1862.

Afferant porro testimonium hactenus positae in literarum studiis industriae et percepti ex iis fructus, ut saltem philosophicis disciplinis capessendis sint idonei.

Illud praeterea cogitandum, admittendos in convictum retinendosque in eo non esse, nisi qui pietatis literarumque studio sua sponte et amore Dei vacabunt; neque enim, quibus severitate poenarum opus est coërcendis, digni sunt hujus vitae instituto.

Nemo igitur convictum aegre atque invitus ingrediatur; sed ii tantum huc accedant, qui libentes ac hilares jugum Domini portant ab adolescentia sua, *et quorum indoles et voluntas* probe perspecta *spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis* magno cum fructu *perpetuo inservituros*[1]); *melius est enim domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles*[2]).

§. 2.

De ingressu in convictum.

Qui in convictum sunt recipiendi, sub finem septembris huc adesse properent, ut adeo nec ante 30. septembris nec post 4. octobris conveniant, nisi impedimenti excusatio supervenerit cum moderatoribus communicata ab iisque approbata. Die enim 5. octobris praelectionibus in caesareo-regia universitate, penes quam alumni praelectiones excipiunt, initium datur. Convenit autem omnino, ut ante praelectionum initium facultatis theologicae decano et professoribus nomina daturi se sistant, ac de rebus necessariis sibi provideant, ne in iisdem procurandis postea distrahantur.

Alumni ea lege recipiuntur, ut saltem decem mensium spatio, inde nimirum ab initio octobris usque ad finem julii, quo tempore scholae habentur, in domo

---

[1]) Concil. trident. sess. 23. c. 18. de reformat.

[2]) C. Tales 4 dist. 23.

commorentur, nisi quis noxae gravioris reus e domo protinus sit dimittendus, vel ob causam gravem supervenientem, in qua nulla insit culpa, discedere debeat.

Convictum theologorum ingressus, mundanae vitae illecebras oblitus, frequenter et coram Deo dicito tibi cum D. Bernardo: *Bernarde, ad quid venisti?* Scilicet, ut in sacro hoc secessu assiduis studiis et laboribus spiritum sacerdotii apostolici tibi proprium facias, atque hinc tandem a virtute scientiaque bene paratus exeas idoneus et fidelis Dei minister ad animarum salutem, ad ecclesiae utilitatem, ad praepositorum solatium.

Propositum sibi habeant alumni, domus moderatoribus legibusque integre morem gerere, tum quae ad doctrinarum studia, tum quae ad vitae rationem spectant.

Illud generatim cuique sit alta mente repositum, quidquid praecipitur, id demum in ecclesiae utilitatem propriaeque animae salutem cedere; eo quippe omnes leges convictus spectant, ut destinati sacerdotio et actuosae vitae adolescentes *quotidie magis omnium virtutum ornatu fulgeant*[1]): illa gravitate, modestia, prudentia, lenitate, zelo, caritate caeterisque tum clericalis tum socialis vitae virtutibus exornentur, quibus sese omnibus commendent, prosint omnibus, rem christianam fructuosius apud omnes promoveant.

Quamobrem unusquisque sibi persuadeat, profectum suum tam in virtutibus, quam in literis maxime pendere ab exacta consuetudinum, statutorum atque ordinis diurni et domestici observatione.

Magno studio observanda sunt in convictu ea, quibus mutua foveatur benevolentia et caritas fraterna, qua inter se consociati quietam omnes et jucundam vitam agant. Omnes ergo sive nobiles sint, sive sacerdotes, sive dignitatibus aliis insigniti, aut etiam praedivites, communem cum caeteris vitae rationem

---

[1]) Pius PP. IX. ad convict. oenipont. d. 20. nov. 1862.

sequuntur[1]); iisdem legibus vivunt seque ad convictus institutum accommodant, neque quidquam peculiare sibi in moribus, mensa aut alia quacunque re usurpant[2]).

Gustent omnes, quam bonum et jucundum sit, habitare fratres in una et sociali vita, ubi alter alterius verbo et exemplo ad perfectiora trahitur, alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius patientia, illius obedientia movetur, ubi singuli portant et portantur, ac quotidie multa audiunt et vident, unde docentur.

Alterius dicta vel facta ne quisquam curiose investiget, quum id animum a studiis et a pietate avocet et multas in seminariis plerumque perturbationes excitet.

Quas in aliis, *etiam junioribus*[3]), virtutes cernunt, eas in seipsis exprimere certatim contendant. Quod si quid minus laudabile in quoquam forte perspexerint, vitent, aliorumque defectibus compatientes nihil in deteriorem, sed omnia quantum fieri potest, in bonam partem accipiant[4]).

Alter alteri honorem exhibeat, praecipue sacerdotibus ii, qui sacerdotes nondum sunt. Externis etiam, maxime sacerdotibus vel religiosis, quibus obviam fiunt, omnem honorem, ut par est, deferant, seque coram omnibus, ubicunque fuerint, modeste gerant.

Quemadmodum venientes professores in scholis reverenter excipiunt et abeuntes honore prosequuntur, ita in rebus atque actionibus omnibus sic se gerunt, maxime ante et post praelectiones, ut facile quivis externorum auditorum intelligat, convictores non minus virtutum vitaeque integritatis esse quam literarum doctrinaeque studiosos.

---

[1]) C. Quisquis eorum 1 dist. 41.

[2]) Dict. Grat. dist. 41 in fin.

[3]) CC. De Constantinopolitana 4 dist. 22., et Si habes 1 C. 24. q. 3.

[4]) C. Quisquis 1 dist. 41.

Silentium, quod ad pacem pietatemque fovendam, ad nutrienda studia, et animi perturbationes sedandas maxime conducit, sancte omnes ita servent, ut extra tempora recreationis non loquantur nisi de rebus necessariis, atque in hoc casu obiter et perpaucis, praesertim in cubiculis, in atriis domus, in triclinio, in schola, in aula recreationis ante et post exercitia communia.

Ne defervescat ardor ille sacer, quem in sacris meditationibus, praesertim ss. exercitiorum tempore, conceperunt, neve a studiis abstrahantur, alumni praeter dies statutos domo non egrediuntur nisi ob gravem aliquam causam a P. regente probatam.

Quum nihil studio, quieti, silentio ac disciplinae nocentius sit, quam externos in domum introducere eosque intra cubicula excipere, illorum, qui salutatum veniunt, nemo admittitur ad cubiculum aliquod convictus; sed si is P. regenti probe cognitus sit, cum ejus venia in collocutorium prope januam collegii situm adducendus est.

Nullus alterius officium occupet, munera tamen, quae sibi obvenerint, unusquisque diligenter obeat, et officium aliquod domi gerentibus omnes cum caritate et humilitate pareant in iis rebus, quae ad officium spectant.

In superioribus Christum Dominum intueantur, qui illos suo loco posuit, ut omni caritate venerationeque novella sacerdotii germina foveant iisque omni pietatis et scientiae decore exornandis sedulo incumbant. Quapropter alumni superiores suos *docilitate*, *obsequio ac filiali pietate* prosequantur[1]), iisque sincero et fidenti animo aperiant, quidquid ipsos intrinsecus vel extrinsecus affligit.

A superioribus si quid praeter voluntatem imponitur aut negatur, id existiment ad utilitatem suam

---

[1]) Pius PP. IX. ad convict. oenipont. d. 4. maji 1867.

referri, pro certo habentes, superiores ad id multis duci causis, quae adolescentes plerumque lateant.

§. 3.
De pietate.

Quum tota hominis excellentia atque dignitas in exequenda Dei et Domini nostri voluntate et in servandis divinis legibus consistat, atque etiam praestantissima doctrina probitate destituta nihil ad hominem perficiendum et absolvendum valeat, neque sacerdotem muneri sacro rite gerendo idoneum reddat, hanc ob rem in excolendis animis longe primas partes pietati deferendas ducant.

Quare perversorum quorundam contemnant opinionem[1]), per praescripta pietatis exercitia tempus inutiliter studiis subtrahi, memores effati: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.* Unde statim ab initio ingressus in convictum pietatis et ecclesiasticae vitae fundamenta jaciant, vocationemque, quam Deus illis impertiri dignatus est, etiam atque etiam considerent, nec unquam fervore studiorum intepescat solidarum virtutum atque ecclesiasticae vocationis amor; idque sibi quotidie proponant, ut omnino velint in bonos altaris ministros evadere ad animarum, ut dictum est, salutem, ad ecclesiae utilitatem et praepositorum solatium.

Mane excitati et vespere, dum eunt cubitum, ne colloquantur, sed piis precibus Deo se commendare consuescant.

Singulis diebus, statim post preces matutinas (in sacello domestico peragendas) dimidiae horae spatio meditationi rerum divinarum vacant; ante prandium quartam horae partem piae lectioni impendunt, ac vespere, antequam cubitum eant, ad puncta meditationis

---

[1]) C. Frustra 7 dist. 8.

sequentis diei excipienda faciendasque ad Deum preces atque excutiendas animi latebras in unum conveniunt.

Quovis die attenta mente divino sacrificio una omnes intersunt; sacerdotes vero sacrae quotidie rei operantur. Peracto sacro, prius quam sacello egrediantur, procumbunt omnes in genua unoque ex iis verba praeeunte preces sodalitias fundunt *pro suis in convictu quondam alumnis, nunc in vinea Domini operariis*[1]). Pridie ordinationis unius ex alumnis usitatas litanias D. N. J. Ch., sacerdotis et victimae, subjungunt.

A prandio et a coena in sacellum pergunt, ss. sacramentum per aliquod temporis spatium adoraturi. Prima cujuslibet mensis feria VI, in visitatione post prandium, dicunt litanias Sanctissimi Cordis Jesu cum usitato actu consecrationis: *Dulcissime Jesu, fons amoris.*

Quamvis ex lege non teneantur nisi singulis mensibus sacra confessione animum purgare, frequentiorem tamen usum sibi commendatum habent, quum singulis fere septimanis et majorum totius anni festivitatum diebus conscientiam suam confessione sacramentali expiare et ad sacram communionem, *juxta confessoris judicium*[2]), accedere soleant. Quibus divini officii pensum persolvendum est, id convenienti tempore *studiose pariter et devote*[3]) exsolvant.

Festis et dominicis diebus in communi celebrant vesperas in ecclesia universitatis, Deo per omnia non minus *cordis devotione, quam vocis jubilatione cantando*[4]). Ritus ac sacras caeremonias in ecclesia parochiali urbis peragunt.

Recolentes ex actis authenticis, beatae Margaritae Mariae Alacoque a Christo Domino fuisse revelatum,

---

[1]) Breve Pii PP. IX. d. d. 24. jul. 1866.

[2]) Conc. trident. sess. 23. c. 18. de reform.

[3]) C. Dolentes 9. X. de celebrat. miss. (III., 41).

[4]) C. Cantantes 1 dist. 92.

fore, ut „*quicunque eorum, qui animabus curandis operam navant, tenera erga divinissimum Cor Jesu fuerint devotione inflammati, arte polleant, animos vel durissimos emoliendi, miroque cum fructu in vinea ejus laborent*“, alumni — inita arctiori inter se societate sub titulo Sacratissimi Cordis Jesu — novo hoc caritatis foedere dulciter sociati pro mensura gratiae divinae student, ut et seipsos participes reddant infinitarum SS. Cordis divitiarum, *et suos quondam in convictu socios, nunc autem per varias provincias in vinea Domini operarios precibus ad SS. Cor Jesu fusis juvent et ipsius SS. Cordis cultum promoveant*[1]). Cui ipsi fini consequendo etiam folium inservit, quod ex epistolis antiquorum alumnorum maxime sumptum atque usui privato convictus, debita cautione adhibita, typis exscriptum quoquo versus ad socios mittitur[2]): qua re viam virtutis sponte jam currentibus jugiter nova calcaria adduntur.

Singulari quoque honore purissimam Dei matrem prosequuntur et ss. angelorum et patronorum opem crebro exposcunt, maxime s. Michaelis archangeli. *Huic coelestis militiae principi peculiariter sunt commendati ejusque patrocinio incensiori semper caritate romanae Petri cathedrae unitatis centro filiali prorsus affectu adhaerent*[3]). Propria sodalitate in convictu erecta in confraternitate s. Michaelis, ad auxilia Summo Pontifici submittenda instituta, inde a primis ejus initiis magnam partem volentes libentesque habent.

Rosarii recitatio quotidiana etsi, attentis adjunctis, praescribenda non videatur, omnibus tamen valde commendatur, ut illud, si vacant, recitent.

---

[1]) Pius PP. IX. lit. d. d. 11. jul. 1867.

[2]) Correspondenz des Priestervereines unter dem Schutze des göttlichen Herzens Jesu, bestehend aus Alumnen des theologischen Convictes in Innsbruck (Als Manuscript gedruckt).

[3]) Pius PP. IX. lit. d. d. 18. april. 1868.

Caeterum quotidiana exercitia sic sunt moderate praescripta, ut fieri possint accuratius, tum etiam ut uniuscujusque arbitrio quiddam adjungendum relinqueretur, quo sane nihil efficacius esse cognoscitur ad fervorem juventutis hoc vitae genus profitentis excitandum. In devotionibus privatis igitur justam pro suo statu mensuram observent, nec decurtantes eas aut imminuentes, nec nimis cum studiorum detrimento protrahentes aut multiplicantes.

In rebus conscientiae patrem suum spiritualem consulere ne negligant, ejusque consiliis tamquam Dei ipsius nutui acquiescant.

Dum in ecclesiam vel sacellum procedunt, et loci sanctitatem et conveniendi causam attente cogitent, debitamque pietatem, modestiam ac silentium servent.

Quum simulacra Sanctorum in deambulacris posita transeunt, preces jaculatorias pro ipsis a Summo Pontifice peculiaribus indulgentiis ditatas recitare ne obliviscantur.

Quum e cubiculo egrediuntur vel illuc redeunt, aqua benedicta se aspergendi morem sequuntur.

Quo plenius spiritu sacerdotali imbuantur, quotannis sacris s. Ignatii commentationibus exercentur. Et licet superiores non indiscriminatim omnes obligassent, ut sacris exercitiis spiritualibus per totos octo dies vacarent, *diuturno more* tamen, *consensu utentium approbato ac legem imitante*[1]), factum est, ut nemo jam reperiatur, qui in ascetica hac disciplina per octo dies solidos in spiritualem suum profectum non invigilaret, et hujus tam utilis armorum spiritualium generis usum, longiori exercitatione adhibita, consequi non contenderet.

Ad sacros ordines promovendi per dies in ecclesiasticis canonibus statutos spiritualia exercitia exacte

---

[1]) C. Diuturni 6 dist. 12.

et ferventer instituunt[1]). Caeterum diu multumque probati existant necesse est, qui ad dignitatem sacerdotii, angelicis spiritibus denegatam, promoveri cupiunt, ut constet de cujusque praestantia virtutis atque doctrinae; quod facilius obtineri poterit, si primo alterove anno tonsuram clericalem accipiant atque ita justo intervallo ab ordinibus minoribus ad majores ascendentes quantum sit sacerdotalis vitae dignitas, accuratius ipso usu edoceantur.

§. 4.

De literarum studiis.

Sacrarum literarum testimonio[2]) *labia sacerdotis scientiam custodiant* oportet, ut mortales *ex ejus ore* salutis *legem accipiant.* Quapropter alumni, licet id praecipue statutum habere debeant, ut primum pietate ac moribus ecclesiasticis animum imbuant, altero loco tamen, negotiis aliis quibuscunque posthabitis, hoc unum agendum putent, ut in praescripta literarum studia summo nisu atque animi ardore et constanter incumbant. In omnibus studiis exercitiisque literariis intentio sit purissima; nihilque aliud spectent, quam ut apti evadant operarii in vinea Domini, quorum doctrina vitaque exemplari homines Deum cognoscant, ament eique fideliter serviant.

Persuadeant sibi orationem aptissimum esse medium ad scientiam acquirendam. Quare ss. doctoris angelici, Bonaventurae, Aloysii aliorumque vestigia legentes nonnisi praemissa flexis genibus brevi oratione studia inchoant eaque Deo crebro offerunt. *Invocavi et venit in me spiritus sapientiae*[3]).

Sciant praeterea mortificationem quoque ad scientiam multum valere; haec autem abnegatio maxime

---

[1]) Alexand. PP. VII. d. 7. aug. 1662; Innocent. PP. IX. d. 9. oct. 1682; Clemens PP. XI. d. 1. febr. 1710. Cfr. Magn. Bullar. Rom. ed. Luxemb. tom. VIII, p. 422.

[2]) Mal. II, 7. [3]) Sap. VII.

eluceat 1⁰ in vincendo taedio studii tempore occurrente ac desiderio studendi tempore prohibito; 2⁰ in vincenda repugnantia sese humiliandi ad interrogandum professores aut condiscipulos, 3⁰ in calcanda vanitate, ut non excedantur limites modestiae in ostendenda eruditione etc. etc.

Impedimenta quaecunque studiorum omni cura ac diligentia removeant, ut sunt visitationes externorum, quae sine ulla aut honestatis aut utilitatis ratione fiunt aut acceptantur, nimium epistolarum commercium: quod malum, ut evitetur, literae ab alumnis foris mittendae obsignatae deferuntur ad P. regentem.

Iis disciplinis singuli operam dabunt, quas ipsorum profectui praesides convenire judicabunt, praescriptum etiam ordinem atque modum tenent.

Disciplinarum genera, quibus perdiscendis operam navant, sunt: *a)* philosophia, *b)* theologia dogmatica, *c)* theologia practica, complectens eam, quae dicitur moralis et pastoralis, *d)* sacrarum scripturarum cognitio (introductio in ss. literas, hermeneutica, exegesis), *e)* jus canonicum, *f)* historia ecclesiastica, *g)* linguae hebraica, arabica, syriaca et chaldaica, *h)* eloquentia sacra, *i)* catechetica.

Quatuor annos theologicis disciplinis condiscendis tribuunt. Praeter literas sacras ecclesiae quoque ritus, cantum gregorianum, et computum ecclesiasticum ex lege tridentina[1]) sub constitutis magistris ediscunt, dantque operam, ut caeremoniarum aliarumque rerum, quae ad celebranda festa spectant, tum originem et causas, tum praecipuas significationes cognoscant.

Nemo a scholis, repetitionibus aut disputationibus, etiam domesticis absit constituto tempore. Sed serio animum adjiciant ad audiendas et recolendas praelectiones caeterasque obeundas exercitationes literarias.

---

[1]) Sess. 23, c. 18.

Per domum, praesertim studiorum tempore, ne vagentur; nullus cum alio uspiam colloquatur, nisi quid breve necessitas aut humanitas postularet.

Ultra duas horas nemo aut legendo aut scribendo in laborem incumbat, quin studium aliquantulo temporis intervallo intermittat: otium tamen, malorum omnium origo, in hac domo locum ne habeat.

Antiquae memores sententiae: *Timeo unius libri lectorem* abstineant a multorum librorum curiosa et vana devoratione, quae scientiam solidam magis impedire solet quam promovere.

Ad majorem doctrinarum intelligentiam comparandam aditus ad professores certa hora quotidie patet, qua dubia proponi ac difficiliores quaestiones apertius explicari possunt. Adminiculo quoque est bibliotheca domus, qua illis, uti concessum est; libros tamen scholasticis usibus necessarios suis sumptibus comparabunt.

Caveant, ne in prospero studiorum successu animo extollantur aliosque minus proficientes contemnant; et ne ipsi, quum res non tam feliciter fluunt, deprimantur, memores sententiae canonicae: *Licet desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen imperfectum scientiae potest supplere perfectio caritatis*[1]).

Non excusantur alumni sub praetextu studiorum, quibus vacare debent, a concionibus habendis in refectorio, nec a servitio ecclesiae, vel a disputationibus vel repetitionibus, nec ab exercitio cantus gregoriani, nec demum ab examinibus ex praescripto subeundis, quum ejusmodi exercitia sint eorum instituto propria.

Quovis anno praescriptis tentaminibus singuli rationem reddunt, quos in literis progressus fecerint.

Qui studiorum curriculo alibi confecto postea ad ea in hac domo recolenda animum converterint, ut ampliorem divinarum rerum cognitionem assequantur, vel

---

1) C. Nisi quum 10. X. de renunt. §. pro defectu (I, 9).

doctoratus laurea cohonestentur, iisdem prorsus legibus vivunt.

Non obstante adversa multorum consuetudine[1]) religiose meminerint praescripti ecclesiastici, quod lectionem librorum indici insertorum, nisi quis facultatem antistitum legitime obtinuerit, prohibet.

§. 5.

De modestia.

Memor sit unusquisque vocationis suae altissimae et sanctissimae, eoque nomine saepe Deo gratias agat coneturque maxime vitam, ut clericum decet, instituere[2]).

Modestiam, quae clericorum peculiare est ornamentum, non solum domi, sed etiam extra domesticos parietes diligenter servent, ut etiam *quae clericis propter populum necessaria est fama diligenter custodiatur: providendo bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*[3]).

In incessu sive domi sive foris gravitatem et modestiam prae se ferant; ne cursitent vel contentius ambulent, et si quando eos properare oporteat, id modeste et moderate faciant, *ut ubique gravitate itineris mentis maturitatem ostendant*[4]).

Brachia ne indecore jactent, oculos ne curiose huc illuc circumferant; in via ne alicujus rei inspiciendae causa consistant; ne altiori voce colloquantur; verba, vultus, oculi, motus denique omnes decorum teneant, redoleant pietatem atque disciplinam, maxime *si cum mulieribus loqui debeant*[5]).

Nemo in fenestris moretur aut insideat, unde possit externas domos inspectare, aut ipse conspici ab externis; et si plures in eodem cubiculo simul versari

---

[1]) C. Consuetudo 8 dist. 8.

[2]) CC. Clericus 5. C. 12. q. 1; Cui portio 6 eod.

[3]) Can. Nolo 10. C. 12.

[4]) Dict. Grat. dist. 41 in fin.

[5]) Can. In omnibus 26 dist. 81.

contingat, strenue cavendum est, ne quisquam aliorum mensam adeat, neve seu cubitum eant, seu lectulo surgant, remotis velamentis id faciant, quibus lectuli obteguntur.

Nemo mane aut vespere cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus.

Veste clericali eaque talari omnes etiam in deambulationibus[1]) utantur, studeantque omnino, *ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ubique ostendendo*[2]) *cultui vestium actionis quoque ornamenta conveniant*[3]).

Clerici *quamcunque religionem professi in scholis vel alibi habitum religionis suae* juxta canonicas sanctiones *nunquam dimittant*[4]) tum ad declinandum *salutis propriae detrimentum*[5]) tum *propter exempli perniciem*[6]).

§. 6.

De refectione corporis et recreatione.

A. De refectione corporis.

Sicut ubique et in omnibus, ita maxime in triclinio decentiae, modestiae et caritatis ratio habenda est. Veteris memores canonis *non plus quam necesse sit, serviendum esse corpori, sed solam ejus infirmitatem reficiendam, ut ad usus exercendae virtutis habeatur*[7]), erga cibos in mensa appositos ipsius appetitus sensualitatem sibi praedominari ne sinant[8]); ne cubitis mensae incumbant; cochlearibus strepitum ne excitent, *ut*

---

[1]) CC. Nullus 2. seq. C. 21. q. 4.

[2]) C. Quoniam 2. de vita et honest. Cler., Concil. trident. sess. 14., c. 6. de reformat.

[3]) C. Rationis 9 dist. 100.

[4]) C. Ut periculosa 2 Ne clerici vel mon. in VI.

[5]) C. Ne religiosi 24. X. De regularibus. (III, 31).

[6]) C. Ut periculosa cit. j. gl.

[7]) C. Convivia 6 dist. 44. coll. c. Nihil 28 dist. 5. de Cons.

[8]) C. Deliciae 2 dist. 41.

quae verba sacrae lectionis in omni convivio sacerdotali praecipiuntur[1]), commode audiri possint. Sedis ad mensam delectum ne habeant, sed ea contenti sint, quae ex ordine, quo acceditur, sibi obvenerit; et si cui aliquid in mensa desit, ille qui assidet, eum, qui ministrat, moneat.

Ad ea, quae leguntur, vel a concionatore dicuntur, diligenter attendant atque ex iisdem aliquem fructum percipere studeant.

E refectorio egredientes eundem omnino ordinem servant, quo ad mensam sederunt, ita ut qui propiores portae sunt, prius exeant, caeteris, quibus sedes procul obvenerat, interim exspectantibus ac suo ordine modeste atque in silentio paulatim sequentibus.

Inter prandendum et coenandum colloquia non instituuntur, nisi quando ille qui praesidet, opportunum esse judicaverit.

B. De recreatione.

Alumnis certae horae certique dies assignati sunt, quibus a studiis cessent, vires reficiant, et liberiorem auram respirando animum honeste recreent. Duas minimum quotidie habent horas ab omni cura vacuas, quibus mutua inter se colloquia laetiora misceant et amica conversatione se exhilarent, alteram a prandio, a coena alteram, idque praeter horarum segmenta plurima ante et post praelectiones, quibus colloqui permissum est.

Ne tamen recreationes pro tuenda ad majorem Dei gloriam valetudine impedimento fiant internae recollectionis, modestiae et verecundiae, ea circumspectione laetitiam attemperent, ut nemo prudens offendi queat.

Quum alumnos convictus nostri pro clericalis vitae ratione ac vocationis suae conditione in civili societate

---

[1]) CC. Convivia cit. Pro reverentia 11 eod. et In omnibus 34 dist. 5. de cons.

versari contingat, ac proinde ad ecclesiasticas juxta socialesque virtutes amice conspirantes informatos esse necesse sit, imprimis ad urbanitatem mutuaque officia in recreatione sint compositi; deinde etiam studeant, prout aetas atque indoles cujusque fert, ingenium moresque hominum simul habere perspectos aliarumque rerum cognitionem atque usum assequi sive ex ipsa quotidiana hac inter se consuetudine, sive ex selectis quibusdam ephemeridibus catholicis, quae tamen absque facultate P. regentis introduci in domum, vel aliis legenda tradi non possunt.

Tempore recreationis nemo a loco recreationis communi absque facultate recedat.

Omnes intelligant, quemadmodum non prius loquendum sit, nisi ubi in recreationis locum advenerint, ita etiam dato signo ad finem recreationis esse conticendum.

Materia colloquiorum sit honesta ingenuoque homine digna, et ad animum relaxandum accommodata. De rebus ad literas pertinentibus loqui vel disputare utiliter possunt, non tamen ita agant, ut recreatio in studium conversa videatur.

Nemo proin cum alio contendat, sed si qua in re diversa nobis sit sententia, eaque videatur manifestanda, rationes modeste et cum caritate afferantur eo consilio, ut suus veritati sit locus, non ut in ea re videamur superiores, aut ut aemulus in disputatione confundatur.

Mores triviales et loquendi rusticitatem devitent; nomine baptismali alios non vocent, sed proprio nomine, cui semper religiose praenominationis insigne *(Dominus, Pater vel Frater)* apponant; atque in omni conversatione urbanitatis legibus sese conforment. Quocunque idiomate loquantur, semper operam dent, ut emendate et sine vitio loqui discant. Adhibeatur etiam diligentia, ut corruptae pronuntiandi consuetudines,

quas a patria secum extulerunt, penitus tollantur, non in lectione solum, sed etiam in familiaribus colloquiis.

In recreatione non sint solitarii, aut ludis plus aequo intenti.

Nemo alium carpat aut quovis modo laedat. Quodsi tamen ex fragilitate humana unus alium laeserit, cito in gratiam redeant, et qui illatae injuriae reus fuerit, laesae parti humiliter deprecando satisfaciat.

Ubi duo, tres vel plures fuerint simul, caveant, ne defectus absentium suggillent aut de aliqua persona sinistre loquantur.

In motu corporis inque omnibus actionibus et verbis memores sint regulae canonicae: *incompositio corporis inaequalitatem indicat mentis*[1]); elationem maxime et superbiam fugiant, quum ea homines Deo inimicos et caeteris odiosos reddat.

Quum mens literarum studiis jam fatigata magis cessatione et quiete recreari quam novo meditationis labore gravari debeat, nonnisi moderate ludo scacchorum seu latrunculorum vel alio consimili utuntur. Ab aleis, chartis et quovis alio vetito aut indecoro ludo penitus abstinent. Quum non spe lucri, sed animi dumtaxat recreandi causa clericum ludere deceat, alumni nunquam pecuniam ludendo exponunt.

Privatas amicitias nimiamque inter se familiaritatem, ex quibus offensiones ac damna existere solent in collegiis, vitent; et ut ea, quae clericos decet, gravitas et modestia servetur, nemo alium, etiam joco, tangat.

Conventicula ne agant, sed sine ullo discrimine cum omnibus versentur.

Quoniam alumni convictus ex variis et maxime dissitis terrae partibus undique Oenipontem confluxerunt, ac plerique eorum cum gentibus ingenio, moribus, religione inter se discrepantibus aliquando sunt versaturi,

---

[1]) Dict. Grat. dist. 41. in fin.

summopere sibi omnes caveant ab illo affectu, quo aliae de aliis nationibus sinistre sentire aut loqui solent; quin potius et bene sentiant et peculiari affectu diversas a sua natione prosequantur in Domino; ac proinde nemo bella contentionesve inter christianos principes ita in colloquium inducat, ut exinde laedi fraterna caritas possit.

Singulis hebdomadibus saltem bis certas horas dant ambulationi feriis III. et V., ac hiberno quidem tempore ab hora $1^1/_2$ usque ad horam 4.; aestate vero ab hora 4. usque ad horam $6^1/_2$.

Antequam pedem tecto efferunt deambulaturi et postquam redierunt, augustissimum eucharistiae sacramentum in sacello domestico per aliquot minuta adorant.

Cum assignatis sibi sociis exeant, et ab iis nunquam sese disjungentes domum revertantur.

E longiore deambulatione redeuntes P. regenti se sistunt, quum primum domum redierint. Quum in eo posita sit magna pars vigilantiae ac directionis superioris, ut extra tempus deambulationis nonnisi ob certam et rationabilem causam et *cum certo comite*[1]) domo egredi permittatur, petens exeundi facultatem eidem significet terminum profectionis ejusque causam aperiat.

Quoniam clerici e sacrorum canonum praescripto *tabernas evitare debent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti*[2]), in deambulationibus nunquam adeunt domos aut hortos, ubi vinum, cerevisiam vel alios liquores propinales emendi et compotandi potestas est.

§. 7.

De disciplina domestica.

Quaecunque de disciplina domestica sibi praecipiuntur, sive ex consuetudinibus convictus sive ex

---

[1]) CC. In omnibus 26 et Clerici 32 dist. 81.

[2]) C. Clerici 15. X. de vit. et honest. coll. CC. Non oportet 2, Nulli 3 et Clerici 4 dist. 45.

scripta lege, omnia eo referri alumni intelligant, ut in virtutibus sacerdote dignis se mature exerceant, *ut sint pennae columbae deargentatae, ne quid unquam appareat in illis, quod obfuscet candorem ecclesiasticae puritatis*[1]).

Ad somni tempus aut antecapiendum aut retardandum aut protrahendum toties quoties specialis requiritur facultas. Qui vero quacunque de causa non praevisa ab hac norma discesserit, rem postea P. regenti aperit.

Singuli, quamprimum surgunt, lectum operiunt.

Meditatio fit in cubiculis decenti corporis situ.

Sacerdotes post sacrum et illi, qui non sunt sacerdotes, post sacram communionem per horae quadrantem in gratiarum actione persolvenda persistant. Quodsi hoc tempore aliud Sacrum celebretur, non discedant nisi facta elevatione.

Ad jentaculum silentium servatur. Jentaculo sumpto in sacello privatim dicunt commendationem sui ad B. V. M.; deinde deambulare quidem possunt in atrio vel in horto penes domum; ast silentii regula stricte servatur.

Ad rr. PP. professores accedere possunt singulis diebus hora 11ma; alio autem tempore nonnisi facultate obtenta, aut si fuerint vocati.

Omnes, qui sacerdotes non sunt, ordine alphabetico et quidem singuli per hebdomadem *ad mensam legunt*[2]).

Omnes item ex ordine singulis hebdomadis constituendo librum spiritualem praelegunt.

Sacerdotes singulis hebdomadis *per vices ad mensam benedicunt*[3]), litanias B. V. et preces vespertinas recitant, aliasque functiones sacras diebus dominicis et festis fieri solitas obeunt.

Omnes in triclinio semel aut iterum, prouti praepositis videbitur, concionem habent, omnesque, etiam

---

[1]) C. Quum ab omni 10. X. de vit. et honest. cler.

[2]) Can. Quando dist. 44. [3]) Can. Quando cit.

sacerdotes, collationi criticae orationis habitae per quartam horae partem post recreationem instituendae intersunt.

In lectione martyrologii omnes caput aperiunt, quum legitur mysterium Christi Domini vel B. V. vel elogia ss. patronorum Nicolai, Thomae Aquinatis et Aloysii.

Ad collationem casuum conscientiae non accedunt, nisi qui theologiam moralem audiunt vel jam audierunt. Iidem casum in proxima collatione solvendum et in loco patenti affingendum ex ordine describunt.

Nemini a sacello, nec a communi mensa, non ab ullis omnino locis, ad quae simul adeundum est omnibus, abesse licet sine P. regentis licentia.

Mundities, quae ad veletudinem et ad aedificationem confert, omnibus curae sit, tam circa se ipsos quam circa alia omnia. Agrestem fugiant negligentiam; eluceat imo in ipso vestitu nitor quidam ingenuus, minime tamen exquisitus[1]). Nemo vestibus aut calceamentis sordidis, detritis vel laceratis in publicum prodeat[2]). Ast comam alere aliaque huic similia, quae sacris canonibus prohibentur, omnino vitent.

Mundum sit cubiculum, ac nemo res suas in tabula susdeque versa relinquat aut chartae aliarumve rerum fragmenta in cubiculo spargat.

Januas quascunque, quantum fieri potest, absque strepitu claudant.

Ad scholam eant redeantque invicem associati bini et bini, cum ea modestia interiori et exteriori, quae ad sui et aliorum aedificationem confert. In via silentium stricte servabunt, non solum in convictu ipso, sed vel maxime in collegio Societatis. Item pedibus strepitum ambulando ne excitent.

Aërem in cubiculis singulis diebus semel saltem renovent.

---

1) Dist. 41. dict. Grat. 2) C. Parsimoniam 5 dist. 41.

Nemo, quum egreditur cubiculo, candelam accensam relinquat, nisi forte post aliquot momenta rediturus sit. Praeterea vespere hora 9. candelae extinguantur omnesque cubitum concedant.

Cubicula aliorum absque facultate nemo ingreditur.

Expensa praeter annuam pensionem occurrentia singulis mensibus solvunt.

Tempore haustus, qui ad summum inter 20 minuta perficiendus est, colloquia miscere licet. Ordinaria haustus quantitas est vel $^1/_2$ mensura cerevisiae, vel $^1/_4$ mensura vini. Eodem haustu cerevisiam et vinum simul, aut quantitatem ordinaria majorem absque facultate accipere non licet.

Famulorum opera ad negotia privata non utuntur absque facultate.

Nemo nisi consueta domus janua egrediatur vel ingrediatur.

Qui male se habere praeter solitum senserit, id illis, qui praesunt, aut per alios referendum curent, ut et diversa ratio victus habeatur et ille medicamentis adhibitis curetur. Nulla diligentia, nullum caritatis officium, nihil quod ad levandum aegrotum faciat, praetermittatur. Aegritudinis vero tempore ipse infirmus morbi molestias patienter perferat, aedificationemque iis, qui eum cum facultate superiorum inviserint, praestare curet, et obedientiam omnibus, ad quos valetudinis cura pertinebit, exhibeat.

Quo diligentius disciplina ab omnibus servari possit, praedictae consuetudines ac leges semel singulis mensibus in triclinio legantur.

Qui aliqua in re leges convictus violarit, P. regentem sponte sua conveniat seque delicti sui ac erroris accuset.

Catalogus

americanorum s. theologiae auditorum in oenipontana c. et r. universitate anno 1889.

A.

Theologi in sacris ordinibus constituti.

R. D. Busch Jos., archidioec. s. Pauli de Minn. presb.
„ „ Eschmann Carol., dioeces. bellevillensis presbyt.
„ „ Kohmescher Al., archidioec. cincinnaten. presb.
„ „ Nash Joan. D. D., dioec. buffalensis presbyter.
„ „ Schlathoelter Lud., archidioec. s. Ludovici presb.
„ „ Schuhmann Georg., dioec. ludovicopolitan. presb.
„ „ Shorter Jos., dioec. leavenworthiensis presb.
„ „ Staub Jos., dioeces. roffensis presbyter.
D. Niemann Henric., dioec. s. Josephi diaconus.
„ Lambert Joan., dioec. novarcensis subdiaconus.

B.

Theologi in minoribus ordinibus constituti.

D. Burri Joan. Jos., dioec. vancouveriensis acolyth.
„ Essmann Leo, archidioec. bostoniensis acolyth.
„ Illig Jos., dioec. eriensis acolyth.
„ Madden Jeremias, archidioec. chicagiensis acolyth.
„ Marshall Carol., archidioec. neo-eboracensis acolyth.
„ Scherer Franc., dioeces. buffalensis acolyth.
„ Sheehy Rich., archidioec. s. Pauli de Minn. acolyth.

C.

Theologi tonsurati.

D. Clauter Guilielm., dioeces. columbensis.
„ Kurtenbach Guilielm., archidioeces. s. Ludovici.

D.

Theologi ordinum candidati.

D. Ackermann Oscar, dioeces. ludovicopolitanae.
„ Bach Joan., archidioeces. milwaukiensis.
„ Boeding Arnold., dioeces. dubuquensis.
„ Fetti Georg., archidioec. cincinnatensis.
„ Gallagher Michael., dioeces. Fluminis rapidi.
„ Hahn Aloys., dioeces. bellevillensis.
„ Hauck Joan., dioeces. crossensis.
„ Jones Eduard., dioeces. Sioux Falls.
„ Kaercher Albert., dioeces. dubuquensis.
„ Knappe Leo, archidioeces. bostoniensis.
„ Kuypers Martin., nondum certae missioni addictus.
„ Lainck Anton., archidioeces. oregonopolitanae.
„ Mayrhofer Theodor., dioeces. crossensis.
„ Müller Jos., dioeces. roffensis.
„ Rott Marcus, dioeces. bellevillensis.
„ Rubly Guilielm., dioeces. dubuquensis.
„ Schaefer Petr., dioeces. albanensis i. A.
„ Schneider Frideric., dioeces. brooklynensis.
„ Thuente Theodor., dioeces. dubuquensis.
„ Weiss Georg., dioeces. ludovicopolitanae.
„ Wentker Jos., archidioeces. s. Ludovici.
„ Würz Jos, archidioeces. s. Ludovici.

E.

Theologi e Societate Jesu.

P. Bechtl Florentin., provinc. Missour.
Barrett Timoth., provinc. Maryl. neo-eborac.
O' Connor Mich., provinc. Missour.
Gasson Thom., provinc. Maryl. neo-eborac.
Moynihan Mich., miss. neo-aurelian.
Rother Aloys., provinc. Missour.
Walsh Patrit., miss. neo-aurelian.

Caput IV.

De examine juniorum sacerdotum.

Pluries inculcatam a synodo nostra vidimus strictam clericorum obligationem, „assidua et indefessa cura" in studia theologica incumbendi, ne quisquam se a continuo studio exemptum existimet prima illa, quam sibi in seminario jam acquisivit, rerum sacrarum scientia. Et ut speciatim apud juniores sacerdotes studium ecclesiasticarum disciplinarum magis magisque vigeat, decernit concilium praesenti capite, ut ipsi per spatium quinque a sacerdotio annorum examini annuo se sistant omnes, qui non fuerint ab Ordinario dispensati. „Examinandi autem districte sunt super variis praestitutis ecclesiasticae scientiae partibus, scripturae scilicet sacrae, theologiae dogmaticae et moralis, juris canonici, historiae ecclesiasticae, rei demum liturgicae". — In multis antiqui orbis dioecesibus materia hujus examinis in directorio seu ordine divini officii quotannis indicatur, ne „praestitutas quaestiones" perfunctorie tantum et leviter, ultimis fortasse ante examen hebdomadibus percurrant, sed vero per totum annum impenso studio ita pertractent, ut quae de proposito argumento juvenes in seminario didicerunt, non modo in mentem sibi revocent, sed penitius intelligant atque firmius pro usu practico teneant. Eum morem secutus, archiepiscopus cincinnatensis in synodo dioecesana anni 1886 statuit, ut annui hujus examinis materia „anno praecedente jam in kalendario dioecesano, quod vulgo audit ordo, promulgetur"[1]). Verum alii praesules americani tantum declararunt, „diem et materiam examinis se opportune designaturos, ut quisquis paratus accedere

---

[1]) Partis 1. c. 2; p. 5.

possit"[1]); „alii se praevie omnia indicaturos"[2]) edixerunt, alii „suo tempore"[3]).

Quod patres innuunt, ab onere examinis, propter peculiaria rerum ac personarum adjuncta, dispensari judicio episcopi posse, id ad eos referri videtur, qui in aliqua publica facultate theologica ad gradus academicos promoti jam exoptata suae doctrinae specimina aperte dederunt.

Caput V.

De collationibus theologicis.

Ecce quarto jam sermo est de pastoralibus sacerdotum conventibus, quos synodus nostra statis anni temporibus haberi jussit. Eos nimirum, ceu disciplinam ex antiqua traditione acceptam, saeculo nono legimus singulis mensibus actos sub nomine „kalendarum"[4]); deinde episcopis vidimus obligationem impositam, occasione visitationis sacrorum liminum, in relatione status ecclesiae, singillatim indicandi, „an habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur"[5]); tertio tandem ex constitutione „Romanos Pontifices" didicimus, Leonem PP. XIII., juri ecclesiae communi in favorem „moralium collationum" in eo derogasse, quod etiam regulares confes-

---

[1]) Ita v. g. habent statuta synodi dioecesanae buffalensis anni 1886, c. 19; p. 70.

[2]) Cfr. Concil. provinc. neo-eboracense IV. anni 1883, c. 14, p. 69.

[3]) Ita synodus dioecesan. leavenworthensis anni 1887, n. 27, p. 8.

[4]) P. 77. Quae ibidem dicuntur adducta a Du Cange prae caeteris sunt „Statuta Riculfi, episcopi suessionensis", anni 889 (apud Migne, Patr. lat. t. 131, pp. 22—23); „capitula Hincmari archiepiscopi rhemensis", c. 15, relat. in corpore juris canonici, c. Quando presbyteri 9, dist. 44 (apud Migne, l. c., t. 125, p. 777) et „capitulare Attonis, episcopi vercellensis", c. 29 (apud Migne, l. c., t. 134, p. 34.)

[5]) P. 46.

sarios, „qui hospitia parvasque missionum domus incolunt“, iisdem interesse voluerit[1]). — De iis collationibus igitur hoc capite proprium tractatum habet synodus, in quem breves has sub manu natas animadversiones adscribendas putamus. Ac primo quidem de ipso nomine videndum.

„Collatio“, verbale a confero, qua significat pugnandi causa admovere aliquid (manus, signa, castra), conserere, objicere, proprie est oppositio, quae fit ex illatione unius rei contra aliam, et ita sumitur pro congressu, concursu, pugna; translate autem est disputatio, in qua dicendo certatur cum alio, et ex utraque parte argumentis pugnatur. Eo sensu occurrit apud s. Augustinum, *Retractation.* l. 2, c. 39[2]) et alibi passim.

Smaragdus, abbas monasterii s. Michaelis virdunensis, collationem definit, ut sit „consessio, collocutio vel confabulatio, ubi de scripturis divinis, aliis conferentibus interrogationes, conferunt alii congruas responsiones, et sic quae diu latuerant occulta, conferentibus patefiunt perspicua“[3]).

Similiter in jure nostro collationum finis is esse dicitur, ut quae obscura sunt, „notando, conferendo, disputando bene et optima ratione discernantur, et sic latens veritas illucescat, et (detecta quum fuerit) saepius exagitata magis splendescat in lucem“[4]), quatenus „per acrium oppositionum ignem perficiatur aurum“[5]).

Collatio etiam significat illud, quod in unum congeritur ex dictis a variis de aliqua re disputantibus:

---

1) P. 143.

2) Apud Migne, Patr. lat. t. 32, p. 646.

3) *Commentar. in reg. s. Benedicti*, c. 42.; apud Migne, Patrol. lat. t. 102, p. 879.

4) C. Quia nonnunquam 2. jcta. gl. de verb. signif. Extrav. Joan. XXII.

5) Videantur quae ea de re scripsimus in opere „*De rationibus festorum utriusque SS. Cordis*“, t. 1, pp. 8—9., ac relegantur quae de synodica veritatis inquisitione in priori parte dicta sunt pp. 13—14.

quo sensu exstat opus Cassiani, *De collationibus patrum*, apud Migne, Patrol. lat., t. 49. — Nec alia ratione postremae parti corporis juris romani seu „novellis constitutionibus" a latinis interpretibus nomen „collationum" factum fuisse videtur, quam quod istae leges ex collationibus jurisperitorum, de novis constitutionibus edendis diu multumque conferentium, prodierint.

Haec de collationibus generatim spectatis, sive theoreticae dicantur ac contemplativae, quae nimirum solam rerum meditationem important atque ipso veritatis speculativae, cujus studium habent, intellectu contentae sunt; sive etiam practicae, quae ulterius progrediuntur ac doctrinas et artes spectant, quae in exercitatione et ipsa actione consistunt.

In praesenti capite de altero hoc collationum genere agitur, quae scilicet ad pastoralem sacerdotum vitam referuntur, praesertim ad administrationem sacramenti poenitentiae et observationem sacrorum rituum; quapropter a Sede apostolica suo proprio nomine „conferentiae casuum conscientiae et sacrorum rituum" vocantur[1]): quod in iisdem „de morum praesertim theologia ac de sacris ritibus"[2]) disputationes instituantur, quae ad practicos vitae pastoralis usus pertineant.

Concilium provinciale romanum anni 1725 collationes appellat „lectiones morales", seu „congregationes, in quibus alternatim rituum et conscientiae casus proponantur, discutiantur et practice exerceantur"[3]): quem loquendi modum reliquae Italiae synodi imitantur. Conciliis provincialibus aliarum regionum plerumque sunt „collationes morales sive pastorales"[4]), in

---

[1]) Cfr. sup. p. 46.

[2]) Ita Pius PP. IX. in constit. „Singulari" ad antistites imperii austriaci d. d. 7. mart. 1856.

[3]) Coll. lacen, t. 1, p. 371.

[4]) Videantur concilia Austriae, Hungariae, Neerlandiae in coll. lacen. t. 5.

quibus „casus pastorales ab ordinario assignati atque ab omnibus scripto resoluti in corona fratrum discutiantur et ventilentur"[1]). Quodsi quandoque simpliciori formula „collationes sacrae" dicantur[2]), eum in finem tamen declarantur institutae, ut „theologia praesertim moralis atque sacrorum rituum scientia excolatur"[3]). Sic igitur ipso fere vocabulo plerumque invenimus indicatum, collationes esse „exercitationes enodandis theologiae morum quaestionibus et sacris ritibus enucleandis institutas"[4]).

Circa delectum ipsorum casuum in collationibus discutiendorum s. Carolus Borromaeus haec docet: „Ea sit quaestionum materia, quam hominum mores, et rerum, quae in ea regione, ubi conventus habetur, geruntur, actiones negotiationesve subministrabunt. In iis denique rebus quaestiones versentur, quae ad casus conscientiae, non ad ingenii exercitationem pertinent: usque adeo ut qui in dioecesano conventu sunt, rerum potius tractationem et usum, quam verborum argutias consectentur". (*Instruct. congreg. dioeces.* Acta ecclesiae mediolanensis, parte 4, p. 651, edit. Bergomi 1738).

A communi hoc loquendi agendique more discedunt quae nostra aetate in Galliis celebrata sunt concilia[5]); conferentias enim ambigue vocant „collationes ecclesiasticas": quod nomen, quum multiplici ratione explicari possit, mirum non est, quod ab aliis latiori significatione sumatur pro congressu, in quem sacerdotes conveniunt sive generatim „de rebus ecclesiasticis inter se collaturi"[6]), sive speciatim „de praecipuis scientiae sacerdotalis quaestionibus disserturi"[7]).

---

[1]) Conc. provinc. colocen. an. 1863, ibid. p. 673.

[2]) Conc. prov. firman. an. 1726, coll. lac. t. 1, p. 589, et conc. II. coloniarum Angliae, Hollandiae et Daniae, an. 1867, ibid. t. 3, p. 1114.

[3]) Conc. I. earundem coloniarum; ibid. p. 1100.

[4]) Ita conc. provinc. ultraject. an. 1865, ibid. t. 5, p. 915.

[5]) Exstant in coll. lacen. t. 4.

[6]) Conc. provinc. remen. I. an. 1849, ibid. p. 154.

[7]) Conc. provinc. rothomagen. an. 1850, ibid. p. 522.

Concilium provinciale turonense anni 1849 simpliciter „omnia ecclesiasticae doctrinae ac disciplinae elementa collationibus materiam praebere vult, nempe scripturam sacram, theologiam, jus canonicum, res liturgicas, historiam ecclesiasticam“[1]): ut adeo ab amplissimis theologicarum disciplinarum argumentis non immerito „collationes theologicae“ appellentur[2]): quae latissima acceptio vocabuli collationis ecclesiasticae, reclamantibus licet canonistis, communis ecclesiae disciplinae tuendae studiosis[3]), paulatim in tota Gallia recipi[4]), quin et in vicinum Belgium propagari coepit[5]). Exinde termini collationes „ecclesiasticae“ et „theologicae“ in novum orbem invecti, ibique jure synodico identidem donati[6]), tandem Baltimorae solemniter in titulum erecti sunt. Inscriptioni respondet decreti textus, quum patres „in collationibus ecclesiasticis, praeter casus conscientiae, etiam quaestiones de sacra scriptura, theologia dogmatica, jure canonico et sacra liturgia“ tractari velint.

Concilium plenarium secutae synodi dioecesanae appellationem „collationum theologicarum“ adhibuerunt, excepta synodo cincinnatensi, quae nomen „collationum ecclesiasticarum“ retinuit. Dioecesis novarcensis, quae in prioribus suis statutis propius ad decreta romana accesserat, adhibito probatoque ex mente Pii PP. IX. termino „collationum pastoralium“, in

---

[1]) Ibid. pp. 264—265.

[2]) Conc. provinc. albien. an. 1850, ibid. p. 438.

[3]) Cfr. Revue théologique, 1858, pp. 124—130.

[4]) Cfr. inter caetera statutum aquense: „Réglement des conférences ecclésiastiques“.

[5]) Synodus dioecesana leodiensis anni 1857 materiam collationum ita definit: „Quaestiones tractandae spectant scripturam sacram, jus canonicum, theologiam dogmaticam, sed maxime theologiam moralem et ministerii sacri praxim“. (Appendix, n. 394).

[6]) „Collationes ecclesiasticae“ v. g. in conciliis provincialibus quebecensibus annorum 1851 et 1854, „conferentiae theologicae“ in conc. provinc. s. Ludovici anni 1858 vocantur.

recentissima sua synodo anni 1886 vocabulum „collationum theologicarum“ adjunxit. Haec de rubrica decreti.

Non solum juniores, sed et „annis provectiores“ sacerdotes lectioni et doctrinae studiosos esse volunt patres baltimorenses, et quidem ea ducti ratione, quam verbis Benedicti PP. XIV. afferunt, „ne qui initio praeclarissime confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus, omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis theologiae scientiam amittant, . . . ut vix inter tirones adnumerentur“[1]).

Major scilicet post quinquennium a suscepto presbyteratu sacerdotibus data libertas, licet custodiam minuat, non tamen in totum sollicitudinem perimit; nec ut dormiant, concessa est, sed ut suavius ac honorificentius laborent. Quoniam vero „natura hominum ea est, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli“[2]), ideo Summi Pontifices conferentias seu collationes pastorales, antiquis dudum probatas, auctoritate sua commendare et clero praescribere nunquam omiserunt, in quibus nimirum, ut vetera statuta habent, singuli incremento ditescere possint proprio, dum profectu laetentur alieno.

Accedit eo, quod periculosis hisce temporibus sacerdotes omnes hostibus undique incurrentibus resistere viribus unitis quam maxime debeant: quae quidem unitas spiritualis et pastoralis his collationibus, si scite ac legitimo ordine dirigantur, summopere fovetur[3]).

Concilium provinciale romanum anni 1725 collationes morales semel quavis hebdomada haberi voluit.

---

[1]) Institut. 32, n. 4.

[2]) Conc. trident. sess. 22, de sacrificio missae, c. 5.

[3]) Caeteros collationum pastoralium fructus praeter alias egregie declarat synodus dioecesana buffalensis citata, c. 20, n. 1. his verbis:

Licet autem in regionibus exteris adeo frequenter celebrari nequeant, Sedes apostolica tamen omnibus ordinariis identidem inculcat, ut saepius in anno habeantur[1]. Hinc patres baltimorenses merito statuunt, ut in civitatibus quater saltem in anno, et in districtibus seu decanatibus ruralibus bis celebrentur.

Methodum vero in istis coetibus in America servandam prae aliis accuratius proponunt duae, quas saepius jam laudavimus, synodi dioecesanae, cincinnatensis[2] et leavenworthensis[3]: quae si conjunctim sumantur, nihil sane reliqui faciunt, quod in eo argumenti genere desideretur. — Sed de gravissimo hoc disciplinae capite, praeter alia opera, lectione digna est dissertatio doctissimi Gerh. Schneemann[4], qua uno in conspectu positum habes, quidquid ex antiquitatis monumentis et ex recentioribus conciliis afferri potest ad varias rationes collationum pastoralium illustrandas atque intelligendas; additis etiam praecipuis auctoribus, qui hoc argumentum solide ac copiose pertractant.

„earum ope studia foventur theologica, praxis uniformior in sacro exercendo ministerio introducitur; si abusus in populo timeantur, facilius, suavius et efficacius praecaventur, vel, si vigeant, de medio tolluntur; tandem in clero conferentiae foveant pretiosam illam animarum unionem, quam Christus Dominus suis discipulis tantopere commendavit."

[1]) Videatur declaratio s. c. c. ea de re ad episcopum brixinensem data die 20. januar. an. 1859, apud Aichner, p. 440.

[2]) Partis 1, c. 6, §. 7, pp. 26—28.

[3]) Cap. 6, §. 3, pp. 9—10.

[4]) *Conferenzen,* in Kirchenlexicon, edit. 2, t. 3, pp. 858—862.

Titulus VI.

De catholica juventutis institutione.

Caput I.

De scholis catholicis, praesertim de parochialibus.

§. 1. De summa earum necessitate.
§. 2. De viis ac mediis scholas parochiales quam maxime promovendi.

Caput II.

De superioribus scholis catholicis.

Divina et naturali lege parentes obligari ad christianam educationem liberis suis procurandam, multis rationibus ostendunt patres, inde cum Summo Pontifice[1]) inferentes, scholas mere saeculares, ab omni cultura religionis abstrahentes, quas appellant mixtas vel neutras, jure merito ab ecclesia fuisse damnatas, nec unquam concedi licentiam posse tales scholas adeundi, nisi judicio episcopi et causa sufficiens adsit et necessariae cautiones adhibeantur, quae ex proximo remotum faciant periculum, quod ejusmodi instructio athea integritati fidei ac christianis moribus parat.

Clarae sunt, quae eam in rem utroque hujus tituli capite leguntur graves doctrinae, institutiones, admonitiones, adhortationes, praeceptiones ac sanctiones, nec ulla interpretatione ex nostra parte egent. Si quis tamen in earum confirmationem aut illustrationem aliquid novi habere vellet, praeter alia consulere posset authentica acta „mirandi et acerrimi illius duelli, quo hac nostra aetate vera Christi ecclesia et atheus

---

[1]) Epist. encycl. ad episcopos Galliae d. d. 8. febr. 1884.

saeculi spiritus de educatione juventutis" in Belgio conflixit. Ea ex genuinis fontibus erui ac publici juris fieri Leo PP. XIII. jussit d. 10. julii 1880, „ut nimirum tota rei gestae serie una cum omnibus instrumentis atque auctoritatibus in lucem veritatis prolatis, aequi viri facile statuerent, quam parum habeant firmamenti et virium conjectae ab inimicis in apostolicam Sedem indignissimae criminationes"[1]): quibus verbis ipse Summus Pontifex in allocutione diei 20. augusti ejusdem anni coram cardinalibus declaravit, quid sibi in pervulgandis actis fuisset propositum.

Nos quidem, omissis illis actis, ex una hac allocutione judicium Sanctissimi Domini de indole ac pravitate scholarum mere saecularium, seu neutrarum adscripsisse satis habemus. „Nostis, inquit Papa, indolem hujusce legis atque rationem. Profecto in ea condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet, ab auctoritate catholicae religionis, vel a pueritia, abducere animos institutionemque juventutis, remota qualibet ecclesiae providentia, civilis potestatis imperio voluntatique reservare. Etenim ea lege decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum pastorum partes, nullam ecclesiae vigilantiam; dissociatisque penitus a religione literis, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur: quod perfacile cernitur, quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum. Eoque gravius esse periculum intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis literarum palaestris, quas scholas normales vocant, ubi exercitatione praeceptisque formantur, qui quaeve dein-

---

[1]) Cfr. „Esposizione documentata de' fatti relativi alla quistione dell' insegnamento primario nel Belgio ed alla cessatione de' rapporti diplomatici tra il governo belga e la S. Sede", in Civiltà cattolica, 1880, t. 3, pp. 300—331 et 441—484; ac vide etiam „Précis historiques", 1880, pp. 454—456, et „Katholik" in serie articulorum an. 1889.

ceps velint ad erudiendos pueros se conferre. — Lex hujusmodi, per quam plurimum de doctrina juribusque ecclesiae detrahitur, maximoque discrimini sempiterna adolescentium salus objicitur, non poterat, salvo officio, episcopis probari, quibus a Deo id est muneris onerisque impositum, ut in salute animorum fideique sanctitate defendenda vigilanter elaborent. Revera quum probe sentirent, quid a se tempus officiumque postularet, sedulam operam dederunt arcendae ab ejusmodi publicis scholis juventuti, aliasque aperiendas curarunt, potestati suae obnoxias, in quibus tenerae adolescentulorum mentes quum literarum tum religionis elementis optime formarentur. — Nos vero, qui propter excelsum supremi pastoris et magistri munus, intemeratam ubique fidem conservare, sacra ecclesiae jura asserere, et salutis discrimina a capite gentium christianarum propulsare debemus, ipsa officii ratione sinere prohibebamur, indemnatam per nos abire legem, quam venerabiles fratres nostri, episcopi belgici, jure condemnavissent. Quapropter in literis nostris ad dilectissimum filium nostrum Leopoldum II. regem Belgarum aperte declaravimus, legem factam magnopere catholicae doctrinae praeceptis repugnare; eamdem perniciosam saluti adolescentium, neque parum ipsi civitati calamitosam futuram. Igitur qua talem improbavimus damnavimusque non semel, sicut nunc in conspectu omnium Vestrum, iisdem de causis, iterum improbamus atque damnamus. Quam more agimus institutisque apostolicae Sedis, quae judicii atque auctoritatis suae pondere scholas perculit cujuslibet religionis expertes, quas medias seu neutras appellant, quaeque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant; neque usquam passa est, ejusmodi scholas a juventute catholica celebrari, nisi certis casibus, quum eam tempus et necessitas cogeret, cautoque prius, ne praesens esset pravae contagionis periculum"[1]).

[1]) Cfr. Civiltà cattolica, l. c., pp. 515—518.

Titulus VII.

De doctrina christiana.

Quum materia hujus tituli ad officium parochorum pertineat, ejus locus proprie fuisset sub titulo secundo, ubi de triplici cura ovium sermo est. Eam synodus inde avulsam huc transtulit, quod, quae de doctrina christiana generatim monenda erant, cum decretis „de catholica juventutis institutione", praecedenti titulo propositis, naturali quadam colligatione conserta contextaque viderentur. Caeterum „non est inconveniens, eandem materiam diversis respectibus sub diversis poni titulis": quemadmodum gl. ad c. Docta[1]) expresse tradit, et exemplis ex utroque jure adductis confirmat.

Caput I.

De praedicationis munere.

Distingui duae partes in praesenti capite possunt. In priori synodus id agit, ut quae jure communi sunt circa praedicationem statuta, exacte serventur; in altera vero jus particulare, ad peculiares locorum ac temporum necessitates accommodatum, constituit.

Juris communis fontem patres assignant duas leges Tridenti sancitas; quas ea de causa cum selectis quibusdam animadversionibus huc transscribimus. Haec igitur habet concilium tridentinum sess. 5, c. 2:

„Archipresbyteri quoque, plebani, et quicunque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios ido-

---

[1]) De vita et hon. cleric. Extrav. — Recole quae de c. Docta superius dicta sunt pp. 167—168.

neos, si legitime impediti fuerint[1]), diebus saltem[2]) dominicis et festis solemnibus[3]) plebes sibi commissas[4]) pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis[5]), docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis[6]) vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat[7]), ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant". Hucusque verba affert synodus nostra plenaria. Pergit autem concilium tridentinum: „Id vero si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderet, etiamsi ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur aut alicui monasterio, etiam extra dioecesim existenti, forsan annexae vel

---

[1]) Quemadmodum parochus huic obligationi satisfacere per se ipsum tenetur, nisi sit legitime impeditus: ita „nec impediri ab obeundo praedicationis munere debet, si ipse per se praedicare velit". Ita ex declarat. s. congr. concil. Giraldi in *additament. ad Barbosa, de officio parochi,* parte 1, c. 14, n. 5.

[2]) Attendenda est vis „implicativa" conjunctionis „saltem", alia etiam includentis subjecta, quae expressa non sint, „dummodo proportionabilia reperiantur". Cfr. Barbosa, *Dict.* 355.

[3]) Omnibus scilicet diebus dominicis et festis solemnibus: reprobatis quibuscunque contra hanc legem invalescentibus corruptelis et abusibus.

[4]) Pasci plebs debet ut „grex Dei" (I. Petr. 5, 1), non ut proprius pastoris; ut plebs „sibi" h. e., ipsi parocho, non aliis, coadjutoribus seu vicariis, commissa a principe pastorum, cui strictam rationem reddere tenentur.

[5]) Ex plurium synodorum decretis „salutaris" hic sermo saepe sit argumenti dogmatici; quia dogmata fidei virentes illae herbae sunt, quibus vegetantur oves, aeternaeque veritates dicuntur pascua illa pinguia, quibus saginantur.

[6]) Quae ad formam sermonis pertinent, brevitas et facilitas, in ipso concilii nostri textu satis explicantur n. 216. A proposito tamen alienum non fuerit adnotasse, ex responso s. congreg. concilii „ad satisfaciendum legi opus non esse, ut oratio sit perpolita et elaborata ad formam, qua utuntur concionatores, sed satis esse, ut parochi, etsi formaliter non praedicent, plebes . . . pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis". Cfr. Giraldi, l. c.

[7]) Vitia ac virtutes, quae parochianis annuntiari debent, parochum nosse oportet ex accurata illa plebis sibi concreditae notitia, quae ante omnia in pastore requiritur.

unitae, modo re ipsa in dioecesi sint, provida pastoralis episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: ,Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis'[1]). Itaque ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas[2]) seu alias ad ipsius episcopi arbitrium[3]) cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat".

Ad statutum synodi baltimorensis de concionibus aliis anni temporibus ex episcopi jussu habendis spectat altera lex circa praedicationem Tridenti lata sess. 24, c. 4, quae est ejusmodi: „In aliis autem ecclesiis[4]) per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab ipso episcopo (impensis eorum, qui eas praestare vel tenentur vel solent) deputandos, in civitate aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum[5]) quadragesimae et adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomade diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas divinamque legem annuntient; et alias, quotiescunque id opportune fieri posse judicaverint". — Atque duo haec juris communis capita patres baltimorenses normam esse voluerunt, ad quam praecipua sua decreta exigerent.

---

[1]) Jerem. thren. 4, 4.

[2]) „Et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent". Ita sess. 24, c. 4. de reformat.

[3]) Animadvertit Benedictus PP. XIV., *De syn. dioec.*, l. 10, c. 9, n. 8, mentem esse s. congreg. concilii, non decere, ut episcopus poenam pecuniariam infligat, „ne videatur eam ferre pro quaestu et pecuniae emungendae causa".

[4]) In praecedentibus sermo erat de ecclesia cathedrali.

[5]) Expungendum est distinctionis signum seu comma (,), quod in multis concilii tridentini editionibus appositum conspicitur inter nomen „jejuniorum" aliudque „quadragesimae"; hic enim non agitur de omnibus jejuniis per anni decursum occurrentibus, sed de solis jejuniis quadragesimae, prout decisum refert Barbosa ad h. l.

Jus particulare continet insolens, quod subdunt, „praeceptum, ut diebus dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes qui curam habent animarum, per se, aut, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos inter celebrationem omnium omnino missarum, quibus adstant fideles, sive illae missae sint cantatae, sive privatae, vel etiam valde mane celebrentur, evangelium diei currentis lingua vernacula distincte legant, atque si tempus patitur, per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant, omni consuetudine aut praetextu in contrarium non obstante. Quod si quis obstinate neglexerit, ab ordinario severe puniatur".

Quod extraordinarium decretum licet primo aspectu novum plane ac mirum videatur, non tamen sine exemplo in praesenti materia est, quemadmodum authentica s. congregationis concilii declaratio, quam adscribimus, ostendit. „Edixerat, ita refertur causa[1]), episcopus neritonensis, ut quicunque sacerdos in ecclesia parochiali primum sacrum acturus esset, vel primum et secundum in aliis ecclesiis et capellis sive intra civitatem sive in 16 terris et oppidis, quibus constat universa dioecesis, teneretur post primum evangelium docere populum doctrinam christianam juxta methodum ab ipsa scriptam in folio, quod publicis formis impressum ecclesiis omnibus distributum fuit. Si quis secus faceret, declarabatur suspensus per tres dies. Folium autem illud ita custodiri jussit, ut si quacunque de causa, etiam fortuita, periret, ecclesia interdicta esset, donec novum reponeretur. — Ab hoc edicto quum appellatum esset, ad quaestionem 1. An sustineatur edictum in ea parte, qua sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi doctrinam christianam sub poena suspensionis in casu? s. c. resp.: affirmative, juxta modum explicandum

---

[1]) In edit. concil. trident. Schulte et Richter, pp. 21—22.

episcopo. Ad 2. vero, An sustineatur poena interdicti in eodem edicto inflicta adversus ecclesias, in quibus contigerit deficere formularium doctrinae christianae in casu? Negative. D. 3. sept. 1757.

Novam legem pleraeque recentiores synodi dioecesanae statim executioni mandandam curarunt, ut ecce synodus roffensis, accuratius statuendo n. 16, „ut singulis dominicis et festis solemnibus, etiam tempore aestivo, in qualibet missa, cui adstant fideles, post evangelium brevis aliqua fiat instructio, quae cum praelectione evangelii in lingua vernacula et annuntiationibus, saltem ad duodecimam horae partem, sed non ultra quadrantem protrahatur".

Aliae synodi tamen obligationem „praescriptae hujus conciunculae" ad ecclesias restringunt, „apud quas plures sacerdotes sacro munere funguntur"[1]); aliae, tempus extendendo, „saltem sextam partem horae, praeter missam ipsam, volunt impensam in publicationibus faciendis, lectione evangelii, et si tempus amplius adsit, instructione brevi"[2]).

Caput II.

De catechismo.

Catechismus, vox graeca κατηχισμός, aliquando sumitur pro ipsa catechesi, aliquando vero pro libello catechesim continente.

Est autem catechesis, gr. κατήχησις, institutio, eruditio, quae viva voce citra scripta (ἀγράφως) peragitur; κατηχέω (ex κατά et ἦχος) quippe est insono, rem scilicet auribus ejus, quem docere volo, h. e., voce ac sono aliquem erudio. Peculiari ratione catechesis eam instructionem significat, qua prima alicujus artis seu

---

[1]) Synod. dioec. leavenworthensis, c. 19, §. 1, p. 65.

[2]) Synod. dioec. cincinnatensis, parte 1, c. 3, pp. 6—7.

scientiae rudimenta per vivam vocem traduntur[1]). Scriptoribus ecclesiasticis nominatim catechesis ea institutio est, qua rudes et imperiti primis religionis elementis viva voce imbuuntur; et qui sic erudiuntur, *κατηχούμενοι* vocantur. Et id quidem non sine causa factum; olim enim mysteria fidei et religionis, iis, qui baptismatis essent candidati, non in scriptis tradebantur, ne forte in manus infidelium devenirent et ita tanquam profana riderentur; sed viva voce, nullo adhibito libro, proponebantur, ut adeo catechumenatum ingressi vere proprieque dicerentur „audientes", ceu mysteriis viva voce percipiendis occupati, nondum vero ad ea sive in ecclesiis spectanda sive in scriptis legenda admissi. Atque haec celebris erat „arcani disciplina", quam ab ipso Christo et apostolis acceptam diu christiani retinuerunt, quaeque demum sua veluti sponte desiit, postquam ethnica superstitio fere ubique exstincta fuit[2]). Verum sublata causa non cessavit effectus, et ita nomen remansit.

Praesenti capite nomen catechismi utroque sensu accipitur; pro ipsa catechesi, seu pro brevi et methodica instructione, qua juventus catholica fidei rationes vitaeque christianae officia in „scholis catechismi" edocetur; et pro libello, qui mysteria fidei caeteraque scitu necessaria proponit.

Persuasum habentes „nihil majus esse posse, quam parvulorum animas, partem non indignam horti ecclesiastici, quasi plantare et rigare"[3]), patres baltimorenses strictam quae sacerdotibus curam animarum habentibus

---

[1]) Sunt qui strictioris hujus significationis causam inde repetant, quod infantes ac rudes doceantur, praeeunte magistro, literas syllabatim efferre ac sono veluti reciproco (ἠχώ) verba imitari, quae ipse dixisset.

[2]) Cfr. Devoti, *Institut. can.*, l. 2, tit. 2, §. 32 not. 4; ac vide etiam quae eandem in rem ex recentioribus afferunt Peters in Realencyklopaedie (Kraus) t. 1, pp. 74—76, et Wandinger in Kirchenlexicon, t. 1, pp. 1234—1238 (2. edit.).

[3]) Ita Joan. Gerson. *De parvulis ad Christum trahendis.*

incumbit[1]) obligationem catecheses rite habendi, omnibus modis adurgent: gravissimis conciliorum et Summorum Pontificum nixi decretis, in quibus tanquam certum atque exploratum admittitur, „e catechetica institutione conservationem fidei, probitatem morum, felicitatem populi indeque ecclesiae et reipublicae salutem pendere; ea vero neglecta, omnes reliquas instructiones pastorales inutiles fore, omnemque spem emendationis praesentis et futurae generationis evanescere“[2]). — Decisum refert Barbosa, „fuisse suspensum ab officio suae curae quemdam parochum per sex menses, eo quod rudimenta fidei suos parochianos non docuisset“; ac multis adductis auctoritatibus probat, his nostris temporibus posse ab ordinario per censuras ecclesiasticas compelli et subditos, ut doctrinam christianam addiscant, et parochos, ut eam rite doceant[3]).

De probe instituenda adolescentia lectione digna est elegans s. Hieronymi epistola ad Laetam de institutione filiae[4]), quam sequentibus verbis, pastori animarum continuo considerandis, concludit: „Ipse, si Paulam ad me miseris, et magistrum me et nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multum gloriosior mundi philosopho (Aristotele), qui non regem Macedonum babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam, regnis coelestibus offerendam“. Tanti s. doctor fecit munus, teneros infantium animos ad christianae vitae officia informandi! — Alia ad hoc argumentum illustranda petantur ex historia tum confraternitatum doctrinae christianae, tum variarum congregationum religiosarum, quarum finis in promovenda doctrina chri-

---

[1]) Conc. trid. sess. 24, c. 4. de reformat.

[2]) Ita ferme doctores omnes a Barbosa relati ad conc. trident. l. c., n. 24.

[3]) Ibid. n. 26.

[4]) Epist. 107. apud Migne, Patr. lat., t. 22, pp. 867—873.

stiana est positus. Ea in brevem summam collecta dat Kirchenlexicon t. I. sub vv. „Christenlehre“, pp. 197—200, et „Doctrinarier“, pp. 1872—1877.

Vocabulum catechismi deinde pro libello fundamenta religionis breviter exhibente sumunt patres, dum sollicita cura ac diligentia id agunt, ut communis catechismus conficiatur, qui doctrinam christianam exacta methodo, ad nostrae aetatis necessitates accommodate, proponat, ac rite approbatus „in omnibus scholis ac catechesibus solus adhibeatur“[1]. „Id tamen ita intelligendum videtur, ut peracto cursu brevis hujus catechismi conciliaris possit major aliquis catechismus, v. g. Deharbe, adhiberi pro superiori et pleniori instructione. Ejusmodi major catechismus, qui, absoluto jam brevi illo ac communi catechismo, pro pueris in scientia provectioribus adhibetur, vulgo catechismus perseverantiae appellatur“[2].

Editus jam est parvus iste catechismus sub titulo: „A Catechism of Christian Doctrine, prepared and enjoined by order of the Third Plenary Council of Baltimore, for the use of Catholics in the United States of America“.

Ut genuinum opus, quod diligenter sit de mandato concilii compositum atque examinatum, legitur approbatus a delegato apostolico his verbis; „The Catechism ordered by the Third Plenary Council of Baltimore, having been diligently compiled and examined, is hereby approved.

† James Gibbons,
Archbishop of Baltimore,
Apostolic Delegate“.

Baltimore, April 6, 1885.

---

[1]) Ita synod. dioec. roffensis cit., n. 33.

[2]) Cfr. Synod. dioeces. cincinnatens. cit., part. I, c. 3, p. 6; et synodo leavenworth. cit. n. 161.

In approbatione delegati apostolici inest vis ac ratio authentici testimonii, quod publicam fidem facit, hunc catechismum revera esse juxta normas a concilio praescriptas diligenter compositum atque examinatum, eumque „ut talem" approbari. Inde patet, approbationem delegati apostolici non in doctrinas in libro traditas cadere, sed in formam operis: ea ferme ratione, qua in priori parte ostendimus pp. 42—43, romanam actorum recognitionem id efficere, ut certi reddamur, omnia rite ac legitime esse conscripta, quin ideo res ipsae, quae legitime sunt literis consignatae, approbentur aut confirmentur.

Opus ipsum quod attinet, catechismus hic propositus doctrinam christianam quaestionibus 421 continet, eamque accommodate ad propria temporum ac locorum adjuncta exhibet.

Quamvis autem bonus sit liber suaque laude dignus, non tamen ita omnibus suis numeris absolutus atque expletus existit, ut eo nihil possit in suo genere esse praestantius. Sic, ut ex quaestionibus illis, quae magis perfici possint, unam adducamus, in explicanda ratione apostolicae successionis episcoporum a praesenti catechismo (non utique sine summa reverentia tantis ejus auctoribus debita) aliquantulum recedimus. Postquam scilicet quaestione 118 traditum est dogma catholicum de Papa, Petri in romano episcopatu indeque in primatu successore, ponitur quaestio 119: „quinam aliorum apostolorum sint successores? respondeturque, „successores aliorum apostolorum esse episcopos sanctae catholicae ecclesiae"[1]).

Jam vero adjectivum „alius", quod nomini „apostolus" jungitur, hoc loco manifeste ponitur pro „reliquus", ac diversitatem subjecti denotat, h. e., reliquos

---

[1]) *Q.* Who are the successors of the other Apostles? *A.* The successors of the other Apostles are the Bishops of the Holy Catholic Church.

apostolos, excluso scilicet, de quo in praecedentibus sermo erat, Petro[1]).

Atqui talem doctrinam ejusque suppositum aegre admodum componi cum principiis juris ecclesiastici publici posse censemus, quum collegium apostolorum, cui collegium episcoporum „in episcopatu" successit, nunquam sejungi possit a Petro: quemadmodum pluribus a nobis est supra declaratum pp. 24—25[2]).

Caput III.

De libris precum.

Tertio loco agunt patres de populari medio doctrinam christianam promovendi ac propagandi, scilicet de formulis precationum deque libris, qui ejusmodi formulas continent atque universim usum et methodum orandi tradunt.

Rubrum capitis seu inscriptio angustius patet nigro sive textu subjecto; dum enim rubrica de solis libris precum mentionem facit, ipsa decreta sub hoc titulo proposita de cunctis operibus circa fidem et mores scriptis agunt ac praeterea expresse tractant de munere sacerdotis, curam animarum habentis, „populo sacras ecclesiae caeremonias pie prudenterque lingua vernacula exponendi."[3]) Id tamen aliqua ratione cum rubrica cohaeret, quod synodus plenaria rectam „orandi normam" ex intelligentia ecclesiasticorum rituum atque ex praescriptionibus librorum liturgicorum addisci posse doceat.

Ad duo capita revocantur, quae patres de libris precationum statuunt. Ac primo quidem severe interdictum volunt, ne opera de religione tractantia, atque

---

[1]) Non ita Summus Pontifex Leo XIII, in epistola data ad archiepiscopum turonensem, quam mox sistemus p. 272.

[2]) Videantur etiam quae superius dicta sunt p. 188.

[3]) Conc. trid. sess. 22, de sac. mis., c. 8; et sess. 24, c. 7, de ref.

in iis nominatim libri precum, sine debita approbatione ordinariorum in lucem emittantur, idque triplici ferme ratione confirmant, quod nimirum primo in tanta ac paene infinita auctorum multitudine, quae etiam novorum librorum precum repente emergentium accessione in dies augetur, episcopi intentiore cura vigilare debeant, ut omne damnum religionis arceatur et periculum animarum; quodque secundo, juxta antiquam sanctorum patrum regulam „legem credendi statuendam esse per legem supplicandi"[1]), ex ipsis precum formulis integritatem fidei splendere ac latius diffundi necesse sit; tertio tandem, quod generatim unius ecclesiae judicio constare possit, quos libros de religione agentes legere sine periculo liceat, quos contra fugere oporteat: qua cautione neglecta saepe factum esse dolent patres, ut imprudens et ignarus libros precationum adhiberet perniciosos, quos salutares putabat, superstitionesque combiberet, quae semel infixae animo vix unquam deponuntur.

Alterum decretorum caput ad authenticum aliquem librum precum scite exarandum pertinet, qui a viris doctis debite expensus atque ab episcopatu rite approbatus omnibus sit communis: quo scilicet uniformitas in publicis precibus fundendis ubique servetur. Et id optimo sane consilio atque ad veterum exempla decretum! Antiquum concilium africanum anni 407 jam statuit: „Preces vel orationes, quae probatae fuerint a concilio . . ., ab omnibus celebrentur; nec aliae omnino dicantur in ecclesia, nisi quae a prudentioribus tractatae vel comprobatae in synodo fuerint; ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam vel per minus studium sit compositum"[2]). — Et concilium moguntiacum anni 813 praecipit c. 4.: „ut cuncta concorditer

---

[1]) Recolantur, quae de usu dogmatico formularum precandi attulimus in *Kalendario utriusque ecclesiae,* t. 1, pp. XXXIV—XXXVI.

[2]) Apud Hardouin, coll. conc. t. 1, p. 1219. n. 12.

et uniformiter in singulis parochiis fiant"[1]); quam uniformitatem s. Agobardus, episcopus lugdunensis († 840 circ.), in eo consistere docet, quod „juxta probatissimam fidei regulam et paternae auctoritatis venerabilem disciplinam una a nobis atque eadem custodiatur forma orationum, forma lectionum, forma ecclesiasticarum modulationum"[2]). Inde enim teste Innocentio PP. I. epist. 25, in praef. „diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc putat esse tenendum"[3]).

Caput IV.

De libris et ephemeridibus.

Decreta hujus capitis praesertim ad tertium atque ultimum boni pastoris officium pertinent, ad vigilantiam scilicet ac sollicitudinem, qua oves sibi commissas a bestiarum dentibus et ungulis vindicet, h. e., a maximis, quos habent et timent, inimicis, ubique ac diversis artibus ipsarum vitae insidiantibus, circumspecte et fortiter agendo, muniat ac tutas reddat.

Bipartitae rubricae duo decretorum genera respondent, alterum de libris, alterum de ephemeridibus.

In priori parte inculcant patres principia, quae tamquam certa atque a catholicis omnibus admissa valent de vetita pravorum lectione librorum, fideles scilicet eos legendo facile a rectis credendi vivendique regulis abduci, indeque jure merito prohibitum omni aetate in ecclesia fuisse, quominus noxii libri legerentur atque etiam retinerentur, additis poenis, quibus fideles a tanto periculo absterrerentur[4]). Deinde

---

[1]) Ibid. t. 4, p. 1010.
[2]) Apud Migne, Patr. lat., t. 104, p. 338. — [3]) Ibid. t. 20, p. 552.
[4]) De justa nocuorum librorum prohibitione, prae caeteris, accu-

pastores, confessarios, concionatores ac generatim omnes, quorum est curare, ut omnis mali atque erroris auferatur occasio, patres serio admonent officii, diligenter sancteque vigilandi, ut periculum omne ab iis, qui sibi vel subditi sunt vel aliqua ratione concrediti aut commendati, longe arceatur.

Quod ephemerides spectat, concilium pari diligentia saluti atque utilitati christianorum prospectum voluit, edito salutari decreto, ut in iis admittendis et legendis necessaria cautio adhiberetur, ne, si periculosae ephemerides in omnium manibus impune ac sine delectu versarentur, fideles ex quotidiana lectione eorum, quae contra sanam religionem eduntur, grave detrimentum acciperent. Et quemadmodum reipublicae christianae satis non esset consultum vetita pravorum lectione librorum, nisi in eorum locum boni sufficerentur: ita sanctissima religio non satis ab impetu et furore perditorum hominum vindicata esset, si prohibitis depulsisque malis ephemeridibus fideles a bonis atque utilibus imparati manerent. Atque hinc est, cur patres, in salutem populorum suorum intenti, tum Baltimorae in concilio sociati, tum in propriis synodis domi habitis, gravissimo huic negotio promovendo plurimum operae studiique tribuisse atque etiam nunc tribuere legantur. Obvia omnibus atque aperta sunt, quae praesenti loco exhibentur concilii plenarii decreta. Ex synodis dioecesanis duo statuta in exemplum adjicimus, quae etiam palam faciant, quantam curam episcopi adhibeant de ecclesiis suis bona literaria supellectili instruendis. Synodus dioecesana leavenworthensis anni 1887 ea de re haec statuit n. 164.; „Nullum latet quantae utilitatis aut ruinae sint ephemerides nostris hisce temporibus. Quam ob causam sacerdotibus curam animarum habentibus maxime cordi

---

rate ac copiose scripsit Zaccaria, in opere cui titulus *Storia polemica delle proibizioni de' libri.*

esse debet tum ephemerides nocivas a gregibus sibi commissis arcere, tum folia catholica introducere et fovere. Ut concilii plenarii III. decreto 227 satisfaciamus, statuimus, ut in dioecesi nostra una sit ephemeris catholica, et altera inconsulto ordinario non evulgetur. Rectores ecclesiarum lupos foliorum acatholicorum rapaces a gregibus avertant, folia catholica per seipsos fovere et introducere sui muneris esse sciant, in quantum hic et nunc fieri possit. In visitatione parochiae quoad ephemerides et libros magnam adhibeant curam. Ut libris improbis aditum quo magis a grege arceant, bibliothecae parochiales instituantur, fidelesque ad lectionem librorum in ea inveniendorum a rectoribus urgeantur. Rectores deinde patres vel matres familiarum saepe admoneant, ut libros instructioni aedificationique aptissimos, nempe Goffine, Lives of the Saints, Bible History, Catechism, aliosque similes familiis procurent, suosque tempore opportuno ad eos legendos incendant.“ Quae omnia brevius perstringens synodus roffensis ejusdem anni decernit n. 9: „Fideles, ac praesertim patres familias, saepe graviterque moneantur, ut biblia ab acatholicis vitiata, et libros religioni aut bonis moribus injuriosos, atque ephemerides improbas, tales praesertim, quae religionem catholicam ordinarie impugnant, aut castitati periculum adducunt, procul a se suisque domibus arceant; sed libros potius bonos ephemeridesque catholicas emant atque disseminent. Hunc in finem multum commendamus erectionem bibliothecarum parochialium“[1]).

---

[1]) In ejusdem rei illustrationem adscripsisse juverit decreta concilii plenarii Australasiae, apud Sydney habiti an. 1885: „Insuper omnes pastorali nostrae sollicitudini concreditos, ut filios carissimos, monemus, ut scripta, quae — proh dolor! — in dies plurima rei christianae infensissima eduntur, respuant et detestentur. Praesertim vero patribus est matribusque familiae cavendum, ne quid fideì periculosum sapiant libri ephemeridesve, quae forte filiorum aut domesticorum manibus facile

Ultimo loco agit synodus de rectoria episcoporum potestate deque obtemperatione, quam ipsis catholici librorum ephemeridumque editores exhibere tenentur. Magna in iis regionibus scandala inde orta dolenter affirmant patres, quod plures scriptores, qui catholico nomine gloriantur, in sacram episcoporum auctoritatem injuriosi extiterint; palamque declarant, praesentiora ac fortiora remedia esse tot tamque periculosis abusibus invenienda: additis etiam gravibus adhortationibus et severis canonicarum poenarum minis, si qui in tam improbo scribendi genere inemendabiles essent. Quod argumentum quum sapientissimus Pontifex Leo XIII. pro singulari suo in divinae religionis et disciplinae ecclesiasticae integritatem studio non ita pridem egregie, ut solet, exposuerit in epistola ad archiepiscopum turonensem data, ipsis ejus verbis reverenter adscriptis desideratum lumen decretis baltimorensibus affundemus: majorem exinde gratiam apud auditores, futuros scriptores, inituri, quam si praecipuum hoc doctrinae caput rationibus aliunde petitis illustrare vellemus. — Est autem hujus tenoris:

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Est sane molestum et grave, adhibere severius eos, qui loco filiorum diligantur; id tamen vel inviti quandoque faciant oportet, qui aliorum salutem procurare ac tueri sancte debent. Multoque severitatis tunc est necessitas major, quum non sine causa metuitur, ne et graviora fiant incommoda productione temporis, et latius ad offensionem bonorum fluant. Tales te causae videntur, venerabilis frater, nuper impulisse, ut pro potestate in scriptum quoddam animadverteres, sane reprehendendum, quod esset in sacram

---

inserantur. — Maxime vero optandum est, ut libelli pii et qui fidem catholicam defendunt, quamplurimum disseminentur. Magnum insuper emolumentum ex bibliothecis parochialibus rite ordinatis fidelis populus consequetur“ (nn. 15—16).

episcoporum auctoritatem injuriosum, neque unum aliquem ex eis carperet, sed plurimos: quorum agendi regendique ratio sic erat acri descripta stylo et prope in judicium vocata, quasi maximis sanctisque muneribus defuissent. Profecto non est ullo modo ferendum, laicos homines, professione catholicos, palam in diariorum paginis tantum sibi arrogare, ut licere putent et contendant de personis quibuslibet, non exceptis episcopis, liberrime prout visum fuerit, judicare et eloqui: in rebus omnibus, nisi quae fidem divinam attingant, ita sentire uti libeat, et suo quemque arbitratu agere.

In hac causa nihil esse potest, venerabilis frater, cur de assensione et approbatione Nostra dubites.

Muneris enim Nostri maxime est vigilare et conniti, ut divina episcoporum potestas omnino incolumis atque inviolata consistat. Nostrum est pariter imperare et efficere, ut ea ubique honore vigeat suo, neve quidquam a catholicis justae obtemperationis et reverentiae ulla in parte desideret. Divinum quippe aedificium, quod est ecclesia, verissime nititur, tamquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus ejus, proxime in apostolis et successoribus apostolorum episcopis: quos qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum. Ex episcopis constat pars ecclesiae longe augustissima, quae nimirum docet ac regit homines jure divino: ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audientem esse pertinaciter recuset, ille ab ecclesia longius recedit. (Matth. 18, 17.) Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem christinam pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi quidem in populo christiano fidei sanctae magistri; at praesunt etiam tanquam rectores et duces, atque ita praesunt, ut de hominum salute, quos habent a Deo creditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda. Unde

existit illa Pauli apostoli ad christianos hortatio: *Obedite praepositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Heb. 13, 17).

Liquet enimvero et perspicuum, est duplicem hominum esse in ecclesia ordinem, alterum ab altero natura sua distinctum, pastores et gregem, id est, rectores et multitudinem. Prioris ordinis munus est docere, gubernare, moderari vitae disciplinam, praecepta dare; alterius vero officium subesse, obsequi, praecepta sequi, honorem adhibere. Quod si, qui subesse debent, partes eorum qui sunt superioris ordinis sumant, illi non modo temere et injuria faciunt, sed, quantum in ipsis est, ordinem ab auctore ecclesiae Deo providentissime constitutum funditus pervertunt. Si vero forte quidam in ipso episcoporum ordine reperiatur non suae satis memor dignitatis, qui religionem officii aliqua ex parte videatur deseruisse, nihil ipsi ob eam causam de potestate sua decederet; et quamdiu communionem cum romano Pontifice retinuerit, profecto ex ejus ditione liceret nemini observantiam in eum atque obedientiam minuere. Contra inquirere in acta episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem maximum, quippe cui Christus non agnos modo, sed oves quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut objurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur.

Ista rerum capita, quae potissima sunt, nec convelli queunt, quin ecclesiae, regimen in magnam confusionem perturbationemque compellatur, non semel

Nos commemorare habuimus et inculcare. Satis loquuntur et epistola ad legatum Nostrum in Gallia a te iterum commode evulgata, et aliae subinde ad archiepiscopum parisiensem, ad episcopos Belgii, ad nonnullos ex Italia, binaeque litterae encyclicae ad episcopos tum Galliae tum Hispaniae. Nunc ea ipsa documenta rursus commemoramus, rursus inculcamus, spe magna freti, fore quidem ex admonitione et auctoritate Nostra ut animorum motus apud vos per hos dies excitati resideant, confirmentur omnes et conquiescant in fide, in obsequio, in justa debitaque eorum verecundia, qui sunt sacrae potestatis in ecclesia compotes. A quibus profecto officiis non ii solum putandi sunt declinare, qui rectorum auctoritatem aperta fronte repudient, sed ii non minus, qui adversentur et repugnent, callide tergiversando et obliquis dissimulatisque consiliis. Obedientiae vera et non fucata virtus non est contenta verbis, sed in animo potissimum et voluntate consistit.

Quoniam vero culpa agitur certae cujusdam ephemeridis, facere nequaquam possumus, quin auctoribus ephemeridum catholicis iterum praecipiamus, ut documenta et praescripta, quorum supra est facta mentio, uti leges sanctas vereantur, neque ab eis ullo pacto discedant. Iidem praeterea hoc in animis persuasum habeant et defixum, se nimirum, si usquam praeterire illud propositum et judicio suo indulgere non dubitent, sive praejudicando quod apostolica Sedes nondum censuerit, sive auctoritatem episcoporum laedendo, sibique eam arrogando, quam habere non possunt; frustra omnino confidere, germanam catholici nominis laudem retinere, aut ullo modo prodesse causae sanctissimae nobilissimaeque posse, quam tuendam ornandamque susceperunt.

Jamvero hoc Nos summopere optantes, ut ad sanitatem redeant quicumque erraverint, et obsequium

sacrorum antistitum in omnium animis penitus inhaereat, apostolicam benedictionem, tibi, venerabilis frater, cunctoque clero et populo tuo, paternae benevolentiae et caritatis testem, in Domino impertimus.

Datum Romae, apud s. Petrum, die 17. decembris, an. 1888, pontificatus Nostri undecimo.

Leo PP. XIII.

Titulus VIII.

De zelo animarum.

Zeli vocabulum in jure nostro frequenter occurrit, sive absolute positum, ut quum in celebrandis electionibus „zeli ad zelum collatio fieri"[1]) ac totum electionis negotium „meliori zelo"[2]) absolvi jubetur; sive cum aliis nominibus junctum, ut quum vel laudatur „zelus Dei"[3]), „zelus apostolicae ultionis"[4]), „zelus catholicae matris ecclesiae"[5]), „zelus disciplinae"[6]), „zelus justitiae"[7]), vel reprobatur „zelus Cain"[8]) et generatim zelus pravorum, qui in malam partem acceptus, sumitur pro invidia, odio, prava aemulatione. Dignum ergo videtur, ad rubricam tituli brevem interpretationem zeli ejusque rationum exhibere.

„Zelus", dictio graeca *ζῆλος* (*ζέελος*), a verbo *ζέειν* (fervere), ardorem quemdam animi et contentionem

---

[1]) C. In genesi 55. X. de electione.
[2]) C. Ecclesia vestra 57, ibid.
[3]) C. Sed illud 17. dist. 45, alibi.
[4]) C. Fertur 28. C. 1. q. 1.
[5]) C. Excommunicatorum 47. C. 23. q. 5.
[6]) C. Vera justitia 15. dist. 45.
[7]) C. Mali sunt 54. final. C. 23. q. 4.
[8]) C. Neque ad Cain. 3. dist. 90.

mentis designat; nominatim fervorem illum, qui in aemulatione cernitur; unde et aemulatorium studium, affectatio, desiderium, cupido dicitur.

Accipi vocabulum in utramque partem potest, quum non minus laudatae et justae affectionis significativa sit, quam pravae et improbae aemulationis. Zelus cum virtute conjunctus est stimulus, quo animus excitatur ad honestissimum quodque facinus cum justitia suscipiendum; in malam partem sumptus autem zelus dicitur vitiosa illa affectio, quae invidiam de alterius bonis, livorem odiumque parit.

Zelum theologi scholastici definiunt amorem intensum, non patientem consortium in re amata, eumque triplicis generis esse docent, zelum conjugis, zelum invidiae, zelum amicitiae, Dei scilicet et proximi[1]).

Deus ipse „zelantis" nomine se hominibus insinuavit, quod amator esset, qui nullum in amore ferret rivalem; idque primo quidem, quod nunquam permittere possit, ut amor ille cultusque sibi uni debitus ad creaturas ceu idola transferatur; deinde vero, quod ‚animam quasi sponsam suam sibi adimi per fornicationem spiritualem non sinat, nec eam impune patiatur ‚ad injuriam Dei altera copulari"[2]).

Angelis quoque zelus tribuitur, quod, notante s. Ambrosio[3]), „substantiae suae praerogativam amittant, nisi eam zeli ardore sustentent."

Scriptoribus ecclesiasticis in praesenti materia zelus est ardens colendi Dei studium, in quo caeteros non solum aemulamur, sed et sancte superare conamur.

Aemulatorium hoc divini cultus studium praecipue duobus modis se exerit, vegeta cupidine regni Dei propagandi et ardenti contentione salutis animarum

---

[1]) Cfr. s. Thomas, I—2, q. 28, art. 4, et alibi passim.

[2]) C. Hi ergo C. 27. q. 1.

[3]) Exposit. *Psalm.* 118, serm. 18, n. 14. Apud Migne, Patr. lat. t. 15, p. 1458.

procurandae. „Zelo, inquit idem s. Ambrosius, ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur“[1]).

Zeli excellentia ex duabus maximis virtutibus, quae eum veluti producunt ac fulciunt, eruitur; ex caritate et religione; quod s. Paulus haud obscure indicavit, quando flagrans summo desiderio salutis judaeorum promovendae ait: „Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis“[2]). Et celebris est s. Gregorii M. sententia: „Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum“[3]).

Dici vix potest, quantis laudum praeconiis sancti ecclesiae patres zelum animarum extollant ac celebrent. Omnium loco unum s. Ambrosium adducimus, qui idem hoc argumentum data opera sermone 18 in vers. 139 psalmi 118: „Exquisivit[4]) me zelus domus tuae: quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei“. En tibi paucas ex longiori oratione[5]) selectas sententias. „Et quid miremur, si angeli zelum habent! Ipse Deus Pater ait: zelans zelabo Jerusalem zelo magno. Quia Deus magnus est, ideo zelus ejus magnus est, et pro uniuscujusque potentiae qualitate, ita et zelus aut mediocris aut magnus est. Zelo vindicatur Jerusalem, zelo ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Jesus ait: zelus domus tuae comedit me, increpans judaeos, quod domum orationis fecerint speluncam latronum, fecerint et domum negotiationis[6]) . . . Zelum debet habere sacerdos, qui incorruptam servare studet ecclesiae castitatem. Et Phinees sacerdos erat et nepos

---

[1]) L. c., n. 15. Ibid. p. 1458.

[2]) Rom. 9, 3.

[3]) Hom. 12 in Ezechiel., n. 30. Apud Migne, Patr. lat. t. 76, p. 932.

[4]) „Tabescere me fecit zelus meus.“ Ita Vulgata.

[5]) Refertur apud Migne, l. c., pp. 1456—1459.

[6]) Hunc textum ingeniose declaratum vide in gl. ad. c. Qui peccat 40. C. 23. q. 4. v. zelus.

sacerdotis et filius sacerdotis. Bonus zelus et utilis in sacerdote, praecipue ne negligens, ne remissus sit. Vides, quia zelus Dei gratia est, qui „exquirit", qui supervenit, qui se justi infundit pectori. Zelus Dei vita est. Zelum habuit Mathathias Butanus[1]), qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit Dei plebem[2]). Quid multa? Apostolus quoque hoc declaratus est nomine, ut Judas Zelotes diceretur"[3]).

Alios Dei amicos „zeli nomine illustres perhibet s. Hieronymus, relatus c. Legi 13. C. 23. q. 8, ita scribens: „Legi syromasten[4]) Phinees, austeritatem Eliae[5]), zelum Simonis Chananaei[6]). Petri severitatem, Ananiam et Sapphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elymam, viis Domini resistentem, aeterna caecitate damnavit. Non est crudelitas, crimina pro Deo punire, sed pietas"[7]).

Ex corpore juris sacri ad zelum animarum, praeter alia, spectat, „ut supremis desideremus affectibus et studiis nitamur indefessis, fideles, quos a justitiae semita hostis humani generis diabolica fraude avertit, deposita peccatorum sarcina, suo reconciliare auctori, quatenus aeternae felicitatis praemiis nostri redemptoris inaestimabili caritate media potiantur"[8]). Quae eadem pia zelantis sacerdotis contentio aliis in locis brevius describitur ceu „frequens et assidua operosi vigilisque pastoris solertia, voluntariis laboribus susceptis, hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciendi Altissimo"[9]).

---

[1]) Alias „Bar Joannis".

[2]) Cfr. I. Mach. c. 2.

[3]) De cognomine zelotes Judae indito cfr. *Kalendar. utriusque ecclesiae,* t. 1, p. 185.

[4]) *Σειρομάστης*, vox incertae originis, est species jaculi, hastae, lanceae, quam idem s. Hieronymus etiam „pugionem" interpretatur.

[5]) III. Reg. 18. et IV. Reg. 1.

[6]) Chananaeus ex etymo hebraeo tantundem valet quod zelotes.

[7]) Cfr. Migne Patrol. lat. t. 22, p. 903.

[8]) C. Quemadmodum operosi 4. de poenitentiis et remiss. Extrav.

[9]) C. Etsi dominici 3 et 5 l. c. jcto prooem. libri 6.

Et haec quidem de zelo generatim animadvertisse sufficiat. Plura de genuinis rationibus apostolici animarum zeli, de ejusdem dotibus, motivis, praemiis dabunt theologi, rerum asceticorum ac pastoralium tractatores.

Synodus baltimorensis hoc titulo non universim de animarum zelo in tota sua amplitudine agit, sed certos tantum casus considerat, ex quibus veri animarum zeli puritas atque universalitas maxime quasi perlucet. Ac primo quidem miseros ac desertos homines, qui prae caeteris auxilii et opis indigentes sunt, juvandos curat, sive aliunde in Americam advenerint, colonos scilicet et advenas, sive ibidem in aerumnosa conditione geniti sint, hoc est, nigros et indos. Deinde concilium plures agendi normas accommodate ad locorum adjuncta sacerdotibus praescribit, quibus servatis zelum animarum circa varias, quibus homines nomen dare solent, societates rite exerceant.

Caput I.

De colonis et advenis.

Quoniam nomen „coloni“ non communi illo sensu accipitur, quo in fontibus juris adhiberi solet, de propria ejus ratione ac vi breviter est dicendum.

Colonus itaque, a colendis agris dictus, duplici modo in jure sumitur; ac primo quidem pro conductore, h. e., pro eo, qui aliorum agros conducit et per se vel per familiam suam colit, atque inde pensionem annuam domino solvit,[1]) aut pecuniae loco certas corbes praestat, lucrum scilicet et damnum cum domino partitus. Alio sensu colonus appellatur is, qui in aliqua colonia, publice deducta, habitat ejusque civis existit; est autem colonia certa civium aut soci-

---

[1]) C. Propter sterilitatem 3. X. de locato et conducto.

orum multitudo, in aliquem locum deducta, colendi et inhabitandi gratia[1]); et ita coloni vocantur cives unius civitatis in aliam deducti, et ejus jure utentes, a qua sunt propagati. Metonymice accepta colonia est ipse locus, qui, ut ait s. Isidorus, *Etymol.* l. 15, c. 2, n. 8 „defectu indigenarum novis cultoribus adimpletur"[2]). Haec de duplici vocis acceptione in jure admissa. — Verum in praesenti rubrica neutro sensu colonum dici, manifestum est; ex nigro enim patet, colonos hoc loco vocari omnes, qui ad littora Americae confluant, eo animo ut fortunas suas augeant, vel saltem ut egestatem miserrimamque vitae, qua domi premebantur, conditionem effugiant": quo eodem sensu etiam „advenae" appellantur, quod nimirum aliunde, h. e., ex aliis regionibus adveniant, „locum, ut suo modo cum s. Isidoro dicere possumus, propter defectum indigenarum vacuum, novis cultoribus adimpleturi", ac legibus jureque non antiquae suae patriae, sed reipublicae americanae jam usuri, licet civitate nondum sint donati.

Isti ergo coloni sunt et advenae, in quorum auxilium patres excitari foverique volunt zelum apostolicum, qui amoris Dei effectus sit et signum, ac simul principium efficax ad homines laicos quoque sancto igne accendendos: novis semper ad animarum lucra excogitatis industriis, miserae advenarum conditioni consentaneis.

Inter ejusmodi industrias synodus primo loco recenset ac commendat pias Hibernorum et Germanorum uniones sive societates ad juvandos advenas erectas (n. 233); deinde id agit, ut „apud urbes majores prope oceanum sitas, ad quas coloni plerumque appellunt, constituantur sacerdotes idonei, qui advenientibus se

---

[1]) In „codice" juris romani coloniae hoc sensu acceptae varie distinguuntur.

[2]) Apud Migne Patr. lat. t. 82, p. 537.

duces et consiliarios praebeant, ac potissimum solliciti sint de illis puellis, quae iter transmarinum nullo comite, nullo custode aut tutore ingressae in maximo periculo versantur, nisi in certis quibusdam domibus refugii excipiantur“ (n. 234). Tertio tandem patres, bono temporali ac spirituali novorum colonorum consulturi, advenientibus omni, qua possunt, ratione dissuadent habitationem in magnis urbibus, sed eos vehementer adhortantur, ut occidentem versus migrent, fructuosae agrorum culturae se dedituri ac proprias veluti colonias catholicas constituturi (n. 235), idque per societates a ditioribus viris catholicis fundatas promoveri cupiunt (n. 236).

Caput II.

De cura pastorali pro hominibus Nigris et Indis.

Indi a nomine Indiarum vocati sunt.

De vocabuli ratione disserens Sacchinus terras illas, ait, ob inventore secundario Americo Vesputio dictas, „abutens Indiarum vocabulo, Indias occidentales vulgus appellat“[1]). Tunc temporis scilicet putabant, novam orbis partem a Christophoro Columbo detectam, quae ad occidentem trajecto oceano porrigitur, ad Indias proprie dictas pertinere earumque veluti partem esse; unde primis, qui ibidem reperti sunt, populis aboriginibus Indorum nomen factum, deindeque „indigenae homines universae Indi sunt appellati“[2]).

„Ex annalium monumentis sacrarum missionum apud Americae septentrionalis aborigines, inquit concilium, gloriam immortalem consecuta est pia mater ecclesia. Et sane merito; siquidem vel a primis novi

---

[1]) Hist. Soc. J., part. 3, l. 2, n. 135, ad an. 1566.

[2]) Ex literis Leonis PP. XIII ad episcopos Brasiliae d. d. 5. maji 1888, de libertate servis donata.

orbis explorationibus usque ad nostra tempora quamplurimi filii ejus, apostolorum zelo et caritate ducti gravibus aerumnis susceptis, evangelium regni Dei indefesse praedicaverunt pauperibus istis fratribus nostris, Christi sanguine redemptis dignisque matris ecclesiae miseratione" (n. 241).

Sed de gloriosis istis Indorum missionibus deque illustrioribus apostolis, qui praeclaro fidei ac zeli certamine fuso pro Christo sanguine Americam septentrionalem nobilitarunt, recoli poterunt fontes, quos in priori commentarii parte adduximus pp. 130—131[1]).

Ex constitutionibus pontificiis autem ea hic sisti meretur, quae omnium prima noscitur expresse in salutem Indorum americanorum edita, nimirum celebratissima illa epistola Alexandri PP. VI. d. d. 4. maji 1493, quae in appendice corporis juris canonici, libri septimi decretalium, l. 1, tit. 9. „de insulis novi orbis" hoc praefixo lemmate refertur: „Ad propagandam fidem christianam, novi orbis insulae conceduntur juri et dominio regis catholici, Ferdinandi Arragon." et est tenoris, qui sequitur:

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, Ferdinando regi, et Isabellae reginae Castellae, Legionis,

---

[1]) Ex recentiori aetate unum tantum adscribimus testimonium, concilii provincialis baltimorensis V. anni 1843, quod est ejusmodi: „Non possumus gaudium nostrum non palam declarare, quod apostolici labores missionariorum e Societate Jesu tam prospere successerunt, quum in caeteris illis vastissimis regionibus, quas tenent Indiani, tum nominatim in oregonensi tractu ad occidentem montium saxosorum sito. Zelo enim clarissimis ecclesiae saeculis digno incensi, rudes illos populos adierunt, ut eos ad humanitatem iustituerent et salutari doctrina impertirent; quorum verbis Deus auctoritatem et efficacem vim praestitit. „Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! Vox speculatorum tuorum! Levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, quum converterit Dominus Sion. Gaudete, et laudate simul deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri." Is., 2. 52, 7—10. 2 (Collect. lac. t. 3. p. 1124).

Arragonum, Siciliae et Granatae, illustribus, salutem et apostolicam benedictionem[1]). Inter caetera divinae majestati beneplacita opera, et cordis nostri desiderabilia, illud profecto potissimum existit, ut fides catholica et christiana religio, nostris praesertim temporibus, exaltetur, ac ubilibet amplietur et dilatetur, animarumque salus procuretur, ac barbaricae nationes deprimantur et ad fidem ipsam reducantur. Unde quum ad hanc sacram Petri sedem divina favente clementia (meritis licet imparibus) evecti fuerimus, cognoscentes vos tamquam veros catholicos reges et principes, quales semper fuisse novimus et a vobis praeclare gesta toti pene jam orbi notissima demonstrant, ne dum id exoptare, sed omni conatu, studio et diligentia, nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis, etiam proprium sanguinem effundendo efficere, ac omnem animum vestrum, omnesque conatus ad hoc jamdudum dedicasse, quemadmodum recuperatio regni Granatae a tyrannide Sarracenorum hodiernis temporibus per vos, cum tanta divini nominis gloria, facta testatur[2]), digne ducimur non immerito et debemus illas vobis etiam sponte et favorabiliter concedere, per quae hujusmodi sanctum et laudabile ab immortali Deo coeptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei honorem et imperii christiani propagationem prosequi valeatis. Sane accepimus quod vos dudum animum proposueratis aliquas insulas et terras firmas, remotas et incognitas, ac per alios hactenus

---

[1]) In fonte ejusmodi nota legitur ad hunc locum adscripta: Constitutio ab historicis celebrata: illa est, quae reges Portugaliae et Castellae inter, Indias dividebat, ne ad arma deveniretur. Est autem Ferdinandus hic V. Arragoniae rex Joannis filius, Alphonsi neapolitani frater, Caroli V. et Ferdinandi impp. avus. Qui in uxorem ducta Isabella Castellae regina maxima regna conjunxit, et Joannam unic., post Philippo Austri. nuptam, procreavit!

[2]) Granata, a Ferdinando et Isabella, regibus catholicis, obsessa anno 1491, ad deditionem compulsa est anno 1492; sicque Saracenorum illud regnum, quod octingentis ferme annis steterat, „tanta divini nominis gloria fuit recuperatum".

non repertas, quaerere et invenire, ut illarum incolas et habitatores ad colendum redemptorem nostrum, et fidem catholicam profitendum reduceretis, hactenus in expugnatione et recuperatione ipsius regni Granatae, plurimum occupati, hujusmodi sanctum et laudabile propositum vestrum, ad optatum finem perducere nequivistis: sed tandem sicut Domino placuit, regno praedicto recuperato, volentes desiderium adimplere vestrum, dilectum filium Christophorum Columbum, virum utique dignum et plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum[1]), cum navigiis et hominibus ad similia instructis, non sine maximis laboribus et periculis ac expensis destinastis, ut terras firmas et insulas remotas et incognitas hujusmodi, per mare ubi hactenus navigatum non fuerat, diligenter inquireret: qui tandem (divino auxilio) facta extrema diligentia in mare oceano navigantes certas insulas remotissimas, et etiam terras firmas, quae per alios hactenus repertae non fuerant, invenerunt, in quibus quam plurimae gentes pacifice viventes, et, ut asseritur, nudi incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, et ut praefati nuntii vestri possunt opinari, gentes ipsae in insulis et terris praedictis habitantes, credunt unum Deum creatorem in coelis esse, ac ad fidem catholicam

---

[1]) „Ea est dignitas rerum a Christophoro Columbo gestarum eaque bonorum copia, quae ex ingenio et constantia illius in utramque orbis partem redundarunt, ut pauci digni sint, qui cum eo conferantur. Nobis autem eo praesertim nomine sese ejus memoria commendat, quod ideo ardua aggressus fuit itinera, graves exantlavit labores, plurima adivit pericula, ut viam praemonstraret ad ignotas plagas evangelii praeconibus, qui innumeros homines sedentes in tenebris ad veri Dei cognitionem converterent et Christo lucrifacerent". Ita Leo PP. XIII. ep. d. d. 10. januar. 1887. (Act. S. Sedis. t. 20, p. 559). — Honoratissimis laboribus confectam vitam Columbus clausit Vallisoleti die 20 maji 1506, bene meritis laudibus in patria cumulatus. Magnum virum nec in novo orbe fuisse ulla posteritatis oblivione extinctum, ex egregio illo ac praestantissimo sermone didicimus, quem illmus. ac revmus. archiepiscopus philadelphiensis Ryan non ita pridem in solemniis saecularibus Baltimorae habuit die 10. novembris hujus anni, quemque, praeter alia folia americana, exhibet „The Sun", d. 11. nov. 1890. (supplement).

amplexandum, et bonis moribus imbuendum satis apti videntur, spesque habetur, quod si erudirentur, nomen Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, in terris et insulis praedictis faterentur, ac praefatus Christophorus in una ex principalibus insulis praedictis, jam unam turrim satis munitam, in qua certos christianos, qui secum iverant, in custodiam, et ut alias insulas ac terras firmas, remotas et incognitas inquirerent, posuit, construi et aedificari fecit: in quibus quidem insulis et terris jam repertis aurum, aromata, et aliae quamplurimae res pretiosae diversi generis et diversae qualitatis reperiuntur, unde omnibus diligenter, et praesertim fidei catholicae exaltatione et dilatione (prout decet catholicos reges et principes) consideratis, more progenitorum vestrorum clarae memoriae regum, terras firmas et insulas praedictas, illarumque incolas et inhabitatores vobis divina favente clementia, subjicere et fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur hujusmodi vestrum sanctum et laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perducatur, et ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quamplurimum in Domino, et per sacri lavacri susceptionem, qua mandatis apostolicis obligati estis, et viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi attente requirimus, ut quum expeditionem hujusmodi omnino prosequi et absumere proba mente orthodoxae fidei zelo intendatis, populos in hujusmodi insulis et terris degentes, ad christianam religionem suscipiendum inducere velitis et debeatis, nec pericula nec labores ullo unquam tempore vos deterreant,. firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negotii provinciam apostolicae gratiae largitate donati, liberius et audacius assumatis, motu proprio, non ad vestram vel alterius, pro vobis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa

scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem fabricando et construendo unam lineam a polo arctico scilicet septentrione, ad polum antarcticum scilicet meridiem, seu terrae firmae, et insulae inventae et inveniendae sint versus Indiam, aut versus aliam quamcunque partem, quae linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur, *de los Azores y cabo verde* centum leucis versus occidentem et meridiem, ita quod omnes insulae, et terrae firmae repertae et reperiendae, detectae et detegendae, a praefata linea versus occidentem et meridiem per alium regem aut principem christianum non fuerint actualiter possessae usque ad diem nativitatis Domini nostri Jesu Christi proxime praeteritum, a quo incipit annus praesens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius[1]), quando fuerunt per nuntios et capitaneos vestros inventae aliquae praedictarum insularum, auctoritate omnipotentis Dei, nobis in beato Petro concessa, ac vicariatus Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, juribusque et jurisdictionibus ac pertinentiis universis, vobis, haeredibusque et successoribus vestris (Castellae et Legionis regibus) in perpetuum tenore praesentium donamus, concedimus et assignamus, vosque et haeredes ac successores praefatos illarum dominos, cum

---

[1]) Quadruplex anni initium ecclesia romana distinguit. In foro et publicis negotiis annum cum antiquis Romanis inchoat ab initio januarii, in divinis officiis autem a prima Dominica adventus. In subscriptione brevium pontificiorum anni initium ducitur a die nativitatis Domini, in bullis vero „sub plumbo" a die incarnationis Verbi divini, seu a die annuntiationis B. M. V. Sic igitur currentem annum 1889, quem nos literis nostris adscribimus a kalendis januarii, dataria et cancellaria romana bullis pontificiis sub plumbo editis, non adscribit ante 25. martii, hoc tamen attento discrimine, ut nos kalendis inchoatum annum 1889 a die circumsionis numeremus, curia romana autem notet hunc ipsum annum 25. martii completum a prima incarnatione Filii Dei. Sed d his fusius agimus in *computo ecclesiastico*, pp. 157—158.

plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et jurisdictione, facimus, constituimus et deputamus; decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, concessionem et assignationem nostram nulli christiano principi, qui actualiter praefatas insulas et terras firmas possederit usque ad dictum diem nativitatis Domini nostri Jesu Christi, jus quaesitum, sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae, (ut sicut pollicemini, et non dubitamus pro vestra maxima devotione et regia magnanimitate, vos esse facturos) ad terras firmas et insulas praedictas, viros probos et Deum timentes, doctos, peritos, et expertos, ad instruendum incolas et habitatores praefatos in fide catholica, et bonis moribus inbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in praemissis adhibentes, ac quibuscunque personis, cujuscunque dignitatis, etiam imperialis et regalis status, gradus, ordinis vel conditionis sub excommunicationis latae sententiae poena, quam eo ipso, si contra fecerint, incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas et terras firmas, inventas et inveniendas, detectas et detegendas, versus occidentem et meridiem, fabricando et construendo lineam a polo arctico ad polum antarcticum, sive terrae firmae et insulae inventae et inveniendae sint versus Indiam, aut versus aliam quamcunque partem, quae linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur, *de los Azores y cabo verde*, centum leucis versus occidentem et meridiem, ut praefertur, pro mercibus habendis, vel quavis alia de causa accedere praesumant absque vestra ac haeredum et successorum vestrorum praedictorum licentia speciali. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. In illo, a quo imperia et dominationes ac bona cuncta procedunt, confidentes, quod dirigente Domino actus vestros, si hujusmodi sanctum et laudabile propositum prosequamini, brevi tempore cum

felicitate et gloria totius populi christiani, vestri labores et conatus exitum felicissimum consequentur.

Romae 4. nonas maji. 1493.

Et ita quidem Sedes apostolica jam inde a primis itineribus novi orbis inveniendi causa susceptis „vigilem providentiam ad regiones repertas intendit, ut saluti Indorum prosperitatique esset consultum. Quum vero coloni ex Europa advecti, inexplebili habendi cupiditate, mox armis ingenioque abuterentur ad struendam imponendamque innoxiis nationibus servitutem[1]), Pontifices romani eadem providentia sese acerrimos assertores libertatis earum praestiterunt, eo proposito, ut, sicubi injuste opprimerentur, simul cum servitute hominum servitute superstitionis excussa, uni veroque Deo, sub Christi suavissimo jugo, possent tandem servire, divinae haereditatis nobiscum participes[2]).

Eodem spiritu apostolico animati patres baltimorenses in praesenti decreto operam et studium ad tribus Indorum conferunt, salutem eorum optimis quibus possunt mediis promoturi (nn. 242—243). Haec de cura spirituali Indis impendenda.

Simili ferme ratione judicandum de iis est, quae circa Nigros sive Nigritas statuta sunt, licet ea decreti pars, propter defectum memoriae sancti Petri Claver, manca quodammodo ac numeris suis non absoluta manserit.

De origine, advectu, mercatura Nigritarum seu Maurorum[3]) SS. D. N. Leo PP. XIII. in laudatis literis

---

[1]) Fuse ac diligenter, praeter caeteros, hoc argumentum persequitur Bartholomaeus de las Casas, celeberrimus Indorum aborigenum defensor ac patronus, in operibus a Nic. Antonio descriptis in bibliotheca nova hispan., t. 1, pp. 191—193.

[2]) Ita Leo PP. XIII. in cit. literis ad ep. Brasil., in quibus multa et praeclara habentur de constanti romanorum Pontificum sollicitudine Indos protegendi ac juvandi.

[3]) Venales isti servi Aethiopes promiscue vocantur Nigritae, a Nigritia seu Nigritania, unde primitus originem traxerunt; et Nigri, a

ad episcopos Brasiliae inter alia haec scribit: „Cruda natura soli americani, quod erat subigendum, neque minus metallorum opes explorandae effodiendae, quum operas bene validas postularent, injusta plane suscepta sunt atque inhumana consilia.[1]) Fieri enim coepta est quaedam mercatura, servis ad id opus ex Aethiopia deportandis, quae, nominata deinceps la tratta dei negri[2]) nimium quantum eas occupavit colonias. . . Sedes apostolica tantam improbitatem, religioni pariter atque humanitati justitiaeque probrosam semper redarguit et damnavit, nullamque rationem praetermisit, ut a dedecore et feritate talis servitutis abstineretur et abhorreretur."

Sed de improbitate captivitatis et distractionis miserorum Nigritarum ea juverit legisse, quae ex actis s. Petri Claver partim in priori parte dedimus pp. 250—256, partim mox sumus ex ipsa decretali canonizationis in medium prolaturi: ad defectum, quem in decreto synodico occurrere diximus, ex authenticis fontibus utcunque supplendum.

De honorifico titulo „apostoli Nigritarum" sancto Petro olim jam tributo Leo PP. XIII. haec habet in cit. lit. ad ep. Brasil. „Interea, dum acriore ingeniorum et operum cursu nova itinera ad Africae terras, nova commercia instruuntur, contendant viri apostolici, ut quoad melius fieri possit, sit saluti servorum libertatique consultum. . . Itaque, tamquam in speculum virtutis apostolicae inspiciant, monemus, in vitam et facta Petri Claver, cui recentem gloriae lauream addidimus.

---

colore gentis, quo sensu et Mauri dicuntur; gr. *μαῦρος* enim fuscum sive nigrum significat.

[1]) Quod communiter asseritur, episcopum Bartholomaeum de las Casas ejusmodi consiliorum auctorem fuisse, id verum esse non putant recentiores scriptores, qui historiam ex legibus sanae critices tractant. Cfr. „Apologie de B. de las Casas" in actis „Mémoires de la classe des sciences morales et politiquas de l' Institut." t. 4., et „Biographie universelle" t. 7, p. 103, edit. 1844.

[2]) Hispan. „Assiento".

In eum inspiciant, qui summa laborum constantia annos continenter quadraginta, Maurorum gregibus servorum miserrimis sese totum impendit, vere ipsorum apostolus praedicandus, quibus se perpetuum servum et profitebatur et dabat.[1]) Caritatem viri, patientiam si curae habeant sumere sibi et referre, ii profecto digni existent administri salutis, auctores consolationis, nuntii pacis, qui solitudinem, incultum, feritatem in ubertatem possint religionis cultusque laetissimam, Deo juvante, convertere."

Quae breviori hoc praeconio complexus est Pontifex, uberiori laudum sermone prosequitur in bulla canonizationis, edita d. 20 januarii an. 1888, quam cum titulo suo integram sistimus.

Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Leonis D. P. PP. XIII. literae apostolicae, quibus b. Petro Claver S. J., Nigritarum apostolo, sanctorum honores decernuntur.

Leo episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Divinum Domini Nostri Jesu Christi opus, ecclesia, ineffabili Spiritus Sancti virtute informatur atque alitur; de qua apostolus: *Divisiones vero gratiarum sunt. . . . Et divisiones operationum. . . . Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Nam *posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*[2])

Etsi autem apostolatus honor reliquas *gratias, ministrationes* atque *operationes* suo jure sibi vindicet,

---

[1]) Consentit Breviar. roman., in quo lectio 6. sic finit: „His (prodigiis) quum nova miracula accessissent, Leo XIII. anno 1888, Africa evangelio non ita pridem aperta, insignem hunc Nigritarum apostolum, Sanctorum fastis adscripsit."

[2]) 1. Ad Corinth. XII.

primo proinde loco positus, et ad eos maxime pertineat, qui plantaverunt ecclesiam sanguine suo, tamen iis etiam merito defertur, qui eorundem opus prosecuti, per singulas aetates, doctrinae exemplo, atque etiam morte praeclare obita, vel divinum lumen attulerunt miseris, qui in tenebris et umbra mortis jacent, vel ecclesiae jura et libertatem contra christiani nominis osores fortiter defenderunt.

Quos inter, amplissimo dignitatis loco, proximus s. Francisco Xaverio sodali suo, eminet Petrus Claver, qui dona a Spiritu Sancto accepta, catholicae religionis incremento et gloriae summa caritate profudit, *his honorem abundantiorem circumdans*, qui putabantur *ignobiliora membra esse corporis.*[1]) Natus est autem in oppido verdunensi in Catalaunia, et baptizatus die vicesima sexta junii 1580. Parentes habuit Petrum, et Annam Corberò, religione potissimum ac morum integritate spectatissimos. Hi puerum singulari cura educarunt, ex quo praesertim non dubiis post exactum infantiae tempus argumentis intellexerunt, sanctum a se educari. Id enim optima ac suavissima indoles, id summa verecundia ac morum gravitas, id praecipue in res coelestes mira ac procul dubio divinitus indita propensio portendebant.

Adolescentulus a patruo, cathedralis celsonensis ecclesiae canonico, grammaticae notionibus instructus, clericali tonsura a vicensi episcopo insignitus fuit die octava decembris anno 1595. Inde coepit impensius vel innocua mundi vitare solatia, ut ea tantum quaereret, quae Dei sunt, et orationi liberius instaret. Postea Barcinonem a patre missus, ut literis operam daret, ibi earum curriculum cum singulari ingenii laude emensus est, christianarumque virtutum, sub disciplina Patrum Societatis Jesu, multa et prorsus praeclara edidit

---

[1]) Ibid. v. 23.

specimina. Ipsam autem Jesu Societatem quam a puero optaverat, iniit die septima augusti anno 1602.

Qualem se in tirocinio Petrus praebuerit, universa Causae acta testantur: nimirum non ad discendam, sed ad docendam regularum observantiam venisse, cunctis, etiam provectioribus, sanctus adolescens visus est. Quamobrem ad ejus exemplum se reliquos tirones conformare ipsi jubebant praesides, in hoc unice intenti, ne ille nimio fervore abreptus, precatione plus aequo producta, aut jejuniis et cruentis verberationibus noceret valetudini. Biennio tirocinii exacto, simplicia vota nuncupavit anno 1604: deinceps, postquam Gerundae aliquot mensibus moratus esset, philosophiae operam daturus Majoricam petiit.

Ibi beatum Alphonsum Rodriguez sodalem nactus, non sine divino instinctu ab antistite petiit, ut ejus congressu et colloquio sibi frui liceret; ex quo eos pietatis fructus hausit Petrus, qui apprime cohaererent supernae habitae ab Alphonso revelationi; nam Claverium, discipulum suum, praecipuam in coelis ac splendidissimam occupaturum esse sedem, extra se raptus cernere sibi visus est. Quum autem a patre luminum postulasset, quaenam tantae mercedis tantaeque esset causa gloriae, hoc obtinuit responsum: nimirum illud sibi Claverium meruisse praemium, tum virtutibus hactenus ad exemplum exercitis, tum illis, quas in Americae regionibus, maximo infelicissimorum hominum, illuc per summum nefas deportatorum, bono exerciturus fuisset.

Hac accepta visione, Alphonsus totus in id viribus incubuit, ut Petro iter ad eas regiones suaderet, quod tamen iste ad annum 1610 differre debuit, quum P. Claudius Aquaviva, supremus universi ordinis moderator, inter egregios milites ad neogranatense regnum profocturos Petrum censuit, etsi nondum sacerdotio initiatum.

Quanta animi laetitia nuntium hoc ille acceperit, quisque ex vehementissimo ejus desiderio animos Christo lucrifaciendi facile conjicere potest. Quamobrem sodalibus suis, atque in primis praeposito non sine lacrimis salutato, in viam se dedit mense aprili anno praedicto, ac post longam navigationem Carthagenam seu Carthaginem novam ad oram maris atlantici appulit eodem anno.

Urbs haec inter principes Americae meridionalis civitates floret, opportunissimo succinta portu, quo Indiarum (quas occidentales hodieque vocant) mercatores confluebant, suas vendituri merces, ac praesertim Nigritas ex Africa abductos, qui minimo empti, ac plurimo venditi ad durissima quaeque opera, sive sub terra fodinis sive ad fervidi solis aestum campis, nulla nedum christianae caritatis, sed neque humanitatis ratione habita, addicebantur.

Miserrimos istos homines, plerumque animi ac corporis pravitate horribiles, ingentique contra tortores suos odio affectos, Claverius noster, decessorum suorum longe praetergressus exempla, tanta caritate complexus est, ut illorum apostolus ac parens merito praedicetur. Apostolicum autem munus triennio post aggressus est, quum Carthagenam rediit ex urbe quam a Sancta Fide vocant, ubi, expleto theologiae curriculo, sacerdotio auctus est die decima nona martii anno 1616. Carthagenae autem, postquam eo redidit, usque ad obitum, nempe sex et quadraginta annos mansit Nigritis convertendis, atque in catholica fide excolendis praecipue intentus. Qua in re quantum virtute atque incredibili rerum gestarum tum arduitate tum amplitudine praestiterit, vix dici potest. Illud adnotasse sufficiat, hominum ejus generis tercentum millia eoque amplius sua manu sacro baptismate abluisse, ac deinceps tum exemplo, tum concionibus, tum assidua atque accurata sacramentorum administratione non modo eos retinuisse in fide, sed ad eam diligendam suavissime impulisse.

Nec interdum, ut opus erat, minis atque poenis pepercit, apostolum secutus qui in prima ad Corinthios inquit: *In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?*[1]) et ad Titum: *Increpa illos dure.*[2]) Quod faciendum esse, tum doctrinis tum perpetuis exemplis confirmavit ecclesia contra haereticos et tenebriones, qui licentia atque impunitate hominum mores corrumpere, et religionem, ideoque societatem, delere nituntur.

Quo factum est, ut Nigritis Petri severitas perinde profuerit atque amabilitas, eumque utroque ex capite illi dilexerint ac venerati sint. Accedebat ad viri auctoritatem augendam non modo virtutum omnium cumulus, sed etiam tanta supernorum charismatum copia, quanta paucis etiam Sanctis obtigit. Quis enim inclyti viri miracula numeret? quis vaticinia, raptus, et supernum corpori saepissime circumfusum lumen, sive sacrum offerret, sive concionaretur, sive denique purulenta Nigritarum vulnera delingeret? Huc enim usque sanctissimum virum, Christi ac proximorum caritas, nec non mirabile poenitentiae studium, non semel atque iterum, quod in vitis Sanctorum miramur, sed saepissime impulerunt.

Etsi autem praecipuam Nigritarum curam gereret, Carthagenenses adeo non neglexit, ut illorum etiam apostolus merito nuncupetur. Innumera ac magna eis a Petro collata beneficia, longum satis esset persequi: illa breviter complectemur asserendo, quod caeteroquin ex actis Causae luculentissime ostenditur, tantum de Carthagenensibus illum meruisse, quantum de Romanis meruerat Philippus Nerius.

Nec minus meruit de haereticis ac mahumetanis, qui Carthagenam, frequentissimum, uti diximus, portum, vel commercii causa appellebant, vel captivi

---

[1]) IV. 21.
[2]) I. 13.

transportabantur. Istorum hominum, etiam inter primarios, plurimos Christo lucrifecit, nec semel illorum obstinationem sola praesentia vicit.

Quae quum ita sint, Nobis non immerito videmur insignem istum virum cum Francisco Xaverio, rerum gestarum tum amplitudine tum arduitate, comparasse. Nec longo ab eo distat intervallo sive rigidissima poenitentia, sive intima cum Deo jugiter servata unione. Cibo enim fere abstinuit, itemque somno; nam solidas fere noctes, cruentis etiam verberationibus adhibitis, inter orandum extrahere, ac summo mane apostolicos labores non sine miraculo integer alacrisque repetere consuevit.

Vitae autem innocentia perfectissimaque regularum sui ordinis observantia, Petrum cum sancto Joanne Berchmans comparare quis dubitaverit, qui sciat illum ideo tam rigide afflixisse corpus, ut pravarum cupiditatum impetus non modo retunderet, sed etiam extingueret? qui sciat nullum ex tot gloriosissimis operibus eundem suscepisse, nisi antea detecto capite ac devotissime eorum obeundorum veniam a superioribus exorasset? Quod facere etiam perseveravit senior, quum cuncti, qui Carthagenam frequentabant, proceres, cives, incolae atque etiam barbari, illum veluti sapientiae oraculum et quoddam quasi virtutis domicilium suspicerent atque admirarentur.

Sed jam postremum vitae stadium gloriosus heros ingreditur. Anno 1650, qui ob jubilaeum indictum sacer fuit, Petrus nihil pestilentia quae late grassabatur commotus, non modo apostolicis laboribus sese impensius dedidit, sed etiam poenitentiae, ut caelestem deprecaretur iram. Correptus peste, ea minime consumptus est, sed ita mulctatus, ut quatuor per annos plurimis atrocissimisque morbis obnoxius fuerit.

Quos summa patientia toleravit in desertissima solitudine. Cuncti enim, calamitosissimo eo tempore, vel aegrotabant, vel sibi suisque cavebant; sodales

autem, si qui morbum non contraxerant, aegrotantibus aderant. Quamobrem Nigritae cujusdam, hominis pessimi atque atrocissimi, curae relictus, non modo inediam passus est, sed etiam injurias, contumelias ac percussiones.

Passus est autem libentissime, Christum crucifixum ac Deiparam perdolentem intuens, sibique gratulans, quod eis similis effectus certissimum coelestis gloriae pignus possideret.

Interim, quum sacrum prae virium debilitate facere non posset, saepissime coelesti se dape reficiebat: quotidie autem uberrimis cum lacrimis conscientiam expiabat. Quoad autem potuit, in ecclesiam transportatus, fidelium confessiones excepit, et Nigritarum saluti procurandae operam navavit.

Quamobrem cum accepisset, horum plurimos omnis fere humanitatis ac religionis expertes, quibus nomen erat *Ararai*, Carthagenam appulisse, dolorum suorum fere oblitus ac laetitia plenus, ad eos se deducendum curavit. Qui quum adspexissent hominem, divino instinctu flexis genibus illum venerati sunt.

Paulo post, nempe die vicesima secunda augusti, anno 1654, ab Hispania Carthagenam advectus est P. Didacus Ramirez apostolico in munere Petro successurus, qui quum ejus adventum novit, laetitia gestiit. Nigritis enim, quorum se servum profitebatur, quosque praecipua caritate diligebat, optime tanti viri industria consultum iri existimabat; ex successoris autem adventu conjectavit, proxime gloriosam illam sedem in coelo se adepturum, quam olim sanctus Alphonsus praeviderat, illustres ob triumphos in Indiis ad majorem Dei gloriam de infidelibus atque haereticis feliciter reportandos.

Quoniam vero magni istius viri mentio iterum incidit, haud inopportunum est notare, divina bonitate factum esse, ut ejus vita typis impressa cum simillima effigie ad Petrum paullo antequam moreretur, perve-

nerit. Quam ut ille adspexit, obortis lacrimis suaviter exclamavit, nihil sibi amplius superesse quod in terris optaret, jam ad coelum recta tendendum esse. Coelum autem ingressus est, juxta quae praedixerat, die octava septembris, beatissimae Virginis nativitati sacra, anno 1654.

Quantum tali obitu non modo Carthagena, sed etiam urbes finitimae, et Hispaniae regiones, quum eo funestum nuncium pervenit, commotae fuerint, vix dici potest. Ad cadaver adspectu pulcherrimum, tractabile ac jucundissime olens, miri civium ex omni ordine concursus: accitique milites, ut turbae ad tumultum nimio studio pronae coercerentur.

Porro, quum collegii rector modestis, ut fert Societatis Jesu mos, exequiis Petrum honorare statuisset, ei vehementissime obstiterunt, tum praefectus urbis cum consiliariis, tum proceres universi, quibus sancti viri funus prope regia pompa celebrare aequum visum est. Adstiterunt autem praefectus atque aulici, pullis induti vestibus: senatorius ordo, clerus, religiosi ordines, inquisitores. Nec suo defuit officio Nigritarum universitas, quae solemni pompa ac magno sumptu tanto benefactori justa funebria solvit.

Deinceps de virtutum ac miraculorum fama conditi sunt Carthagenae processus ordinarii; cunctisque absolutis quae Causae introducendae, jure sacro jubente, praecedere debent, die prima augusti anno 1694 in sacra rituum congregatione, discusso dubio super *admissione et signatura commissionis introductionis Causae*, eadem congregatio affirmative respondit, *si Sanctissimo placuerit.* Sequenti autem die vicesima prima praedecessor Noster Innocentius XII. propria manu commissionem signavit. Ac die tertia octobris anno 1698 datae sunt ad episcopum carthagenensem literae *remissoriales* ad processus apostolica auctoritate instituendos, quibus rite probatis, ac scriptis examinatis, tandem de heroico virtutum gradu disceptari potuit.

Legitimo eorum examine confecto, praedecessor Noster Benedictus XIV. die vicesima quarta septembris anno 1747, post celebratum sacrum, et consecrationis episcopalis munus cardinali delle Lanze solemniter collatum, secretario s. rituum congregationis hoc manu sua subscriptum tradidit decretum: „*Constare videlicet de virtutibus theologalibus, fide, spe, et caritate erga Deum et proximum, et de cardinalibus, prudentia, justitia, fortitudine, et temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur*“.

Longum post temporis intervallum, de miraculis agi coeptum est; super quibus generalis s. rituum congregatio a cardinali Constantino Patrizi, Causae relatore, rogata est, XI. kalendas septembris anno 1848, *an de iis, ad effectum, de quo agebatur, in casu constaret?* Cui dubio tum Patres cardinales, tum consultores *affirmative* respondendum censuerunt.

Quamobrem, gloriosae memoriae praedecessor Noster Pius IX, eodem mense, Dominica IX. post Pentecosten, sacro peracto in templo s. Pantaleonis martyris, ubi s. Josephi Calasanctii festum celebrabatur, adstantibus cardinalibus Aloisio Lambruschini sacrorum rituum congregationi praefecto, et Constantino Patrizi, causae relatore, nec non Andrea Maria Frattini, s. fidei promotore, et Gaspare Fatati s. r. congregationis secretario, solemniter pronunciavit „*Constare de duobus miraculis tertii generis a Deo patratis invocato ven. Petri Claver auxilio*“ scilicet de primo *Subitae perfectaeque sanationis puellae Mariae de Torres ab inveterato aneurysmate a laesa dexteri brachii in mittendo sanguine arteria ad magnum tumorem distento*“: de altero“ *Instantaneae perfectaeque sanationis Michaelae Garzia de Saavedra, tertio gestationis mense ad extremum perductae a metritite, seu uteri inflammatione, lethalibus stipata symptomatibus*“ Decretum ejusmodi, publici juris factum est VI. kalendas septembris eodem anno.

Tristissimis rerum publicarum vicibus accidit, ut generalia s. congregationis comitia ad agitandum dubium „*an tuto procedi posset ad venerabilis Petri Claver beatificationem,*“ nonnisi biennio post cogi potuerint, nimirum anno 1850. Quibus Summus Pontifex Pius IX praefuit, auditisque tum cardinalibus tum consultoribus, affirmativam sententiam libentissime proferentibus, tandem divini consilii lumine implorato, Dominica Sanctissimae Trinitatis recurrente, in Sacello Maximo, quod a Sixto Papa IV. nuncupatur, solemniter decrevit, *Tuto procedi posse ad ven. Petri Claver supradicti beatificationem,* literasque apostolicas in forma brevis de beatificatione in vaticana basilica suo tempore peragenda edi mandavit. Quod decretum in acta s. congregationis relatum est septimo kalendas junii praedicto anno.

Porro, beatificationis solemniis magnifica pompa in vaticano templo celebratis die vicesima prima septembris anno 1851, novorum miraculorum beati Petri intercessione patratorum fama nunciata est. Quamobrem pridie kalendas octobris anno proxime secuto Causae *reassumptio,* ad effectum canonizationis, apostolica auctoritate decreta est, et data facultas metropolitanis philadelphiensi et milwaukiensi legitimos super duobus miraculis processus instituendi.

Quibus confectis ac probatis, causa siluit usque ad annum 1885, quo tempore, cunctis quae jure peragenda erant, rite confectis, et aliquot, quae ad celeriorem rei progressum necessaria visa sunt, apostolica Nostra auctoritate concessis, propositorum miraculorum felici disceptationi parata fuit via.

Horum miraculorum primum obtigit cuidam Barbarae Dressen, quae ex Germania, quam patriam nacta erat, Milwaukiam, in America septentrionali, meliorem quaesitura sortem, perrexerat. Ibi usque ad annum 1850 aetatis suae septuagesimum, optima valetudine usa erat, quum in dextera maxilla verruca

quaedam apparuit, teterrimum mox secuturi morbi non dubium indicium. Cancrum enim inde proventurum medici judicarunt, quam conjecturam tum acerrimi ex verruca statim creati dolores, tum ejusdem horribilis exulceratio confirmarunt. Quum autem medici, nullum humanum remedium ei morbo adhiberi posse, confirmarent, Barbara ad beatum Petrum Claver, miraculorum celebritate etiam eo loci insignem, confugit. Nec frustra; nam, Petri tacta reliquiis, levamen aliquod experta est.

Verumtamen paullo post morbus ita saeviit, ut Barbarae cuncti misererentur, qui tetrum ac fere penitus vastatae maxillae adspectum, et noxiam foetidamque graveolentiam ferre vix poterant.

Barbara autem animo non despondit, ac patrono suo sese usque commendabat certa fiducia nixa, fore ut, illo intercessore, sanitatem tandem aliquando obtineret. Nec fiduciam fefellit eventus: nam anno 1861, post inceptum morbum decimo, iterum, beati Petri reliquiis tacta, omnino convaluit, ac dextera maxilla, antea saucia ac immani depascente vulnere deformis, cunctis mirantibus, extemplo non modo sana, sed supra mulieris aetatem integra ac florida apparuit.

Perinde autem, ac fortasse magis, mirari debemus Ignatii Strecker sanationem. Iste etiam natione Germanus in Americam migraverat, ut victum labore suo sibi compararet. Qui anno 1861, quum saponarius esset in urbe, cui nomen est a sancto Ludovico, dum artificio suo operam daret, in ferrum ita pectore impegit, ut brevi, ex percussione illa *sternum* laesum esse apparuerit. E sterno malum ad costas propagatum est; deinde ad pulmones, quod tussis violenta aliaqua indicia apertissima innuebant. Hinc alta et diffusa sterni carie ac pulmonum vitio cuncti qui illum inviserunt medici, affectum existimarunt, de ejus salute desperantes.

Interim uxor Ignatium, ut sese beato Petro commendaret, vehementer, tum precibus tum exemplis mirabilium ac recentium eventuum, hortata est. Quod quum aegrotus libenter executus esset, ac conclamata jam valetudine et gradiendi fere impos, sese contulisset in templum, quo aegroti atque afflicti, adhibitis beati Petri reliquiis, uberrimo cum fructu confluebant, illico earumdem reliquiarum attactu ita recreari sibi visus est, ut omnino sanus gravissimos labores statim ulla sine molestia obiverit, in iisque plures per annos optima valetudine alacrisque perseveraverit.[1])

His de miraculis semel atque iterum disputatum est apud s. rituum congregationis consultores, audientibus de more in coetu praeparatorio cardinalibus eidem congregationi praepositis; deinde in comitiis generalibus coactis coram Nobis v. idus augusti anno 1887, ubi tum cardinales tum consultores, sua edidere

---

[1]) Quemadmodum multis aliis afflictis hominibus passim, ita nominatim aegris hic memoratis Barbarae Dressen et Ignatio Strecker, ut beatum Petrum Claver deprecatorem sibi apud Deum pro obtinenda sanitate adhiberent, auctor fuit P. Franc. Xav. Weninger S. J., ex provincia austriaco-hungarica, in urbe hac nostra Oeniponte olim s. theologiae professor ac concionator: vir Dei caritate et animarum zelo fervens et operarius in utroque orbe omnino magnus. Qui quum, oceanum transvectus anno 1848, exinde foederatos Americae septentrionalis status circumeundo reliquam vitae partem concionibus habendis traduxisset, plenus dierum et bonorum operum pie admodum decessit Cincinnati die 29. junii anno Christi 1888, aetatis suae 83. Nigritarum salutis studiosissimus ac beati Claverii, praecipui eorum apostoli, honoris amplificandi cupidissimus, P. Weninger operae plurimum studiique consumpsit in promovenda utraque causa sancta, illorum conversionis et hujus canonizationis, apertis pro conversione christianaque Nigritarum institutione scholis erectisque pluribus piis sodalitiis, a beato Petro nuncupatis, de quibus tempore proxime elapso identidem etiam in Germania sermo erat in menaeis „Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu". — Laudes Patris Weninger scriptores passim celebrarunt. Multa de eo habent Stöger, *Scriptores provinc. Austr. S. J.*, pp. 394—395 et De Backer, *Bibliothèque des écrivains d. l. C. d. J.*, t. 3 pp. 2515—2517; longe plura dat Wurzbach, *Biographisches Lexicon des Kaiserthums Oesterreich*, t. 54, pp. 292—294; sed plenissime omnium de eo agit scriptor americanus in „Woodstock Letters", tom. 18 (an. 1889), pp. 43—68.

suffragia. Quibus studioso animo attentis, Nos illud restare ediximus, ut humillimae Deo funderentur preces ad definitivam sententiam praeparandam. Tandem kalendis novembris praedicto anno, die Sanctorum omnium memoriae sacro, oblata prius salutari hostia, in nobiliore pontificiae aedis vaticanae aula, adstantibus dilectis filiis Nostris cardinalibus Angelo Bianchi, sacrae rituum congregationi praefecto, et Miecislao Ledochowski, Causae relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara s. fidei promotore et Laurentio Salvati, sacrae ejusdem congregationis a secretis, pronunciavimus „*Constare de duobus miraculis, intercessore beato Petro Claver a Deo patratis:* scilicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Barbarae Dressen, mulieris octogenariae ab inveterato cancro epitheliali in dextera maxilla:* ac de secundo: *Subitae perfectaeque sanationis Ignatii Strecker a carie sterni et costarum thoracis sinistri gravissimo pulmonum vitio conjuncta*" Quod decretum eadem die editum est.

Porro, quod ex praescripto sacri juris agendum supererat, XVII. kalendas decembris eodem anno, coacta iterum sunt generalia s. rituum congregationis comitia, in quibus quum praedictus card. Miecislaus Ledochowski *dubium* proposuisset: „*An stante approbatione duorum miraculorum, post indultam venerationem, tuto procedi possit ad solemnem beati Petri Claver canonizationem*", quotquot aderant, tum cardinales, tum consultores, audientibus Nobis, uno ore responderunt „*Tuto procedi posse.*"

Quamobrem, re mature expensa, atque iterum coelesti lumine implorato, v. kalendas praedicti mensis, prima Dominica s. adventus, post oblatum sacrum, in eadem pontificia aula, praefatis cardinalibus ac s. congregationis officialibus adstantibus, ediximus „*Tuto procedi posse ad solemnem beati Petri Claver canonizationem*".

Dein nonis decembris eod. anno 1887 s. r. eccle-

siae cardinales in *secretum* consistorium collegimus, ibique dilectus filius Noster card. Angelus Bianchi, s. rituum congregationi praefectus, novensilium sanctorum gesta singillatim ac perspicue exposuit, magnoque omnes studio incendit, ut tantorum heroum memoria summis honoribus consecraretur.

Paullo post, nempe X. kalendas januarii eodem anno 1887, *publicum* consistorium habitum fuit, in quo cardinales audito prius, uti mos est, dilecto filio Philippo Gioazzini, consistorialis aulae advocato, unanimiter placere sibi declararunt, ut invicto apostolo sanctorum coronam imponeremus.

Amplissimi senatus scito, catholici orbis patriarchae, archiepiscopi et episcopi quamplurimi una cum cardinalium collegio, a Nobis convocati in consistorium quod vocant *semipublicum*, habitum v. idus januarii currente anno 1888 plaudentes accesserunt, causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in memorato consistorio publico, tum ex monumentis sacri consilii ritibus tuendis praepositi, quorum exemplar unicuique eorum exhiberi jussimus. Cujus rei instrumenta a dilectis filiis Sedis apostolicae notariis confecta in tabulario s. romanae ecclesiae asservari mandavimus. Deinde praefinita canonizationis celebrandae die, nempe decimaquinta mensis januarii currente anno 1888, sancto et terribili nomini Jesu Salvatoris Nostri sacra, fideles cunctos hortati sumus, ut jejunio ac precibus sese ad illam compararent, atque ecclesias designavimus, in quibus copia erat indulgengentias lucrandi.

Quum autem faustissima dies illuxit, romanae curiae praesulibus, officialibus, ac proceribus, et amplissimo cardinalium senatu, cum patriarchis, archiepiscopopis et episcopis, solemni supplicationis rito comitantibus, Nos aulam basilicae vaticanae pronao superstructam, ad instar templi munificenter ornatam, ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster card.

Angelus Bianchi, s. rituum congregationi praefectus, et canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Gioazzini, s. consistorialis aulae advocato, Nobis vota detulit virorum principum, sacrorum antistitum, universaeque Societatis Jesu, ut beatum Petrum Claver sacerdotem professum dictae Societatis, virum gestis, virtutibus ac miraculis insignem, sanctorum coelitum numero accenseremus, una cum septem beatis fundatoribus ordinis servorum beatae Mariae Virginis, nec non beatis Joanne Berchmans scholastico et Alphonso Rodriguez coadjutore formato praedictae Societatis. Quumque iisdem precibus iterum ac tertio idem cardinalis per memoratum s. consistorialis aulae advocatum Nos exorasset, ut optatam faustamque certo futuram sententiam ederemus, implorato prius Spiritus Paracliti lumine, deinceps beatae Virginis Immaculatae, coelestium spirituum, ac sanctorum omnium praesidio invocato, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione et ven. fratrum Nostrorum sanctae romanae ecclesiae cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum consilio, praedictum beatum Petrum Claver, Nigritarum apostolum, una cum supra memoratis septem beatis fundatoribus ordinis servorum beatae Mariae Virginis, nec non beatis Joanne Berchmans scholastico, et Alphonso Rodriguez coadjutore formato praefatae Societatis, inter Sanctos censeri jussimus. Decrevimus porro s. Petri Claver memoriam quotannis die 9. septembris celebrandam esse, et in romanum martyrologium referendam; ac omnibus christifidelibus, qui illius exuvias eo die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum in perpetuum largiti fuimus.

Gratiis deinde Omnipotenti Deo actis, ad aram accessimus incruentum sacrificium oblaturi, ac peracta

Evangelii lectione, quotquot aderant allocuti sumus, eosdem hortantes, ut de tanta solemnitate gauderent in Domino, fructusque quam uberrimos caperent. Denique apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam peramanter in Domino impertivimus, literasque apostolicas sub plumbo expedire mandavimus.

Praeclara sanctissimi herois memoria, his literis consecrata, vigeat in animis vestris, fideles, eamque colite, ut Jesu Christi amor exardescat in vestris cordibus; *et expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum: ubi non est gentilis et judaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus*[1]).

Hoc divinae caritatis praeceptum, unde vera libertas proficuusque ad vitam aeternam progressus dimanat, apostoli martyresque secuti, Domini nostri Jesu Christi regnum propagarunt, *qui redemit nos Deo in sanguine suo ex omni tribu et lingua et populo et natione*[2]); *et datus est in foedus populi, in lucem gentium; ut aperiret oculos caecorum, et educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*[3]).

Etsi autem pauci apostolicam vocationem sortiantur, ad cunctos tamen hoc divinae caritatis praeceptum pertinet. Cuncti enim vel precibus, vel opibus, vel auctoritate christianae fidei propagandae studere debent, ideoque ea instituta, societates, atque opera promovere, quae vel apostolicae Sedis providentia vel devota pietate fidelium invecta eo spectant, ut infidelibus ac caecis lumen veritatis et gratiae praesidium afferatur.

---

[1]) Coloss. III., 9—11.
[2]) Apoc. v., 9.
[3]) Isai. XLII. 6—7.

Diligite ergo, carissimi, diligite, praesertim Romani, qui hoc nomine ab apostolo commendati estis, fidem vestram, et sanctum Petrum apud Deum interponite, ut intestini christiani nominis hostes, qui inter alia sua impia facinora mirabile illud praedecessorum Nostrorum opus de *propaganda fide* nuncupatum, suo arbitrio ac libidini obnoxium facere ausi sunt, humilientur sub potenti manu Dei, et convertantur.

Praemissa omnia iterum auctoritate Nostra confirmamus ac roboramus, mandantes ut praesentium literarum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur ab omnibus, quae hisce ipsis nostris literis haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis ac voluntatis infringere; si quis autem temerario ausu contraire praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et sanctorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo octogesimo septimo, undecimo kalendas Februarii[1]), Pontificatus Nostri anno decimo.

Ego Leo catholicae ecclesiae episcopus

(**L. S.**)

(Sequuntur subscriptiones 32 cardinalium.)

Lacuna decreti de cura pastorali Nigritarum ita ex fontibus authenticis expleta, jam quae sancita a concilio sunt, facile intelligentur, et sancto Petro Claver exemplis praelucente meritisque intercedente, fructuose in usum deducentur.

---

[1]) Quomodo factum sit, ut dies 20. januarii 1888 notetur: XI. kal. febr. an. 1887, superius declaratum vide p. 286.

Caput III.

De societatibus.

Ultimo loco patres docent, quomodo sacerdotes zelum animarum circa varias, quas homines contrahere solent, societates exercere debeant, perversis scilicet omni, qua possent, ratione oppugnatis ac coërcitis, bonis vero diligenter propagatis et promotis.

„Societatem“ schola, praeeunte doctore angelico, breviter definit „conjunctionem hominum ad aliquid perficiendum“, seu ad communem aliquem finem consequendum.

Elementa cujuslibet societatis quatuor sunt: 1. homines societatem constituentes; 2. moralis eorum conjunctio; 3. finis communis, ad quem conspirant; et 4. media ad finem consequendum.

Natura seu essentia societatum ex fine earum adaequato determinatur[1]); sumitur autem finis adaequatus, quando includuntur omnes conditiones, quibus servatis finis obtinendus est. Ita finis adaequatus ordinis Carthusianorum is est, ut ejus sodales „per vitam contemplativam“ ad perfectionem evangelicam tendant, et sic medium perfectionis acquirendae, quod apud ipsos est in custodia solitudinis positum, transit in finem. E contrario finis adaequatus ordinis Praedicatorum, Societatis Jesu et aliorum similium institutorum tanquam conditionem complectitur vitam activam, per quam ad perfectionem consequendam tendatur. Et ita fit, ut non obstante communione finis omnium religiosorum ordinum, alii ab aliis distinguantur, quod proprii singulorum fines, adaequate spectati, ab invicem distincti sint ac diversi.

Neque aliter arbitrandum est de distinctione societatum temperantiae, quas vocant; licet enim omnes

---

[1]) Cfr. Tarquini, *Juris eccles. publici institut.*, l. 1, c. 1, n. 7.

id agant, ut ebrietatis vitium extirpetur, aliae tamen communi illi fini obtinendo per solemnem promissionem abstinentiae a potibus inebriantibus (pledge) insistunt; aliae contra, omissa sodalitia promissione, ferventibus pietatis exercitiis finem obtinere nituntur; sicque finibus adaequate consideratis inter se differunt.

Ita igitur accipienda est quae a synodo plenaria indicatur distinctio societatum in honestas et inhonestas, ut dum aliis finis honestus sit praefixus, aliarum finis ab honestate deficiat.

§. 1.

De societatibus inhonestis.

Vera quidem est utriusque juris doctrina, „inhonestarum rerum societatem nullam esse“[1]), proprie dictam scilicet, ex qua obligatio moralis oriatur; sed identidem accidere videmus, ut scelerati homines, inita consociatione, media sibi comparare studeant ad certum communemque finem inhonestum assequendum, facta etiam nefanda sponsione, passuros se, ut externa vi adhibita ad impia promissa servanda cogantur. Sicque pravae adunationes hominum existunt ad malum perpetrandum, de quibus patres sub praesenti rubrica „de societatibus inhonestis“ loquuntur. Agunt autem praecipue de societatibus secretis, quae nimirum finem suum, imposito secreti praecepto, ita prosequuntur, ut secreti custodia in finem earundem transeat, ipsisque nomen societatum secretarum sive occultarum faciat.

In decreto patres ad mentem actorum Sedis apostolicae ac nominatim literarum encyclicarum Leonis PP. XIII. „Humanum genus“ ex ordine tractant 1. de sectis vel societatibus, quae contra ecclesiam vel legi-

---

[1]) Cfr. gl. ad c. Error, cui non resistitur 3, dist. 83, et l. Nec praetermittendum 57. pro socio (Digest. l. 17, tit. 2.).

timam potestatem civilem sive palam sive clandestine machinantur; 2. de societatibus, in quibus sodales juramento vel alio modo se obligant ad arcanum servandum, quod nec auctoritati ecclesiasticae manifestare permittuntur; 3. de societatibus, quae ab asseclis jusjurandum vel promissionem caecae absolutaeque obedientiae exigunt; 4. de societatibus, quae proprio marte presbyterum aliumve ministrum cultus sibi vindicant, qui rituali ac caeremoniis propriis utatur; 5. de societatibus, de quibus non constet, an sub una ex classibus a S. Sede damnatis cadant; 6. de societatibus judicio episcopi vitandis.

De sodalitatibus operariorum tandem docent, eas, per se spectatas, non esse prohibitas, quod „non constet, illas aliud sibi proponere, quam mutuam tutelam ac juvamen.“ Cavendum tamen, ajunt, „ne sub hoc societatis mutui auxilii praetextu quidpiam admittatur, quod sectis damnatis faveat; neve sodales pravis subdolisve malorum hominum artibus inducantur, ut contra justitiae leges laborem ab ipsis debitum subtrahant, vel alio quovis modo eorum, quibus subjiciuntur, jura laedant.“

§. 2.

De quibusdam societatibus honestis.

Quo homines catholici efficacius a periculis societatum secretarum retrahantur, patres baltimorenses, consilium Summi Pontificis secuti, honestas societates institui ac promoveri jubent. Vigente nimirum hodierno associationis studio, quo homines ubique ad varia bona, quae singuli ac seorsi consequi non possunt, viribus unitis acquirendo tendant, societates honestae aptissimum instrumentum sunt zeli animarum exercendi. „Ad alendam augendamque experrectam virtutem, verba sunt Leonis PP. XIII.[1]), curare ac providere opus est,

[1]) In literis ad episcopos Italiae d. d. 15. Febr. 1882, in Act. S. Sedis, t. 14, pp. 34—42.

ut numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur societates, quibus maxime propositum sit, fidei christianae virtutumque caeterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes juvenum, opificum, quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis, aliaeque ex eodem genere complures“.

§. 3.

De societatibus ad temperantiam promovendam.

Ex societatibus honestis ad extremum eas nominatim commendat concilium, quae ad avertenda ingentia mala „a potuum inebriantium abusu profluentia“ salubriter constitutae sunt; atque ex iis speciatim „unionem catholicam ad abstinentiam totalem promovendam“ et „confraternitatem sacrae sitis“ „magna laude dignas“ praedicat.

Associationes temperantiae, quas vocant, communiter ad finem tendunt praescripta solemni promissione abstinentiae a potibus inebriantibus (the pledge); confraternitas sacrae sitis vero, omissa illa promissionis caeremonia, eidem fini obtinendo insistit piis ad Deum precibus, bonis mortificationis operibus ac mutuis virtutum exemplis.

Historiam atque indolem associationum temperantiae lector si non jam ex libris, ea de re ex professo agentibus norit, addiscere facile poterit ex obvio quoque lexico encyclopaedico (Realencyklopaedie), sub v. Temperance, german. Mässigkeit. — Earum mentio etiam in prioribus conciliis americanis identidem occurrit.

Quae circa confraternitatem sacrae sitis scitu sunt

digna, in decreto romano erectionis continentur: quapropter ipsum hoc documentum hic sistimus[1]).

Decretum s. congregationis de propaganda fide.

Quum quatuor abhinc annis r. p. Robertus Kelly Societatis Jesu de consensu superiorum suorum atque emo. ac revmo. D. Paulo s. r. e. cardinali Cullen, archiepiscopo dublinensi adprobante, pium sodalitium in Hibernia instituendum curaverit in honorem sitis atque agoniae SSmi. Dni. N. Jesu Christi atque dolorum Bmae. Virginis Mariae, in eum finem, ut ebrietatis vitium in praedicta regione, Dei adjuvante gratia, compesceretur; cumque idem religiosus vir exposuerit, ingentem tum in Anglia tum etiam in America fidelium numerum praedicto pio sodalitio nomen dedisse; illudque a r. p. praeposito generali Societatis Jesu enixe commendatum fuerit, SSmus. D. N. Pius divina providentia PP. IX., referente infrascripto s. congregationis de propaganda fide secretario in audientia diei 30. Augusti 1874, idem pium sodalitium per decretum laudatae s. congregationis erigi jussit (quemadmodum praesenti decreto erigitur) in confraternitatem, sub directione r. p. provincialis pro tempore Societatis Jesu in Hibernia, cum potestate alium ad hoc munus exercendum subdelegandi, et eidem confraternitati aggregandi alias familias seu congregationes regulares[2]) cum communicatione omnium privilegiorum ac gratiarum spiritualium dictae congregationi concessarum, firma tamen manente obligatione, ut in sociorum admissione

---

[1]) Extat in folio periodico *The Illustrated Monitor, Organ of the Confraternity of the Sacred Thirst* etc. Dublin. Dollard 1875, p. 74.

[2]) Ex isto decreti inciso patet, finem confraternitatis sacrae sitis non tam in eo ponendum esse, ut qui ebrietatis vitio sunt dediti aut ejusdem periculo expositi, mediante solemni promissione non bibendi (the pledge) a potibus inebriantibus absterreantur, quam ut fideles precibus, bonis operibus, mutuisque exemplis ebrietatis extirpationem a Deo obtineant.

eorum nomina in speciali libro describantur. Memoratae autem confraternitati Sanctitas Sua sequentes indulgentias benigne concessit, videlicet:

Indulgentiam plenariam lucrandam a sodalibus die inscriptionis confraternitati, ac festis diebus pretiosissimi sanguinis, SSi. nominis et quinque vulnerum D. N. J. C., purissimi cordis, septem dolorum et festi sub titulo auxilium christianorum B. Mariae Virginis, patrocinii s. Joseph, s. Georgii, s. Patritii et s. Andreae apostoli, dummodo iidem socii vere poenitentes, confessi ac sacra eucharistia refecti ecclesiam confraternitatis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint pro sanctae fidei propagatione et juxta mentem Summi Pontificis.

Indulgentiam trium annorum et totidem quadragenarum quoties praescriptas pro sodalibus preces corde contrito recitaverint, ac septem annorum et totidem quadragenarum si eas recitaverint in communi, necnon indulgentiam tercentum dierum pro quolibet mortificationis actu ad intentionem confraternitatis exercito; item indulgentiam tercentum dierum pro iis, qui nomen novi socii juxta normam confraternitatis inscribi curaverint, et septem annorum et totidem quadragenarum pro iis, qui decem novos socios curaverint aggregandos; denique indulgentiam centum dierum sequentem invocationem recitantibus: „Domine Jesu, per sacratissimam sitim tuam salva nos."

Datum Romae ex aedibus s. c. de prop. fide, die 14. sept. 1874.

Alex. card. Franchi, praef. — Joannes Simeoni, secretarius.

De caeteris, quae ad societatis constitutionem administrationemque spectant, non est cur hic sermonem instituamus, quum tota ejus indoles ex ipsis statutis, atque, ubi opus fuerit, ex adducto jam proprio con-

fraternitatis organo „The Illustrated Monitor" erui possit[1]).

Id unum tamen restare videtur, ut „sacerdotes, qui nunquam cessare debent contra ebrietatem ejusque occasiones fortiter conclamare", attentos reddamus, in ipso corpore juris sacri optima quaeque argumenta prostare, quibus „ad pestiferum ebrietatis malum extirpandum" uti possint. En tibi pauca, speciminis ergo, ex penu canonico eruta.

„Ebrietas omnium vitiorum fomes ac nutrix est." C. Ante omnia 9. dist. 35.

„Ebrietas mentis inducit exilium, et libidinis provocat incentivum". C. A crapula 14. X. de vita et honestate clericorum.

„Ubi ebrietas, ibi libido dominatur et furor". C. Venter 5. dist. 35.

„Quae sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus". C. Sane 7. C. 15. q. 1.

„Luxuriosa res est vinum et contumeliosa inebrietas[2]). Omnis, qui cum his miscetur, non erit sapiens". C. Luxuriosa 3. dist. 35.

Sed aliis, quae afferri possent, omissis, omnium loco adeatur s. Ambrosius, qui relatus c. Sexto 8 ejusdem

---

[1]) Multi animarum pastores confraternitatem sacrae sitis ea de causa associationibus solemnem abstinentiae promissionem exigentibus praeferunt, quod dum ex una parte magis pietatem fovet, quae initium est omnis verae conversionis, ex alia caret difficultatibus, quae cum admissione solemnis illius sodalitiae promissionis conjunctae sunt. Scilicet, si in excipienda promissione aperte dicatur, (quod theologice loquendo sane verum est), ejus infractionem nullum esse peccatum, vix non eveniet, ut tota remedii efficacia evanescat. Si vero nihil dicatur, multa et gravia peccata patrabuntur ex male formata conscientia; siquidem plures sunt, qui violationem illius promissionis gravius peccatum existimant, quam perfectam ebrietatem. Cui incommodo occurri posse credunt inita, quam diximus, confraternitate sacrae sitis, per quam media satis apta ebrietatis vitio compescendo proponuntur, quin ulla praebeatur occasio novorum peccatorum. Qua de re multa ac praeclara, usibus confessariorum maxime accommodata, reperies apud Sabetti, *Compendium theologiae moralis*, n. 150.

[2]) „Quidquid inebriat et statum mentis evertit, fuge similiter ut vinum, in quo est luxuria" C. Vinolentum 6. dist. 35.

dist., longiori disputatione contra ebrietatem instituta, inter caetera ex divinis literis animadvertit, ebrietatis vitio et servitutem deberi et incestum; illam quidem, quod quum Noë propter ebrietatem nudatus in terra jacens, laesa pietate, a filio irrideretur, servitus sit inducta[1]); hunc autem, quod Loth, „quem Sodoma non vicerat, vina turpiter vicerint."

Plura ex scriniis juris sacri hic non depromimus[2]), quum aliunde jam satis notum sit, ebrios vel ipsis ethnicis adeo exosos fuisse, ut censores tanquam indignos, qui honores et publica munera gererent, senatu moverent, notaque et ignominia perstringerent. Pittacus imo, celeberrimus mitylenaeus legislator, unus ex septem Graeciae sapientibus, temulentos, si quid deliquissent, duplici poena puniri jussit, ut formidine supplicii a vino promptius abstinerent: quae poena licet juribus nostris tantisper minuatur, quod in ebriis „tanquam sepultis et nescientibus" dolus abesse putetur; „culpantur tamen qui per ebrietatem nescientes peccant et apud sapientes judices levitatis damnantur auctores[3]), quod scilicet „leves essent ad inebriandum se"[4]).

Quoniam vero ad idem ebrietatis vitium eliminandum innumerae ferme erectae sunt societates civiles, quae rationibus ordinis naturalis tantum nituntur ac solis mediis temporalibus, aliquando et illicitis, utuntur ad finem suum consequendum, ideo peropportune fuit a concilio provinciali neo-eboracensi IV. animadversum, eas societates temperantiae intelligi ab ecclesia commendatas, „quae principiis christianis nitantur et in spiritu ac statutis vere sint catholicae"[5]).

---

1) „Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset."

2) Recoli eiiam poterunt quae de ebrietatis vitio clericis fugiendo supra monuimus p. 126.

3) Cfr. C. Sane 7. et C. Inebriaverunt 9. C. 15. q. 1.

4) Ita gl. ad c. Sane cit.

5) Cap. 7. art. 3. n. 3. pag. 30.

„Non enim in hac re promovenda est attendendum spiritibus errorum, qui abhorrent a vino et similibus, tanquam in se malis; sed id potius agendum, ut fideles ex motivis mortificationis aut caritatis christianae potus moderationem, immo abstinentiam totalem, generose exerceant, vel soli, vel societate cum aliis inita, in qua mutuis abstinentiae exemplis atque subsidiis orationis et sacramentorum in proposito virtutis temperantiae juventur ac roborentur“[1]).

In eandem sententiam episcopus roffensis, qui neo-eboracensi huic concilio interfuerat, domum reversus, in synodo dioecesana statuit[2]), „fideles inducendos esse, ut a potibus inebriantibus abstineant vel soli vel inita cum aliis societate, quae spiritu catholico regatur atque precum ac sacramentorum virtute sociis vires necessarias procuret“[3]).

Quod ut plenius obtineretur, totam promovendae temperantiae causam recentiori aetate felicissimo nexu conjunctam cum religione SS. Cordis Jesu, ac nominatim cum apostolatu orationis, voluerunt Hiberni: exhibita in „The Irish Messenger of the Sacred Heart“ longa articulorum serie sub inscriptione „Temperance in the Interests of the Sacred Heart of Jesus“, variisque propositis promissionis formulis, quibus intima illa copulatio exprimeretur. Sic, ut unam alteramve huc transcribamus, fasciculus mensis martii 1889 ejusmodi exemplum exhibet p. 93:

Promise[3]).

„For the greater glory of the Sacred Heart of Jesus, and with Its Divine assistance — in order to

---

[1]) Cap. 9. art. 5. pag. 38.

[2]) Tit. IV. n. 37. p. 17.

[3]) Latine ita ferme ad verbum exprimitur:

Promissio.

„Ad majorem gloriam Sacri Cordis Jesu, et cum divino ejus auxilio — ad dandum bonum exemplum — et ad faciendam reparationem

give good example — and make reparation for sins of intemperance, I promise to abstain from all spirituous drinks for life (or for a fixed period)."

Fasciculus mensis maji promissionem talibus verbis ad SS. Cor. Jesu directis conceptam suadet p. 143:

Heroic Offering to the Sacred Heart[1]).

„For Thy greater glory, O Sacred Heart of Jesus — for Thy sake to give good example — to practice self-denial — and to make reparation for the sins of intemperance — I will abstain from all spirituous drinks"[2]).

Caeterum de fovenda temperantiae disciplina jam pridem aurea monita dedit concilium provinciale baltimorense IV. an 1843, quae quia rationes praesentis decreti egregie illustrant, huc transtulisse juverit[3]):

„Ingentia intemperantiae mala, quae nullis verbis describi possunt, consecutum est illud, ut remedia adhiberentur in speciem extrema. Nam et in Hibernia innumerabilis hominum multitudo[4]), et in his quoque regionibus complura millia jurejurando palam professi

---

pro peccatis intemperantiae — ego promitto abstinentiam ab omnibus potibus inebriantibus ad vitam (vel ad determinatum temporis spatium)."

[1]) Heroica oblatio ad Sacrum Cor. „Ad tuam majorem gloriam, o Sacrum Cor Jesu — ad bonum exemplum tui causa dandum — ad exercendam mortificationem — et ad faciendam reparationem pro peccatis intemperantiae — statutum habeo, abstinere ab omnibus potibus inebriantibus."

[2]) Editor folii „The Irish Messenger" expresse animadvertit in ejusmodi formula neque vim voti neque rationem juramenti inesse.

[3]) Lit. pastoral. Cfr. Coll. lacen. t. 3. p. 1122.

[4]) Plura eam in rem afferuntur in vita P. Theobaldi Mathew, temperantiae apostoli, vulgo dicti († 1856). Cfr. Civiltà Cat. ser. 3. vol. 5. p. 507 (1856). Egregium compendium vitae et laudum Patris Theobaldi Germanorum usui vulgatum reperies in Kalendario aquisgranensi, a s. Josepho nuncupato, hoc praefixo titulo: „P. Mathew, ein Wohlthäter der Menschheit, zur Säcularfeier seiner Geburt." (Aachener St. Joseph's Kalender, 1890, pp. 54—71).

sunt, velle se ab omni inebriante liquore abstinere. Quod quidem in iis non possumus non probare, qui horrendo illo vitio misere sunt impliciti; raro enim quemque ebriosum, nisi plane relicta peccandi occasione, ad bonam frugem redire vidimus. Quare etiam eorum generosam caritatem et zelum magnopere laudamus, qui, infelicium hominum misericordia ducti, ultro se illis hujusmodi abstinentiae socios adjunxerunt: quamquam providendum esse arbitramur, ne quis, id quod evenire potest, tam praeclaro instituto perperam utatur. Nam illud plane compertum atque confessum esse debet, moderatum vini aut cujusvis alterius potionis usum per se prorsus vacare culpa, quandoquidem, omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem[1]). Neque consultum fuerit, onus absolutae abstinentiae universim aliis imponere aut in se suscipere; quum ea res, spectata humanae naturae fragilitate, fieri possit laqueus animarum, licitasque actiones in peccata mutare, et ad conscientiae angores terrorem desperationis adjicere. Quamobrem volumus promissionem, quae hac de re fieri solet, instar propositi haberi, quod iis, qui illud concipiunt, afferat quidem mutuorum exemplorum et orationum commoda, nullum vero novum officii vinculum imponat[2]), ita ut, si quis in eo servando forte deficiat, non aliter peccet, nisi quod modum excedat, aut se periculo, propriam ejus infirmitatem consequenti, objiciat. Simul etiam illud unusquisque meminerit, nos sola Jesu Christi gratia tentationes re ipsa vincere et vere salutares virtutes exercere posse. Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedi-

---

[1]) I. Timoth. 4, 4—5.

[2]) His conformia habent statuta confraternitatis sacrae sitis: „No pledge is required. No duty is obligatory under sin.“ Cfr. The Illustrated Monitor, 1875, p. 16.

ficant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem. Ps. 126, 1—2. II. Cor. 3. 5. Cap. 9, art. 5. Nemo voluntatis suae firmitate confidat, aut se hominum existimatione satis contineri putet. Facile enim cupiditatum impetus humana haec repagula perfringunt. Oratione, vigilantia, sacramentorum usu, occasionum fuga opus est, ut bona a nobis suscepta ad effectum adducantur; quae quidem ipsa a divina gratia proficisci necesse est; quia non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quae quum ita sint, vos monemus, ne ejusmodi societates ineatis, quae neque religionis fundamentis nitantur, neque ecclesiastica auctoritate regantur, aut alioqui tali ratione sint constitutae, ut mere humanis viribus et adjumentis uti merito credantur." Haec laudatum concilium provinciale.

Decreto finem imponit synodus plenaria tabernarios seu caupones graviter adhortata, ne unquam in potibus inebriativis vendendis crimen noxiae cooperationis ad peccata, in tabernis committi solita, in se admittant. Utque haec omnia facilius ac perfectius executioni mandari possint, concilium provinciale neoeboracense IV. eam cautionem prudenter vult adhibitam, ut, qui potus inebriativos vendunt invocato veluti brachii saecularis auxilio, fideliter observent leges justas in patria latas ad extirpationem vel imminutionem intemperantiae, ut neque propter escam, neque propter turpe lucrum destruant opus Dei, sed etiam cum temporali jactura, quae aedificationis sunt, in proximum custodiant"[3]). Quae quam sapienter sint a patribus statuta, vel ex sola historia famosae illius legis de mercatura potus inebriantis non facienda patet, quam status Maine primum tulit anno 1851 (Maine liquor law), quamque deinde plures aliae ditiones tantisper immutatam receperunt ac suam fecerunt.

Instructio pastoralis.

De remediis contra ebrietatem adhibendis[1]).

Tot tantaque sunt mala quae ex hoc vitio oriuntur ut, qui animarum saluti et reipublicae incolumitati volunt consulere, maximo hanc praesertim ob causam afficiuntur dolore. Etenim qui sunt ebrii, non solum hujus saeculi rebus valedicunt secundis, sed si nolint recipiscere, etiam spem amittent vitae aternae. Teste sto. Paulo in pessimos viros ebrii sunt recensendi. En ejus verba: „Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque *ebriosi*, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.“ I. Cor. 6, 10. Mala quorum ebrietas initium est et radix, talis sunt generis, ut huic vitio obnoxii non solum sibimetipsis, sed et aliis sibi propinquitate conjunctis, quam plurima et quam maxima inferant incommoda.

Ebriosus, testante s. scriptura, sibimet ipsi infensissimus reputatur inimicus. Dicit enim sapiens: „Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur, non erit sapiens.“ Prov. 20. 1.

Quae quum ita sint, quocunque possimus modo hunc donorum Dei abusum et cordis stultitiam e medio radicitus tollere conemur oportet. Igitur curae animarum praepositis valde commendamus, ut ex iis, quae sequuntur regulis, unam alteramve, prout ipsis in Domino bene videbitur, tanquam agendi normam seligant.

I. Pastores liberis utriusque sexus suadeant ut, postquam ss. eucharistiam primo susceperint, in ecclesia aliove loco idoneo, prout ipsi pastori bene visum erit, flexis genibus serio coram Deo polliceantur se usquedum vigesimum primum aetatis annum compleverint, a potu inebriante abstenturos.

---

[1]) Ex synodo dioecesana cincinnatensi an. 1886, part. 1, c. 6, pp. 29—31

II. At non solum praecavendum erit, ne juvenes huic vitio fiant addicti, sed praeterea animo toto et studio omni incumbere oportet in fideles ab ejusdem insidiis et periculis detrahendos. Quapropter presbyteri munere pastorali fungentes dent operam, ut sui gregis fideles societatibus adscribantur hunc praesertim in finem constitutis, ad abstinentiam a quocunque inebriante potu promovendam.

III. Si vero quid obstet quominus fideles, sive pauci sive plerique, his societatibus socii conscribantur, satagant pastores ut isti, vel ex iis tot quot ad id inducantur, quum senes tum juvenes, fidem faciant se a meridie sabbati usque ad meridiem sequentis feriae secundae a potu inebriante abstenturos, excepto solum casu, quum cum suis domi coenent.

IV. Quo facilius sive ebrietati sive intemperantiae addicti, ejusdem evadant immunes et a tali servitute sint iterum liberi, valde nobis in votis est ut omnes, tam debiles in hac re quam fortes, Deo preces, scilicet ter *Pater Noster* terque *Ave Maria*, unoquoque die fundant, quo, opitulante divina gratia, hoc lethale vitium vel ex toto eradicetur vel sensim sine sensu minuatur.

V. Ad securius hunc assequendum finem et SS. Cor Jesu propitium faciendum, commendamus, ut pastores fidelibus suadeant, ut die veneris, in honorem crucifixi D. N. et ad ejusdem sacram sitim in memoriam revocandam a potu inebriante prorsus abstineant.

VI. Mos apud nostrates invaluit, vi cujus sub praetextu urbanitatis amici in cauponis aliisque ejusdem generis locis, vicissim potus pretium solventes, sibi invicem semel iterumque salutem propinant, ex quo usitato more mala permulta et pergravia exorta et exoritura omnibus notum est. Quapropter ad hunc abusum e medio tollendum pastores omni studio navent, quod fideles inter se pacto conveniant, si prorsus

a potu abstinere nolint, se saltem hunc morem amplius non secuturos.

VII. Demum qui liquoris inebriantis, sive tenuem sive magnam, faciunt mercaturam, in Domino hortamur, ut legibus a gubernio latis hac super re semper plena voluntate obtemperent et, quod in iis est, faciant ne sua mercatura in aliorum vertatur damnum.

Et haec quidam praecipue referuntur ad nationes labii anglici, ut vocant, quas ea in re a caeteris distinctas acta plerumque exhibent[1]).

In nostris regionibus, ubi vitium ebrietatis nondum adeo late vagatur, vigilantia pastorum maxime excitatur, ne malum irrepere et gregem incautum invadere ac quasi improviso opprimere sinant: exemplis alienis ad terrorem propriorum parochianorum opportune propositis, ut rite moniti in tempore caveant. Omnium loco audiantur, quae in ultima sua epistola pastorali[2]) episcopus ac princeps brixinensis, dioecesanos graviter moniturus, sapienter scribit: „Es gibt noch ein anderes seelenverderbendes, für Viele höchst verführerisches Uebel, welches die höchsten Güter eines Volkes in Gefahr bringt. Dieses Uebel, vor dem ich warnen will, ist der übermässige Genuss berauschender Getränke, besonders des Branntweins. Die Folgen davon für Leib und Seele sind geradezu erschreckend. Genaue (statistische) Untersuchungen und Vergleiche haben bis zur vollen Gewissheit dargethan, dass das Uebermass im Branntweintrinken den Geist des Menschen abstumpft, Krankheiten und frühen Tod erzeugt, Irrsinn und Verbrechen hervorruft, das christliche Fami-

---

[1]) Cfr. Gutjahr, *Die Branntweinpest* (Neue Weckstimmen, 1888 fasc. 3), ubi emus. card. Manning, rationes catholici foederis s. crucis declaraturus, animadvertit p. 28, speciales unionis indulgentias ad „omnes populos labii anglici" fuisse a Papa extensas.

[2]) D. d. 13. febr. 1889.

lienleben untergräbt, Armuth und Unsittlichkeit herbeiführt. Man nennt diese schreckliche Gewohnheit nicht umsonst die Branntweinpest, weil sie in ihren zerstörenden Wirkungen der Pest ganz und gar ähnlich ist. Leider hat diese Pest in manchen Gegenden unseres Vaterlandes entsetzlich überhand genommen, und es ist so weit gekommen, dass man hie und da selbst Kindern Branntwein verabreicht. — Wenn das Uebel nicht bei Zeiten gehoben oder wenigstens eingeschränkt wird, so haben wir das Schlimmste zu befürchten. Denn gleichwie die Leidenschaft auch bei dem einzelnen Menschen immer zunimmt, wenn er ihr nicht entgegentritt, so wird auch diese Volksleidenschaft, wenn ihr nicht ein Damm entgegengesetzt wird, mit der Zeit immer stärker werden und endlich jenen bedenklichen Grad erreichen, bis zu welchem wir sie in anderen Ländern bereits vorgeschritten sehen. Ich muss daher warnen mit dem Heilande: „Sehet zu, dass eure Herzen nicht beschwert werden (in Rausch und Trunkenheit: Luc. 21, 25), umsomehr, weil diese schreckliche Leidenschaft gewöhnlich zu jenem unwiderstehlichen Hange sich steigert, der seine unglücklichen Opfer in das zeitliche und ewige Verderben stürzt. Es ist nothwendig, dass diesem verheerenden Missbrauch mit allen zu Gebote stehenden Mitteln entgegengearbeitet wird. Es ist daher sehr erfreulich, dass man neuestens als Gegenmittel gegen die Branntweinpest wieder die Mässigkeitsvereine in das Leben gerufen hat. Auch in unserer Diözese ist das hin und wieder geschehen und ich wünsche sehr, dass diese Vereine noch weiter verbreitet werden. Die Statuten dieser neuesten Verbindungen sind viel weniger streng gehalten, als die der älteren Mässigkeitsvereine, und es können die Anforderungen, die man gegenwärtig stellt, ohne grosse Schwierigkeit erfüllt werden.“

Titulus IX.

De bonis ecclesiae temporalibus.

Gravissimum, quod nono hoc titulo fuse tractatur, argumentum partim ad jus ecclesiasticum publicum, partim ad jus privatum pertinet.

Ex principiis juris publici tanquam certum cognitumque assumitur (cap. 1), ecclesiam in acquirendis atque administrandis bonis temporalibus liberam omnino suaeque potestatis esse; juri privato autem accenseri debent, quae prudenter statuta sunt (cap. 2—5) circa ipsum exercitium illius juris, h. e., circa regulas ab ecclesiastico magistratu legitime sancitas, quas in acquirendis administrandisque bonis temporalibus observari oporteat[1]).

Quum plana atque ad intelligendum aperta sint omnia, commentarium nostrum brevi comprehendemus.

Caput I.

De juribus ecclesiae circa bona temporalia.

Tria doctrinae capita sub hac rubrica attinguntur; ac primo ecclesiae asseritur ipsum nativum jus, res temporales acquirendi, quae scilicet ecclesiasticis usibus sint addictae; altero loco solvitur quaestio de subjecto

---

[1]) Distinctionem inter jus ecclesiasticum publicum et privatum, in opusculo nostro identidem jam factam (pp. 24, 266, alibi), eo expressius adhibemus, quo clarior est lex catholicae universitatis de propria cathedra juri eccl. publico destinanda (p. 215). Rationes atque usum ejusdem distinctionis contra nonnullos recentiores scriptores ex professo propugnavimus in commentario „*Die Eintheilung des Kirchenrechtes in öffentliches und Privat-recht*“, in Zeitschrift für kath. Theologie, t. 1 (1877), pp. 394—409.

21*

dominii sive proprietatis bonorum ecclesiasticorum rite acquisitorum; tertio tandem firmatur potestas ecclesiae, res suas temporales suis legibus suaque ipsius auctoritate libere administrandi.

Jus bona temporalia possidendi concilium ex duplici fonte eruit, ex jure naturali et ex jure positivo divino; ex jure naturali quidem, quia ecclesia ex natura sua vere est societas perfecta, quae proinde, ut caeterae hominum universitates, bonis temporalibus, quibus omnia societati necessaria comparentur, carere nequit. Sed et Christi voluntate et exemplo bona temporalia ecclesia possidet jureque hoc divino bona semper habuit, etiam quum lege civili inter vetita collegia recensebatur omnique jure destituta declarabatur.[1])

Quoniam autem nostro hoc saeculo in multis terrae partibus, qui imperio potiuntur, ecclesiam jure suo frui non sinunt, commissio ecclesiastico politica oecumenicae synodi vaticanae ad id consilii devenit, ut ea de re tale votum proferret: „A synodo oecumenica declaretur, potestatis civilis esse, non solum agnoscere ecclesiae jus nativum possidendi et administrandi bona sua, sed etiam suis legibus providere, ut hoc jus tam ab ecclesia universa, quam a singulis ejus institutis canonice creatis plane libere exercere possit. Hoc praecipuum potestatis civilis recte ad ecclesiam ordinatae officium esse, cui satisfaciendo potestas civilis non aliter agat erga ecclesiam, quam ipsi agendum erga quemcumque alium, cujus jura acquisita confirmare et tueri ex justitia tenetur. Sunt autem jura ecclesiae, quae pertinent ad possessionem bonorum suorum, recte acquisita, immo ei innata et essentialia“[2]).

---

[1]) Videatur qui hoc argumentum late explicat Mamachi, *Del diritto libero della chiesa di acquistare e possedere beni temporali,* l. 2. c. 2. Roma 1770.

[2]) Cfr. Vering, *Krecht,* p. 759, edit. 2.

— Haec de jure ecclesiae res temporales acquirendi ac retinendi. Jam de subjecto dominii in ecclesia ipsa.

Distinctione facta inter subjectum dominii immediatum et subjectum remotum, subjectum immediatum proprietatis bonorum ecclesiasticorum est ipsum illud particulare institutum ecclesiasticum (singularis ecclesia, collegium, locus pius), quod mediante communione dioecesana vel religiosa in ecclesia universali existit; subjectum remotum vero, dominio quasi eminenti praeditum, ipsa est ecclesia universalis sub capite suo romano Pontifice[1]). Unde fit, ut — instituto sublato ac juridica, quae in eo inest, persona extincta — bona ejus non evadant bona derelicta sive nullius; manent enim in eadem illa connexione cum ecclesia universali, in qua jam erant ante suppressionem immediati subjecti proprietatis. Particulare institutum quippe bona non possederat, nisi quatenus in organico nexu cum universali ecclesia canonice extiterat, ac partem illius finis prosecutum fuerat, ad quem in tota sua amplitudine obtinendum ecclesia universalis tendit. Atqui deficiente licet partiali illo bonorum fine, qui instituto jam deleto fuerat praestitutus, non tamen deficit adaequatus atque universalis eorundem bonorum finis, qui generatim consistit in sustentandis ecclesiae ministris, in augendo cultu divino, in alendis pauperibus, in religione christiana propaganda ac confirmanda. Ergo etiam post suppressum institutum, ejus bona ecclesiasticis usibus manent addicta, juxta leges canonicas in particulari dispensanda[2]).

---

[1]) „Eigenthümer ist zunächst das einzelne kirchliche Institut; durch dieses aber, da das kirchliche Institut als solches nur in der organischen Verbindung mit der Gesammtkirche existirt, stellt die Gesammtkirche sich stets als Eigenthümer des Kirchenvermögens dar.“ Ita Phillips, *Lehrbuch,* §§. 224 — 225. — Cfr. etiam Würzburger kath. Wochenschrift, 1856. nn. 8—10.

[2]) Huc etiam faciunt, quae superius de personalitate juridica beneficii ecclesiastici disseruimus pp. 174—176.

Libertatem ecclesiae bona sua ad mentem sacrorum canonum legibus propriis administrandi[1]), concilia americana semper egregie defenderunt: eo in negotio secuta episcopos aliarum regionum, ubi per leges amortizationis, quas vocant, de nativo jure ecclesiae circa bona temporalia multum omnino legitur detractum[2]). Quamvis enim ecclesia, privilegiis suis spoliata, in foro externo jam fere ubique in ipsa acquisitione ad normas legis civilis adstringatur[3]) atque iisdem modis ac titulis, licet non eadem libertate[4]), res temporales acquirat, quibus caeterae personae sive physicae sive morales bona sua consequuntur; id tamen semper agere studuerunt praesules, ut ecclesia in administratione nullius imperio esset obnoxia.

Caput II.

De episcoporum officiis.

In statibus foederatis Americae septentrionalis ecclesia non est publica auctoritate agnita ut universitas legitime constituta seu ut societas, in qua insit

---

[1]) Sicut persona physica libera suique juris res suas propria voluntate curat, ita persona juridica more suo vivit ac bona sua propriis legibus administrat.

[2]) Odiosum amortizationis vocabulum, novitiae originis, a gallico „amortir," ab inimicis inique ad res ecclesiasticas fuit accommodatum. Est autem „amortir" extinguere, delere, et sensu translato, publico usui ac commercio eripere, in manum mortuam ecclesiae, ut ajunt, transire. Hinc leges amortizationis vocantur, quae vel transitum rerum temporalium in possessionem ecclesiae impediunt, vel jam possessas ex ejus manu eripiunt.

[3]) In recentioribus concordatis, v. g. bavarico, art. 8, et austriaco, art. 29, saepe dicitur „ecclesia jure suo pollere novas possessiones, justo quovis titulo libere acquirendi," quod communiter intelligunt de quovis titulo in jure civili tantum agnito et admisso.

[4]) Plerumque fit, ut leges civiles amortizationis institutis ecclesiasticis, utut canonice erectis, nihil per contractus inter vivos tribui aut testamento relinqui sinant.

persona juridica dominii capax. Hinc est quod in ordine ad res temporales possidendas collegiis illicitis juris romani accenseatur, quibus nihil acquirere ac retinere licebat[1]). Ut ergo bona temporalia coram lege civili habere possit, alia subjecta proprietatis seu personae juridicae ad normam legis civilis creari debent, quae omni jure habeantur ut corpora seu instituta rite erecta ac publica auctoritate confirmata, quibus jam integrum sit, quovis justo titulo per contractum inter vivos et per testamentum quidquid acquirere acquisitumque legibus propriis administrare.

His de causis concilium plenarium episcopos, penes quos omnium ecclesiae bonorum curam et administrationem inde ab initio fuisse ostenditur[2]), etiam atque etiam hortatur, ut res ecclesiasticas legitimis titulis rite ad civiles normas constitutis, in tuto collocent, utque „semper memores sint, earum se non dominos esse, sed mere procuratores“[3]).

Tres titulos patres memorant, e quibus singuli, debite ac sine omni errore legali confecti, possessiones ecclesiae ab omni periculo tuentur. Ex iis ergo ut illum quisque, quem maluerit, eligat eoque adhibito bona ecclesiastica, a privatis rebus accurate distincta, piis sacrisque usibus perpetuo servanda curet, haec

---

[1]) Collegia seu sodalitia sine legis, senatus principisve auctoritate constituta, veteribus erant suspecta propter conjurationem in corpus et alia quaedam incommoda, maxime propter pericula coetuum factiosorum hominum. Unde factum est, ut omne collegium illicitum ac reprobatum censeretur, quod non fuisset specialiter permissum.

[2]) Affert concilium canonem apostolorum 41, qui in corpore juris est c. Praecipimus 24. C. 12. q. 1. Eidem consonat canon concilii antiocheni anni 341 „Episcopus,“ qui sub numero praecedenti legitur: quod ideo animadvertimus, quia ipsi canones apostolorum scripturis apocryphis accensentur, quemadmodum adductis juribus ostensum a nobis est in *Kalendario utriusque ecclesiae,* tom. 1. p. 61.

[3]) Quod in ejus rei confirmationem adducitur c. Fraternitatem, per errorem citatur ex libro 2 decretalium; est enim titulus „de donationibus,“ in quo reperitur, titulus 24. libri 3, prout videre est in serie titulorum supra descriptorum parte 1, p. 246.

decernunt n. 268: „Ne unquam bona cultui divino piisque operibus dicata ad alios usus divertantur, statuimus ac omnibus istarum provinciarum episcopis in Domino praecipimus, ut duplex rerum inventarium rite confectum habeant; unum in quo res omnes ecclesiasticae, quas sive nomine proprio (in fee simple), vel suae fidei commissas nomine aliorum (in trust), vel soli ut corpus morale (corporation sole) possident, accurate describantur; alterum in quo res suae propriae (personal property) aeque fideliter notentur. Hac enim ratione optime de bonis tam ecclesiae quam episcoporum sine ullo confusionis et, quae inde sequi possit, scandalosae contentionis aut sacrilegae alienationis periculo provisum erit. Et justum est hoc apud Deum et homines, ut nec ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum episcopi, nec episcopus vel ejus propinqui sub obtentu ecclesiae proscribantur: can. apost. 40."

Celebres sunt ecclesiae canones, quibus praesens decretum de variis rerum inventariis seu repertoriis[1]) innititur. Est autem inventarium legitimum instrumentum, quod authenticam bonorum ac jurium descriptionem continet definiturque in vet. gloss. „libellus, in quo omnia bona, quae apud aliquem inveniuntur, conscribuntur." Sic de promovendo, habente familiam, „priusquam ordinetur, hujusmodi exigitur cautio, per quam et suam fateatur, quantula sit praesentis temporis, habita rerum descriptione, substantiam"[2]), nimirum „ut iis, qui circa episcopum sunt, presbyteris et diaconibus manifestae sint res propriae episcopi et manifestae dominicae, h. e., ecclesiae; ut si episcopo contigerit inopinatus transitus, res ecclesiae nullo modo possint minui et perire; neque res propriae episcopi

---

[1]) De synonymia vocabulorum inventarii et repertorii cfr. gl. ad c. Quia contingit 2. de religiosis domibus, v. inventaria. Clem.

[2]) C. De syracusanae urbis 13. dist. 28.

importunitatem patiantur pro rebus ecclesiae; ut nec ecclesia damnum incurrat, nec episcopus in suis rebus pro rebus ecclesiae proscribatur, nec mors ejus injuriis malae famae subjiciatur"[1]).

Quae praeterea hoc capite continentur, similiter plana sunt, nimirum de testamenti factione (nn. 269—270), de archivis dioecesanis (n. 271), de ratione administrationis gestae reddenda (272), de salario rectoris definiendo (273), et de mensis argentariis (274). Ne tamen omnino neglecta praetereantur, paucissima quaedam ad singula incisa accipe.

„Testamentum" ex utriusque juris placitis per allusionem dicitur „quasi mentis testatio"[2]) nomine scilicet non ex etymo[3]), sed ex ea testamenti forma explicato, qua testator in conficiendo testamento mentem suam testibus rogatis adhibitisque declarare debet. Definitur autem „voluntas ultima, directam haeredis institutionem continens": de qua definitione plura dat Schmalzgrueber, de testam. (III. 26), nn. 1—2.

Quum patres concilii praescripta „testamenti factione" id spectent, ut bona temporalia tuto conserventur ecclesiae, merito imperant, ut omnes solemnitates, quae ex civilibus legibus testamentariis ad valorem testamenti observatu sunt necessariae, in condendis testamentis ad amussim adhibeantur, ne unquam testamentum propter defectum formae legalis a judice saeculari improbum ac contra leges factum declaretur.

---

[1]) C. Episcopus 19, c. Manifesta 20, c. Sint manifestae 21, cit. Causae 12, q. 1.

[2]) Ita Justinianus imperator, Institut. l. 2. tit. 10 de ordinandis testamentis; et ex eo interpretes canonum passim, v. g. Dict. Gratiani ad c. Placuit 7. C. 13. q. 2; et C. Quia ingredientibus 2. X. de testam. et ult volunt. gl. ad. v. testamentum.

[3]) Testamentum grammaticis est verbale a testor, unde testamen (testimonium) et syllabica adjectione productum, ut a moneo monumen, monumentum, a doceo documentum, et alia similia, in quibus mentum est vocis productio.

Et quoniam in statibus foederatis Americae septentrionalis canonica erectio instituti ecclesiastici eidem nondum personalitatem juridicam in foro civili tribuit, cui aliquid testamento relinqui possit, testator interna etiam solemnia attendere debet, quae ad haeredis idonei institutionem pertinent. Ea ratione ergo „coram lege et judice saeculari valida“ esse debent testamenta, quae episcopi intra tres menses a sua cujusque consecratione, tum apud archiepiscopum, tum in archivo dioecesano deponere jubentur.

Succedit decretum „de archivis, tabulariis, scriniis, armariis seu conditoriis in loco tuto ac commodo erigendis“: qua de re multa praescribuntur in constitutione Benedicti PP. XIII. a synodo plenaria allata.

Lex de archivis ecclesiasticis rite constituendis e jure civili romano est a legislatoribus sacris assumpta. „Ut in civitatibus, verba sunt Justiniani imperatoris, aliquod aedificium publicum (*οἴκημά τι δημόσιον*) definiatur, in quo conveniat defensores acta (*ὑπομνήματα*) reponere; et designetur aliquis ex provincia, qui ea custodiat, ut incorrupta maneant, celeriterque ab iis inveniantur, qui ea desiderant, et ut aliquid apud eos archivum (*ἀρχεῖον*) sit“ [1]).

Archivum a graeco *ἀρχεῖον*, inserto digammate, formatum conspicitur. Est autem *ἀρχεῖον* (ab *ἀρχή*, principatus) domus principis, regia, aula, magistratuum curia, forum judiciale, indeque translato sensu accipitur pro loco, in quo instrumenta sive acta publica asservantur, tum quod ejusmodi loca fere in principis aut magistratuum aedibus et curia sint, tum quod acta ibi reposita quasi in principis aut magistratus publici custodia recondantur. Ex authentica hac custodia instrumenta legitime in archivum redacta id consequuntur,

---

1) Nov. 15, c. 5, §. 2.

ut ad auctoritatem valeant, licet sint solemnitate destituta.

Ea de causa archivum etiam locus credibilis seu creditivus appellatur, quum talis sit, cui fides haberi debeat.

In jure romano nomen identidem in primitiva sua forma ἀρχεῖον[1]), latine archium[2]) occurrit. In sacris canonibus usitato vocabulo „archivam" appellatur[3]). Corrupte scribitur „arcivum"; unde fortasse factum est, ut s. Isidorus cum gl. ad c. Romani principes cit. vocem ab „arca" deducat, quod nimirum arceat visum et, notante etiam Varrone, fures prohibeat[4]), si bene clausa fuerit.

Archivum latine „tabularium" vocatur, a tabulis ligneis cera illitis, in quibus instrumenta scribebantur[5]). Exinde factum est, ut bonorum possessio contra tabulas testamenti vulgo diceretur „possessio contra lignum"[6]). — Caeterum „tabulas (testamenti v. g.) accipere debemus omnem materiae figuram[7]). Sive igitur tabulae sint ligneae, sive cujuscunque alterius materiae; sive chartae, sive membranae sint; vel si e corio alicujus animalis: tabulae recte dicentur"[8]). — Qui instrumenta rite format publiceque conscribit, tabellio[9]); qui in archivum redacta custodit, tabellarius est.

---

[1]) Praeter nov. 15. cit. cfr. nov. 74, c. 4. §. 2.

[2]) Ita in π. de poenis (lib. 48, tit. 19.) leg. 9, ubi et synonymo γραμματοφυλάκιον jungitur.

[3]) V. g. c. Pervenit ad nos 1. C. 30. q. 1; et c. Romani principes unde jurejurando. Clem.

[4]) Etymol. l. 20, c. 9, apud Migne, Patr. lat. t. 82, pp. 719 et 1048.

[5]) Qnoniam quae in ejusmodi lignis ceratis erant praescripta, facile ita delebantur, ut nova scriptura posset inarari, tabulae inter chartas deletitias sive παλιμψήστους praecipuum locum tenebant.

[6]) Leg. Quod vulgo 19. π. de bonorum possessione contra tabulas (lib. 37, tit. 4).

[7]) H. e., omnem qualitatem seu formam.

[8]) Ita leg. Tabulas 1. π. de bonorum possessionibus secundum tabulas (lib. 37, tit. 11).

[9]) Relegantur, quae in priori parte commentarii scripsimus p. 88.

„Scrinia" in jure vocantur capsae et loculi, in quibus principis acta, quae ad jus pertinent, asservantur[1]). De variis scriniorum generibus, maxime de palatinis, passim agunt commentatores in „Notitiam utriusque imperii." Latiori sensu acceptum scrinium pro archivo sumitur. Scriniarios, h. e., scriniis praepositos, etiam tabelliones appellari, animandvertit gl. ad c. Ad audientiam 13. X. de praescriptionibus. Id quomodo factum sit, in priori parte declaratum recolas p. 89.

Haud dissimili ratione disserendum est de nomine „armarii"; licet enim in jure[2]) proprie sumatur pro capsa sive arca, in qua nummi, vasa, vestes aliaque reconduntur[3]); latius tamen usurpatur pro loco, in quo tabulae, instrumenta, libri, acta publica aliaeque res pretiosae reponuntur.

Archivum tandem synodus nostra „conditorium" appellat: quod vocabulum quamvis frequentius pro loculo ponitur, in quo cineres aut cadavera in sepulchris conduntur, sequiori tempore tamen etiam generatim occurrit ad locum denotandum, in quo aliquid reponitur.

Et ista quidem sunt variae appellationes archivi, quas patres baltimorenses ex laudata constitutione Benedicti PP. XIII. assumpserunt. Iis addi ex jure sacro[4]) potest „chartophylacium": quod, explicante glossa, „dicitur locus seu armarium, ubi chartae vel instrumenta ponuntur et conservantur." — Tandem memorari potest „chartarium": qua voce s. Hieronymus utitur *adversus Rufin.* l. 3, c. 6[5]), unde et custos

---

[1]) Ea de causa in leg. omnium 19. C. de testamentis (lib. 6, tit. 2.) totum jus in scriniis principis constitutum dicitur.

[2]) L. Qui universas 30. π. de acquirenda vel amittenda possessione (lib. 41, tit. 2), et l. Haeres absens 19. X. π. de judiciis (lib. 5, t. 1).

[3]) „Armarium, inquit vetus glossa, est locus, ubi quorumcunque artium instrumenta ponuntur." Saepe etiam promptuarium significat, e quo cibus promitur.

[4]) C. Ex epistola 1. X. de probationis.

[5]) Apud Migne Patr. lat. t. 23, p. 465.

tabularii chartarius est dictus; dum „chartularius“ in corpore juris canonici notarium significet, quemadmodum superius ostensum est in priori parte p. 88.

De ipsis chartis tandem duo sunt ex jure animadvertenda; alterum, quod chartae nomine veniat res omnis scriptioni apta, ex quacunque materia illa sit, sive ex ligno, sive ex plumbo, sive ex lapide, sive ex cortice, sive ex corio, sive ex linteis, sive ex cera[1]); alterum, quod tria chartarum genera distinguantur; alia enim est charta nova, alia deletitia seu *παλίμψηστος*, alia denique opisthographa[2]). „Nova“ charta est, in qua nondum quidquam scriptum fuit. „Deletitia“ vocatur charta, cujus prior scriptura spongia deletili ita abstersa est, ut nova reponi in ea possit. Graece dicitur *παλίμψηστος*, a *πάλιν*, rursum, et *ψάω*, abstergo, rado. Latini quoque graeca voce utuntur ad denotandas ejusmodi tabulas secundo rasas et detersas, novandaeque scripturae idoneas. Charta „opisthographa“ denique ea appellatur, quae est etiam in tergo (*ὄπισθεν*, retro) scripta. Et qui tam a facie quam a tergo opus exarant, in opisthographo scribere dicuntur; indeque instrumenta, quae utraque parte et aversa et adversa, scripta sunt, *ὀπισθόγραφα* audiunt[3]).

Quod tertio loco patres baltimorenses statuunt circa rationem de administratione bonorum singulis annis episcopo reddendam, id ex decretali Clementis PP. V. Quia contingit[4]), quae in hoc rerum genere classica est, opportune illustrari poterit. Cuncta scilicet loca religiosa ac pia subjiciuntur episcopo dioeceseos, in qua sita sunt, nisi exempta probentur, aut aliud postulent leges, quae in eorum fundatione constitutae sunt; exinde

---

1) Cfr. Leg. Librorum appellatione 5. *π.* de legatis (lib. 32).

2) Leg. Chartae appellatio 4. *π.* de bonorum possess. secund. tab.

3) Quae in accuratioribus archivorum catalogis identidem occurrit *λύσις ἐπισθόγραφος* apocha seu acceptilatio est a tergo chirographi scripta.

4) C. 2. de religiosis domibus, ut episcopi sint subjectae.

praescriptum est, ut administratores quovis anno reddere episcopo debeant gestae administrationis rationem. Exceptio circa regulares exemptos, quos praedicta decretalis antiqua institutionis decreta servare jubet[1]), in America etiam valet ad normam constitutionis „Romanos Pontifices“ ad eas provincias extensae, prout animadversum ab ipsa synodo plenaria fuit.

Novum autem atque a decretali clementina alienum est, quod in extrema decreti parte praescribitur, ut „summaria ratio, qua missionis conditio pecuniaria clare pateat, singulis annis intra mensem januarium a rectore publice in coetu fidelium promulgetur“; locorum piorum administratores quippe generatim similibus „tutelaribus ac curatoriis ratiociniis obnoxii non sunt“, nec unquam eorundem locorum consortibus (orphanis, pauperibus, parochianis, alumnis), sed episcopo aut alii legitimo superiori, rationem reddere tenentur[2]); ac clerici nominatim „pro creditis sibi gubernationibus apud proprium episcopum, cui subjacent, convenire et suae gubernationis rationem facere jubentur“[3]).

De salario sacerdotum quarto loco acturi, patres ex doctrina evangelica praevie animadvertunt, divini juris esse, ut ecclesiae ministris necessaria vitae subsidia a fidelibus praebeantur, licet ad ecclesiam spectet, modum constituere, quo ii, qui altari ministrant, per determinatas praestationes alantur. Hinc non sine distinctione sunt accipienda, quae in catechismo concilii plenarii traduntur q. 389, quinto ecclesiae praecepto sci-

---

[1]) Non erat, cur patres nominatim attingerent exemptionem hospitalium sive ordinum militarium, sive eorum, quae sub immediata regum protectione sunt, quum talia in foederatis statibus non reperiantur.

[2]) Cfr. gl. ad cit. decretal v. reddere rationem; atque in fonte vide duas leges ibidem ex jure romano adductas scilicet leg. Orphanotrophos. 32. Codic. de episcopis et clericis et orphanotroph. (lib. 1. tit. 3), et leg. Oeconomos. 23. nov. 123 de sanctissimis episcopis (auth. collat. IX, tit. 6.).

[3]) Leg. Oeconomos cit.

licet christianos juberi sacerdotibus praebere, quae necessaria sint ad vitam honeste ac decenter traducendam. Jure divino quippe clericis alimenta debentur a fidelibus; ecclesia vero „pensatis opportunitatibus temporum et personarum“[1]) rationem ac formam praestationum lege sua determinat.

De ipsa solutione salarii presbyterorum, quod episcopus auditis consultoribus determinat, haec synodus decernit: „Nolumus ut salaria ex bonis ecclesiae jam acquisitis percipiantur; et episcopus vel dioecesis nulla lege tenetur salarii defectum supplere, si qua de causa sacerdotes missionarii illud vel nullum vel justo minus acceperint, dummodo tamen juxta monitum apostoli (I. Tim. 6, 9) necessaria ad alimenta et tegumenta non desint; nisi forte hic ipse necessariorum defectus, judicio episcopi cum suis consultoribus, gravi culpa ipsius missionarii accidisset“.

Quo ex textu comprobatum lector videt, quod superius jam docuimus p. 99, americano missionis titulo, a Sede apostolica veluti ex dispensatione admisso, naturam atque indolem canonici ordinationis tituli non inesse. Licet enim concilium plenarium propius, quam adducta ibidem synodus kansanopolitana, ad jus commune accedat, quum sacerdotibus, qui citra culpam necessariis ad vitam honeste transigendam destituti reperiuntur, praestari jubet, quae ad decentem eorum tuitionem suppetant; in extremo inciso tamen, quod ab excipiente ac limitante conjunctione „nisi“ incipit, dum illos sacerdotes ab alimentorum beneficio exclusos declarat, qui gravi culpa propria non habent, unde vivere honeste possint, de consueto, ad quem iidem ordinati sunt, missionis titulo vim ac rationem canonici tituli detrahit; per legem tituli quippe jus commune omnino cautum voluit, ne unquam clericus ad ordines promotus „cum dedecore sui ordinis aut stipem quaerere, aut sordidum aliquod munus exercere cogeretur“[2]).

---

[1]) Ita s. Thom. II—2. q. 87. a. 1.

[2]) Conc. trid. sess. 21, c. 2 de reformat.

Erat ergo, ut praedictum est supra p. 100, cur s. congregatio de propaganda fide americanos episcopos quoque „hortaretur ut, quantum fieri posset, alii quoque legitimi tituli, patrimonii et pensionis, pro sacra ordinatione introducerentur“[1]).

Restat interdictum argentariae, cui synodus clericos obnoxios declarat Continetur prohibitorium hoc decretum tamquam species in generali illa lege, qua clerici omnes negotiari vetantur. Praeter enim quam quod numulariae mensae exercitores majorem quamdam variarum pretiosarum rerum negotiationem cum pecuniis coacervatis facere soleant, nominatim etiam praecipuum ac quotidianum ejusmodi trapezitarum[2]) sive collybistarum[3]) munus, quod in mercatura ac permutatione pecuniarum consistit, saecularibus mercatus negotiis authentice adnumeratum est, quibus se immiscere clerus prohibetur. En tibi, quam ea de re jam habemus pontificiam constitutionem: „Quum acceperimus, perspicuam nostram et apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo, an clericis liceat cambium[4]) activum contrahere, quamvis non aliam fere rem dubita-

---

[1]) Quam serio s. congregatio, edita hac instructione, id apud episcopatum americanum egerit, ut, communi ecclesiae jure etiam quoad collationem sacrorum ordinum quantum fieri posset restituto, sacerdotibus in omnem eventum esset prospectum, ex eo patet, quod ipse eminentissimus cardinalis praefectus data occasione nonnullos antistites, admissionem legitimorum titulorum tantisper trahentes, paterne jam monuerit, ne amplius deessent petentibus, canonico patrimonii aut pensionis titulo rite provisis

[2]) Qui „argentariae officium“ (leg. 12. π. de edendo: l. 2, tit. 13) gerunt, trapezitae vocantur a τράπεζα, mensa, lat. mensarii et mensularii.

[3]) *Κόλλυβος*, a quo collybistae nomen traxere, hoc loco illud dicitur, quod in permutatione pecuniae, praesertim peregrinae vel antiquatae vel quovis modo in aliqua provincia repudiabilis, ex valore pecuniae apud numularium decedit et velut perit; a nostratibus „agio“ vocatur. Alio significatu vocabulum in rebus liturgicis adhiberi, vidimus in *Kalendar. utriusque ecclesiae,* t. 1, p. 106 et t 2, pp. 97—100 et 377—378.

[4]) Vox novitia „cambium“ ab antiquo et eleganti verbo „cambio“ deducta est, quae id fere significat, quod permuto. Unde et campsor latine dictus est numularius.

tioni minus subjectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam[1]), praesentium literarum tenore declaramus ac definimus, cambium activum, natura sua, esse actum verae et propriae negotiationis, ideoque ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere; quicunque vero e saeculari vel regulari clero cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris, quae in clericos negotiatores constitutae noscuntur"[2]).

Poenae istae praecipue sunt excommunicatio, suspensio, depositio, non tamen latae, sed ferendae sententiae, quemadmodum, praeter alios, adductis juribus ostendit Schmalzgrueber, ad tit. 50. lib. 3. nn. 31—34.

Caput III.

De muneribus sacerdotum, praesertim rectorum.

Securitati rerum ecclesiasticarum prospecturi, patres baltimorenses hoc capite ex ordine plura decernunt, quae ipsis sacerdotibus sint ea in re praestanda. Et initio quidem, post exposita doctrinae principia de acquirendis atque administrandis bonis temporalibus ecclesiae, tanquam rem ad gerendam administrationem maxime necessariam praescribunt proprium codicem computuum, a canonicis libris parochialibus omnino distinctum, in quem cuncta quae ad bonorum administrationem spectant, adeo accurate ac perspicue referantur, ut semper decurri ad ejus fidem possit (n. 275).

Deinde ad sacerdotes quoque extensa volunt, quae primo capite de episcopis circa testamentifactionem

---

[1]) „Causandi occasio" olim inde orta fuisse videtur, quod trapezitae κόλλυβον seu deductionem de valore nummorum commutandorum simpliciter ob mercedem suam retinere putarentur.

[2]) Ex constit. Clementis PP. XIII. Quum primum. d. d. 17. septemb. an. 1759. (Bullar. rom. contin. t. 1, p. 229).

et distinctionem inventariorum statuerunt (n. 276), adhibita nova cautione, ut ista instrumenta cum caeteris documentis ac codicibus, ad ecclesiam utcunque pertinentibus, in propria arca ferrea (safe), ceu in archivo parochiali, sedulo ac tuto asserventur (n. 278).

Sacerdotes etiam graviter admonent, ut quum se accingunt ad declarandam suam sententiam, quid de rebus suis post mortem fieri velint, ecclesiae causarumque piarum non sint immemores, utque talem dispositionem opportuno tempore faciant, quum eam leges civiles non agnoscant, si testator infra duos menses post conditum testamentum decedat (n. 277).

Sequuntur varia decreta iisdem sacerdotibus vehementer inculcata de necessitate licentiae episcopi in scriptis obtinendae tum ad aedificia ecclesiastica sive exstruenda (n. 279) sive proprio nomine possidenda (n. 280), tum ad pecuniam mutuam sive ab aliis sumendam (279) sive propriae ecclesiae dandam (281): quae omnia adjunctis locorum apprime consona esse probantur ac magna ex parte etiam jure communi innituntur. Eorum sensum attentus lector facile sine interprete assequitur.

Ad extremum patres duo decreta adjungunt; quorum alterum titulos proprietatis bonorum exacte conscribi, a viris peritis recognosci, ab episcopo approbari, sicque „demum formis et cautelis tum a lege civili tum dioecesana requisitis vestitos in archivo dioecesano deponi“ jubet (n. 282); alterum ex eadem causa „mandat, ut omnia aedificia ecclesiastica contra damnum ex incendiis oriundum, nomine corporationis vel ordinarii tempestive assecurentur“ (n. 283).

Caput IV.

De aedituis vel curatoribus et consiliariis laicis.

„Aedituus“ latinis nomen est officii, ab aedibus tuendis factum; proprieque eum significat, qui aedes

sacras servat ac curat. In jure romano etiam graeca forma ἱεροφύλαξ[1]), sacrorum custos, vocatur, quod et ipsius templi esset custos ac tutor, et „tabularum in aedibus sacris deponi solitarum custodiam suscepisset"[2]). Apud antiquos aeditui identidem collegium rite sociatum constituisse leguntur. Exinde alienum ab antiquo jure non est, ut et in America laici temporalium ecclesiae rerum curatores ac consiliarii honorifica aedituorum appellatione nuncupentur, et collegium quoddam a magistratu probatum (Board of Trustees) efficiant.

Accedunt americana ista aedituorum collegia ad similitudinem speciemque topicorum consiliorum ecclesiasticorum, quae apud nos, in Austro-Hungaria, a schismaticis coetibus seu synodis parochialibus ritus graeci ex delectis quibusdam viris constituuntur, ut cuncta parochiae negotia de mandato populi, per synodum repraesentati, administrant; quaeque vicissim pro singulis negotiorum generibus curatores, ἐπιτρόπους vocant, ex parochianis designant, rerum administrationi praeficiendos[3]).

Verum tota haec institutio parochalium synodorum, localium collegiorum, delectorum epitroporum falso collegiali protestantium systemate innititur, quod ecclesia scilicet societas aequalis sit, in qua non jam legitime existant necessarii praesides, qui bona temporalia quoque jure divino administrent.

Mirum ergo videri non debet, quod maxima cum sollicitudine semper cautum esse voluerint episcopi, ne acatholica principia istorum ecclesiasticorum consiliorum ad catholica americanorum aedituorum colle-

---

[1]) Leg. Annua 20, §. 3 in π. de annuis et menstruis legatis (lib. 33, tit. 1).

[2]) Leg. Locum 3, §. 3 in π. de tabulis exhibendis (lib. 43, tit. 5).

[3]) Ecclesiae ritus graeci constitutionem cum juribus atque officiis localis synodi sive coetus ecclesiastici (Localkirchenversammlung), topici consilii ecclesiastici (Localkirchenausschuss), et epitroporum parochialium late describit Vering. *Lehrbuch des Krechtes,* lib. 2, §. 172.

gia, quorum similitudinem coram lege civili gerunt, ulla ratione transferrentur. Eundem in finem et praesens nostrum concilium plenarium inter alia haec accommodate ad rerum adjuncta animadvertit n. 285: „Quicunque viri laici, approbante episcopo, sive a rectore missionis, sive a coetu fidelium electi sint, ut in bonorum temporalium administratione ecclesiae ministris verbo et opere auxilium ferant, maxime vero aeditui, quibus a lege civili facultas data est administrandi bona ecclesiastica, graviter serioque recogitent, se omnino legibus ecclesiae teneri; quaecunque contra canonum sanctiones vel episcopi statuta ab eis peracta fuerint, quantumvis in foro saeculari rata firmaque habeantur, coram Deo et ecclesia invalida haberi et nulla; seipsos vero, si bona et jura ecclesiae usurparint, incurrisse poenas ab eadem statutas."

Quae omnia ne justo severius dicta putentur, ex concilio provinciali baltimorensi I. anni 1829 haec circa institutionem aedituorum attulisse juverit[1]): „Quum saepius aeditui laici abusi sint jure sibi a civili potestate tributo, in magnum religionis detrimentum, non sine fidelium scandalo, optamus maxime, nullam in posterum erigi ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit episcopo, in cujus dioecesi erigenda est, in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata .... Quoniam graves ortae sunt turbae diversis temporibus in hac provincia, laicis hominibus, praesertim aedituis, sibi perperam assumentibus jus patronatus, et (quod magis mirandum est) jus institutionis ad ecclesias seu missiones, adeo ut pastores seu missionarios sibi eligere vellent, etiam invito episcopo, eosque retinere in pastorali munere contra episcopi voluntatem; vel eos, quos episcopus probaverat, rejicerent, vel

[1]) Coll. lacen. t. 3 p. 27. — Baltimorense hoc decretum „necnon decreta omnia octo priorum conciliorum provincialium baltimorensium solemniter recepit" ac sua fecit concilium provinciale cincinnatense II. anni 1858. Cfr. coll. lacen. t. 3, pp. 207—208.

dimittere aggrederentur, vel muneris sui exercitium impedire, subsidiis ad vitae sustentationem subductis, seu alia quavis ratione: quorum conatibus nonnulli sacerdotes sinistros ob fines favisse aliquando noscuntur: literis apostolicis sac. mem. Pii PP. VIII. et Leonis PP. XII. ac s. congregationis inhaerentes, hoc nostro decreto declaramus, repugnare prorsus doctrinae ac disciplinae ecclesiae jus illud a laicis assumptum instituendi seu dimittendi pastores; et insuper declaramus, nullum jus patronatus cujuscunque generis, quod sacri agnoscant canones, competere nunc alicui personae, laicorum congregationi, aedituorum coetui seu aliis quibuscunque in hac provincia" [1]).

Ecclesiam igitur tutam praestituri adversus incommoda, quae eidem ex parte collegiorum aedituorum, lege civili sociatorum, imminent, simulque omne futurum perturbationis periculum a canonica rerum administratione depulsuri, patres baltimorenses circa aedituos, ubi eos constitui necesse fuerit, plura sapienter decernunt, e quibus potiora haec sunt: ut seligantur, qui bona fama gaudeant; qui praecepto paschali satisfecerint; qui sedes ipsis necessarias in propriis ecclesiis conduxerint et pretium pro iis solverint, aut alio modo debito ad sustentationem propriae ecclesiae contribuerint; qui nulli societati prohibitae nomen dederint; qui prolem suam scholis catholicis educandam committere minime neglexerint. Ita autem constituatur collegium aedituorum, ut ejus praeses ex officio sit ipse rector ecclesiae, sine cujus consensu nihil agendum; et si qua

---

[1]) Praecipua jurispatronatus pars est jus praesentandi clericum instituendum ad beneficium vacans. Distinguenda apprime est causa formalis jurispatronatus (quae ex sola ecclesiae concessione repeti debet) a variis causis historicis, ob quas ecclesia illud jus concedit, et quae communiter tres sunt juxta notum versum:

„Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus".

Quum jus commune potentialiter tantum sit in America introductum, jus patronatus ob has causas ibidem non acquiritur, nisi postquam expresse fuerit concessum: quod hucusque factum non est.

discrepantia rectorem inter et aedituos de rebus gerendis oborta fuerit, controversia ad episcopum deferatur, cujus judicio omnes parebunt. Et haec de aedituis laicis.

„Quoniam autem in pluribus provinciis rectores ecclesiarum ipsa lege civili constituuntur ex officio ecclesiarum suarum aeditui, etiam caute erat episcopis providendum, ne quando necesse fuerit rectorem aliquem munere suo privare, ipse per interpellationem ad judicem saecularem interjectam sententiae executionem impediat et sic officium aeditui coram potestate civili conservet. Statuerunt ergo, annuente apostolica Sede, nullum rectorem, etiam inamovibilem, juridice remotum, depositum, vel munere suo privatum, contra sententiam ordinarii in suspensivo, ut ajunt, appellare posse, sed in devolutivo tantum: ita ut desinat esse aedituus ecclesiae, cujus rector erat, vel perpetuo vel usque ad tempus quo judex appellationis, definitive litem terminans eum in munus suum redintegret" (n. 286).

Quae quoad rectores inamovibiles nonnisi „Sede apostolica annuente" decerni poterant, quum appellatio a sententia depositionis rectoris inamovibilis, juridice lata, ex jure communi vim suspensivam habeat. Benedictus PP. XIV. quippe omnes causas, in quibus suspensiva appelatio non conceditur, accurate recenset propria constitutione „de appellationibus et inhibitionibus concedendis," edita d. 30. martii 1742[1]. In ea vero appellatio interposita a tali sententia non occurrit.

Tandem adscribi meretur, quod de constituendis aedituis opportune statuit synodus dioecesana novarcensis cap. 4: „Aedituorum electio vel reelectio, quotannis peracta, statim et accurate in actis collegii (Record of the Board of Trustees) referatur, ne forte hoc omisso societas ipsa coram lege pereat"; in foro civili

---

[1] „Ad militantis ecclesiae regimen", constit. 48; refertur in ejusdem Pontificis bullario tomo 1, pp. 60 seqq. edit. venetae an. 1768.

enim quam maxime valet adagium: „quod non est in actis, non est in mundo“.

Caput V.

De modis prohibitis pecunias ad pias causas colligendi.

Quemadmodum auctores collectionum decretalium Gregorius PP. IX. et Bonifacius PP. VIII. librum tertium, qui prae caeteris est de clero ac de rebus ad clerum pertinentibus, generali interdicto absolvunt „ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant“: ita et patres baltimorenses gravissimo huic titulo „de bonis ecclesiae temporalibus“ decreto prohibitorio finem faciunt, ne „modis illicitis pecuniae ad pias causas colligantur“. Distingui caput in duas sectiones potest; in eam quae agit de pecunia a consortibus propriae ecclesiae seu missionis colligenda, et in decretum de collectionibns per peregrinos faciendas.

Circa priorem collectionis speciem id agunt patres ad mentem veterum ecclesiae canonum, ut in oblationibus accipiendis et in pecuniis colligendis ab ecclesiae ministris omnis procul absit turpis quaestus et avaritiae suspicio[1]). Quare inter alia sanciunt, ut fores ecclesiae dominicis et festis diebus omnibus gratis pateant (288); ut celebrans intra missarum solemnia ab altari non

---

[1]) Quamvis ecclesia ex evangelii doctrina semper docuit, recte ac merito accipi a clericis posse, quae sibi in ecclesiasticis functionibus exercendis sponte offerrentur; identidem tamen, ubi id ex peculiaribus adjunctis opus fuisset ad omnem mali speciem evitandam, nec sponte oblata recipi permisit. Ita synodus eliberitana (secundum Hardouin, *conc. coll.* t, 1, p. 255 celebrata anno 313; secundum Hefele, *Conciliengeschichte,* 2. ed., t. 1, p. 148, anno 306) statuit, ut catechumeni baptismum suscepturi „nummos, ut fieri solebat, in concham non mitterent, ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videretur.“ C. Emendari placuit 104 C. 1. q. 1. — Similiter a concilio tridentino episcopi eorumque ministri quidquam in sacris ordinationibus, licet sponte oblatum, accipere vetiti sunt sess. 21, c. 1, de reform.

recedat, a singulis fidelibus eleemosynam petiturus (n. 293); ut sacerdos sacramenta fidelibus ideo administrare non recuset, quod nolint stipem dare, ad quam sub peccato gravi eos teneri non constet (n. 292).

Ex ea decreti parte, quae est de peregrinis quaestoribus, cavendum est diligenter, ut qui ad colligendum ex alienis regionibus venisse sciuntur, a rectoribus nec ad missam celebrandam nec ad collectam ulla ratione faciendam admittantur, nisi ab episcopis, in quorum dioecesibus eleemosynas petere volunt, veniam debito modo obtinuerint (295).

Inter utramque collectarum speciem media ferme interjacet ea colligendi ratio, quae in variis festivitatibus profanis in favorem piarum causarum celebrandis consistit, cujusmodi esse solent quae vocantur Picnics, Excursions, Fairs. Quae de iis salubriter a synodo sunt statuta, in brevem hanc summam conferri possunt. Quum ex ejusmodi festivitatibus gravis identidem oriantur abusus, ita in posterum sunt per ipsos rectores ordinandae, ut nullo modo ansam peccati praebeant. Ideo decretum, „ut hujus modi conventus (Picnics, Excursions) nunquam habere liceat nocturno tempore, neque dominicis, festis aut esuarialibus diebus, neque cum usu liquorum, ut ajunt, inebriantium, vino et cerevisia inclusis. Insuper, ut haberi possint, requiritur in singulis casibus episcopi licentia. Item statutum de nundinis, vulgo Fairs, ut haberi nequeant diebus dominicis, neque sine episcopi licentia, nec cum usu liquorum inebriantium, vini et cerevisiae. Mandatum denique, ut sacerdotes illum abusum, quo convivia parantur cum choreis (Balls) ad opera pia promovenda omnino tollendum curent".

Prudenter addit synodus dioecesana leavenworthensis n. 167: „Mandamus, ut sacerdotes nostri hoc decretum gregibus ipsis concreditis opportune inculcent, curentque, ut effectum sortiatur".

Titulus X.

De judiciis ecclesiasticis.

Ventum tandem, auxiliato D. O. M., est ad ultimam juris canonici partem, quae de judiciis ecclesiasticis agit, atque in corpore juris sacri, praeter alteram sectionem decreti Gratiani, integrum librum secundum decretalium complectitur[1]).

Vix reperiri alia materia canonica poterit, quae diligentius ac fusius sit in corpore juris glossato exposita et ad vitae usus accommodata. Initium fit ab interpretatione tituli, h. e., a quaestione de nomine, in eaque tractanda semel atque iterum in omnes judicii rationes excurritur, in etymologiam, in homonymiam, in synonymiam, in definitionem, in varietatem, inque caeteros articulos hisce connexos.

Ipsam rubricam „de judiciis ecclesiasticis" interpretaturi, methodum authentico illo loco traditam et nos servamus, praecipua disputationis capita ex ordine prosecuti, strictim tamen ac breviter, quemadmodum a nostrae scriptionis ratione postulatur.

Secundum decretales „judicium vocatur quasi jurisdictio"[2]): quod nomen duplici modo explicari potest; si enim deducatur a verbo „dicere", generatim sumitur pro ipso actu juris dicundi; si vero ad finitimum verbum „dicare" referatur[3]), speciatim accipitur pro eo actu, quo jus suum cuique asseritur; verbum dico, dicas

---

[1]) Recolesis quae de ordine corporis juris canonici in priori parte dicta sunt pp. 235 et 244.

[2]) C. Forus 10. X. de verb. signific. — Animadvertunt interpretes, loco verbi abstracti „jurisdictio" invectam a Cassiodoro fuisse vocem „juridicium", dum *Var.* 9, scribit: „judicium quasi juridicium cognoscite vocitatum."

[3]) Quemadmodum veteres „dicare" et „dicere" identidem pro eodem usurpabant, ita et recentioribus grammaticis origine unum idemque verbum fuisse videtur collatis: abdicare et abdicere, indicare et indicere, etc.

quippe, gr. δικαίω, δικάζω, significat unicuique, quod ei debetur, tribuo, trado.

Et quoniam eadem decretali teste, propria judicii ratio in eo consistit, ut „causa proposita discutiatur", gl. rem potius quam etymon nominis spectando simpliciter tradit, „judicium a juris discussione seu dispositone dici"[1]).

Multiplicem ac variam judicii homonymiam glossa iterum ac saepius effert[2]). Aliis ejus acceptionibus omissis, in re forensi praecipue sumitur:

1. pro personis a principe vocatis ad justitiam administrandam, h. e., pro ipso magistratu, pro curia, cui facultas est ac potestas jurisdicundi (quo sensu v. g. tribunal matrimoniale dicitur judicium ecclesiasticum matrimoniale);

2. pro ipsa auctoritate seu potestate justitiam ministrandi, h. e., pro jurisdictione proprie dicta (quo facit c. decernimus 2. X. de judiciis: „Praelati de negotiis ecclesiasticis laicorum judicio nihil disponant");

3. pro sententia judicis (huc pertinent c. Personas 4. et consuluit 14. X. de appellat.: „judicio tuo stare et parere");

4. pro actione in judicio mota (ut c. Ex literis 3. X. de probat.: „actio finium regundorum")

6. pro loco judicii (in judicium vocare, passim);

7. pro legitima discussione causae judicialis: quae significatio primas sibi hoc titulo assumit. Et hac acceptione judicium in gl. definitur „actus legitimus trium personarum, judicis, actoris et rei super eadem quaestione contracta sub eodem judice"[3]); quam descriptio-

---

[1]) Ad tit. de judiciis. — Extrav. com.

[2]) Ad reg. juris 12 in 6, et ad tit. de judiciis Extrav. com. „quindecim significationes vocis judicii" his versibus comprehendit:

Actio, lis, auctor, forus, arbiter, ultima velle,
Quaestio, discret. sent., instant., discussio, posse,
Pernicies, poenae, processus judicialis.

Quae vocabula ibidem explicata quaeras.

[3]) Ad tit. de judiciis. — Extrav. com. cit.

nem doctores communiter sic explicant, ut judicium sit „legitima causae, actorem inter et reum controversae, per judicem facta disceptatio ac definitio“.

Dicitur „legitima“ disceptatio, quod in ea instituenda servari per omnia debeat juris ordo ac forma a legibus praescripta.

„Causa“ est negotium sive articulus, de quo lis et controversia movetur.

In omni judicio requiruntur „actor“ et „reus“, petens et respondens, affirmans et negans[1]. Res autem, quae ab actore petitur, proprie „controversa“ fit per litis contestationem, h. e., per negationem rei conventi, ex praescripto legis coram judice factam.

„Disceptatio“, h. e., exquisita causae cognitio, sive forensis negotii discussio cum pronuntiatione sententiae non ad partes litigantes eorumve advocatos, sed ad judicem pertinet; partes contendentes quippe jus dici sibique tribui cupiunt et patiuntur.

Judicii synonyma identidem juxta subjectam materiam esse deprehenduntur lis, quaestio, causa; quamvis ista vocabula alias ab invicem distinguantur secundum ea, quae in citata decretali „Forus“ docentur. Inter synonyma tandem venit „processus non sine strepitu ac figura judicii confectus“, quemadmodum patet ex c. Saepe contingit 2. de verb. signif. Clem, jcta. gl.

Judicii varietatem quod spectat, judicia non incongrue dividi juxta quatuor causarum genera possunt; ac primo quidem ratione „causae efficientis,“ seu personarum judicantium, aliud est judicium saeculare, aliud ecclesiasticum idque temporale vel spirituale; aliud ordinarium, aliud delegatum sive extraordinarium; deinde ratione „causae finalis“ aliud est civile, in quo princi-

---

[1]) In judicio criminali actoris (accusatoris) vicem aliquando sustinet vel criminis notorietas, vel „clamosa insinuatio“ seu „infamia“ (c. Inquisitionis 21. X. de accusation.); judex quippe „frequenti clamore sinistra sibi de aliquibus insinuante, descendere debet ac videre, si clamorem opere complevissent“. Cfr. etiam c. Quum dilecti 18. eod. tit.

paliter privatum actoris commodum intenditur, aliud criminale, in quo de crimine criminaliter agitur, h. e., ut per poenam reo inflictam securitati reipublicae consulatur[1]);

Tertio considerata „causa materiali" distinguitur in judicium spirituale et temporale, in reale et personale, in petitorium et possessorium[2]), in judicium simplex et duplex, in judicium stricti juris et bonae fidei[3]);

Quarto tandem ratione „causae formalis" dividitur judicium in plenarium sive solemne et summarium, in quo „de plano ac simpliciter" proceditur: ut habet clementina „Saepe contingit" citata.

Quoniam concilium plenarium non tantum de una alterave specie judiciorum decreta erat conditurum, idcirco summos legislatores decretalium imitatur, rubrica tituli in plurali „de judiciis ecclesiasticis" inscripta; nullo scilicet judiciorum genere, quod fori esset ecclesiastici, a suis legibus excluso. — Haec de rubrica praesentis tituli.

Caput I.

De curiis episcopalibus constituendis.

Curiae dictae sunt a cura, quae ad publicam utilitatem pertinet.

Curia autem generatim duplici ratione sumitur; alias enim significat certos hominum ordines sive ma-

---

[1]) De ratione poenae in judicio criminali inflictae relegantur quae supra diximus pp. 37—38. — Caeterum de uno eodemque crimine saepe utrumque judicium instituitur, civile in commodum actoris, criminale in vindictam publicam.

[2]) In judicio petitorio litigatur de proprietate rei vel juris, in possessorio de sola rei vel juris possessione. De utroque hoc judicio est tit. 12. lib. 2. de causa possessionis et proprietatis.

[3]) In judicio „bonae fidei" judex liberam potestatem habet aestimandi ex aequo et bono, quantum actori restitui debeat, v. g. propter calamitates incendii aut grandinis (germ. Abschätzung des Brand- und Feuerschadens).

gistratus, per quos publica salus curatur[1]); alias locum, in quo magistratus consilia habent, atque in primis sedem amplissimi senatus romani denotat, quod eo quisque senator suam curam de republica conferret.

In re forensi curia ad exercitium jurisdictionis contentiosae restringitur, sicque accepta vel personas denotat, quibus administratio justitiae est commissa, vel forum seu „locum exercendarum litium“[2]), in quo causae judiciales discutiuntur et justitia administratur[3]).

Quod ut rite intelligatur sedulo animadvertendum est, aliam esse jurisdictionem, quae contentiosa, aliam quae voluntaria appelletur.

Jurisdictio „contentiosa“ (germ. die streitige Gerichtsbarkeit) a contentione partium in foro litigantium nomen habet atque in contendentes et invitos a judice pro tribunali sedente exercetur, v. g. in jus vocando, examinando, puniendo. Et res ipsae, de quibus contendi seu litigari in judicio potest, contentiosae, processuales (germ. streitige, Process-Sachen) vocari solent[4]).

---

[1]) Quoniam qui circa principem sunt officiales palatini, magnates, administri, rempublicam sub principe administrant, ideo ipse comitatus principis „curia“ vocatur. Et hoc sensu „curiae romanae“ denominatione venit tota illa congregationum, tribunalium et officialium collectio, quibus in regenda universali ecclesia Summus Pontifex utitur. — Comitatus principis etiam „aula“ dicitur, nomine scilicet ab ipsa domo regia assumpto; aula quippe palatium principis vocatur, quod ante se habeat subdialia et ampla loca. In eo tamen aula a curia differt, quod plerumque comites atque administros designet, qui cum principe sunt, ut ei honorem, servitia cunctasque officiales operas praestent, eumque in exercenda jurisdictione voluntaria adjuvent. Ita etiam episcopi aula ab ejus curia distinguitur. — Utrumque comitatum, curiam et aulam, Galli ac Germani uno vocabulo efferunt (la cour, der Hof), Itali vero res distinctas distinctis vocibus appellant, aulam, la corte, et curiam, la curia.

[2]) Ita forum definitur c. Forus cit.

[3]) Significantissima eo in genere est appellatio „curiae saecularis“, cui clericus rite degradatus tradi jubetur c. Novimus 27. X. de verb. signif., ut scilicet laicorum more poenas sustineat, quae sunt ejus crimini a jure civili constitutae.

[4]) Exempla ex causis matrimonialibus plura dedimus supra pp. 182—183.

Jurisdictio „voluntaria" (germ. die freiwillige Gerichtsbarkeit) communiter in volentes exerceri dicitur. Verum id non ita est accipiendum, ac si subditi pro lubitu eam sibi accommodari a judice petant; voluntaria quippe dicitur ab ipsis actibus, qui non imperantur, sed a volentibus et consentientibus peraguntur, cujusmodi, praeter alios, sunt ordinatio clericorum; benedictio et consecratio ecclesiarum; collatio privilegiorum et beneficiorum; dispensatio in lege ecclesiastica, in votis, in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii; absolutio a censuris: quae omnia a legitimo superiore sine ulla processus forma expediri solent via, ut ajunt, administrativa; qua de causa etiam „res administrativae" nominantur.

Sic igitur in re forensi curia est magistratus, qui causas contentiosas in judicio legitime tractat ac lata sententia finit.

Synonyma curiae stricte sumptae in antiquo jure occurunt: tribunal, auditorium, audientia, judicium, consistorium, rota[1]); in novo autem, pluribus in locis saltem, officialatus: per quem jurisdictio contentiosa exercetur[2]).

Quae breves praenotiones si ob oculos habeantur, perspicua atque aperta deprehenduntur esse, quae decreta hoc capite sunt „de curiis episcopalibus in singulis dioecesibus quam primum[3]) constituendis", in quibus nominatim res disciplinares clericorum et causae matrimoniales servato juris ordine tractentur.

Quod autem concilium plenarium de „omnibus" causis matrimonialibus in tribunali ecclesiastico discu-

---

[1]) Nomen „rota" ipsum est germanicum vocabulum „Rath", a Longobardis et Francis Italiae illatum; et qui Italis. consiliarii rotae sunt, a nostratibus Gerichts-raethe dicuntur.

[2]) Cfr. Benedict. PP. XIV. *de synodo dioeces.*, l. 3, c. 3; et Bouix *De judiciis eccles.* t. 1, pp. 384—387.

[3]) H. e. „saltem ultra triennium post concilii promulgationem haec curiarum constitutio non differatur sine congr. de prop. fide dispensatione obtinenda pro dioecesibus, in quibus intra hoc tempus id fieri nequeat". Ita conc. plen.

tiendis statuit n. 299, id de solis causis contentiosis intelligendum esse, superius dicta suadent; quae enim ad voluntariam jurisdictionem pertinent, episcopo reservatae sunt vel per se ipsum vel per vicarium generalem finiendae. Sic in „Instructione pro judiciis ecclesiasticis imperii austriaci in causis matrimonialibus anni 1855“, a patribus baltimorensibus jure merito laudata ac commendata n. 304, inter alias, hae causae episcopo ipsi reservatae leguntur: querela seu gravamen nupturientium contra parochum, quod is ideo matrimonio assistere abnuat, quod necessariae literae testimoniales (status liberi, factarum proclamationum etc.) desiderentur (§. 70); licentia copulationem eorum peragendi, qui nec verum nec quasi-domicilium habent (§. 73, jcto. conc. trident. sess. 24, de matr., c. 7.); licentia matrimonii in exteris terris initi libro copulatorum parochiae in Austria inserendi (§. 78); concessio facultatis matrimonium per procuratorem contrahendi (§. 50); dispensatio ab impedimentis, in quibus episcopi dispensare possunt (§§. 79—80). — Haec et alia ejus generis, quae materiam processus non constituunt, quum tribunalibus seu curiis matrimonialibus non sint ab „Instructione“ nostra attributa, neque in ditionibus foederatis Americae septentrionalis, ubi instructio magnopere est laudata atque authentice commendata, videntur ad tribunalia esse deferenda.

Caput II.

De officialibus curiae episcopalis.

§. 1.

In causis criminalibus clericorum.

Officialis proprie est minister officii seu magistratus; in jure enim officium ipse magistratus dicitur, quia

jus, quod cuique debetur (officium), legitime reddit[1]). Inde usu receptum est, ut officiales generatim vocentur, qui alicui magistratui judi ive praesto sunt ministeriumque vel operas exhibent.

Quoniam hoc loco non agitur de ministris aulae episcopi, sed vero de personis, quae partem aliquam in causis forensibus habent, officiales curiae episcopalis ii sunt dicendi, qui varias personas ad judicium concurrentes ex praescripto legis consilio atque opera juvant, ut finis, judicio praestitutus, rite ac plene obtineatur[2]).

Ad omne judicium tres personas requiri diximus, judicem, actorem, reum.

Omnibus tribus ministerium atque adjutorium praebent notarii et apparitores.

Judicem auxilio juvant assessores sive consiliarii, auditores, referendarii.

Utriusque partis contendentis causam agunt procuratores, legitimo ad agendum vel ad respondendum mandato instructi.

In movenda instituendaque actione socius veluti actoris consiliorum et adjutor est procurator fiscalis.

Reo tandem patrocinium praestat advocatus, isque vel libere assumptus vel legitime assignatus. — De singulis breviter dicemus.

Gravissimum disciplinae caput „de notariis“ in priori commentarii parte fuse declaravimus pp. 87—94.

Synodus plenaria tres notariorum species distinctis nominibus institui jubet: notarium generalem ipsius curiae, quem „cancellarium“ appellat; notarium processus informativi, qui acta auditoris conscribere debet

---

[1]) Hinc intelliguntur phrases identidem in jure occurrentes: cavere apud officium, deponere apud officium.

[2]) Ad praesens hoc argumentum plenius illustrandum adhiberi utiliter possunt, quae ex fontibus historicis affert Van-Espen, *Juris ecclesiastici universi* parte 3, tit. 6. „de ministris curiae ecclesiasticae“ (t. 2, p. 270, edit. Colon. Agrip. 1777).

indeque, ut ipse auditor, „actorum redactor" nominatur; notarium pro singulis judiciis adscitum, quem promiscue titulo communi „notarium" et nomine proprio, a conscribendis actis judicialibus facto, „actuarium" dicit. Eum glossa ad c. „Saepe contingit" mox afferenda „grapharium" (gall. greffier) vocat.

Notariis judiciariis autem id negotii esse volunt canones, ut „fideliter universa judicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones et caetera, quae occurrerint, competenti ordine conscribenda, loca designando, tempora et personas, . . . ut, si super processu judicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari"[1]). Innocentius PP. III. quippe, „canonica et civilia jura secutus, districtius inhibuit, ne unius judicis, quantaecunque fuisset auctoritatis, verbo crederetur in causis"[2]).

„Apparitores" judici ac partibus contendentibus opem ferunt, quum singuli actus judiciarii sint litigantibus authentice nuntiandi. Ex vocis etymo apparitores sunt ministri, qui apparent magistratui, ad jussa ejus exequenda semper parati. Aliis nominibus vocantur cursores, viatores, nuntii judiciarii, bidelli, huisseri[3]). — Notario autem in scriptis referunt apparitores, se legitime in jus vocasse, aut sententiam a judice prolatam partibus rite denuntiasse, ut habuerunt in commissis, hujusque intimationis factae relatio actorum pars adeo substantialis est, ut sine illa nec citatio facta, nec sententia, nec totus processus in contumaciam valeat. Cfr. Schmalzgrueber, l. 2, tit. 3, n. 25.

---

[1]) Ita c. Quoniam contra 11. X. de probationibus.

[2]) C. Quum a nobis 28. X. de testibus.

[3]) Gallice „huissier", h. e., ostiarius (domus), a germanica radice „Haus", (holland. „huis").

Si apparitores curiae in nonnullis dioecesibus americanis adhuc desint, s. congregatio de propaganda fide permittit, ut „intimationes et notificationes“ alia via, quae fini consequendo sit idonea, expediantur, „dummodo semper in scriptis absolute fiant“. (Instruct. n. 14).

In tribunalibus curiae episcopalis judex est episcopus, sive ipse praesens munia judicis obeat, sive alius quispiam, vicaria potestate ab eo accepta, nomine, vice et loco ipsius de causis ad curiam delatis cognoscat ac judicet. Hinc appellatio a sententia ab ejusmodi judice vicario ad episcopum non permittitur[1]).

Quodsi vero episcopus pro aliqua causa judicem delegatum constitueret, qui non jam potestate vicaria, sed jure delegato judicare deberet, tunc novum atque a curia episcopali distinctum tribunal erigeretur, et contra ejus sententiam appellatio ad episcopum delegantem rite posset emitti[2]).

Qui judici auxiliantur „assessores“ seu consiliarii[3]), in duplici differentia versantur; alii enim integrum collegium judiciarium constituunt ac „judices collectivi“ nominantur[4]); alii vero judici singulari solum juris suggerendi et consilii communicandi causa assident: unde et nomen traxerunt.

Judices omnes, sive collectivi sint sive singulares, possunt sibi assessores assumere, nisi vel contraria consuetudo vel peculiare superioris statutum obstet;

---

[1]) De jure vicario, quo ordinarii judices in tribunalibus episcopalibus et papalibus utuntur, egimus in priori parte pp. 54—57.

[2]) Quod episcopus praescriptam inquisitionem facturus „judicis personam sive per se, sive potestate delegata per alium agere“ jubetur n. 300, id proprie de potestate vicaria, non autem de delegata intelligi debere, adjuncta suadent.

[3]) In praesenti materia verbum „consiliarius“, ejusdem, ut „assessor“, est significationis, teste gl. ad c. Statutum 11. de rescript. in 6.

[4]) Judicia matrimonialia austriaca constant ex judicibus collectivis, qui causas per majorem suffragiorum numerum decidunt.

quia consilio uti est quid per se omnibus hominibus licitum, nec debet censeri vetitum, nisi contrarium fuerit legitime probatum.

Qui ab episcopis americanis, causas judiciales tractaturis, in consilium adhibentur assessores, non sunt judices collectivi, sed meri episcoporum, qui ipsi judicium cum potestate exercent, consiliarii et adjutores, ad mentem sacrorum canonum assumpti[1]).

Judicis et assessorum, in magnis tribunalibus praesertim, auxiliares sunt „auditores" sive referendarii, ab audiendo et referendo appellati; ii enim partes audiunt, earum acta in ordinem redigunt, in merita causae inquirunt, factaque ad curiam relatinone, judicem et assessores instruunt ad ferendam sententiam[2]).

De procuratoribus satis disputatum in priori parte est pp. 72—75. Eos ideo inter officiales curiae memoravimus, quia plerumque ex advocatis illius tribunalis assumuntur, in quo alienas causas sunt acturi[3]).

Procuratores universitatis proprio nomine syndici appellantur l. 1, tit. 39. Qui autem fisci causam agunt, communi vocabulo retento procuratores sive promotores fisci vocantur, maxime, si iis commissum sit officium crimina persequendi. De insolenti nomenclatione haec animadvertas.

---

[1]) Gl. ad c. Statutum cit. tres casus affert, in quibus judex „assessorem sibi associare potest ad causam recte decidendam", si nempe se putet insufficientem ad dubia in causa concurrentia, ut convenit, rimanda et solvenda; si variis aliis officii sui negotiis distineatur; si infirmitate corporis impediatur.

[2]) In laudata instructione austriaca „commissarii", alibi judices „notionales" vocantur, quod iis nuda rei notio sine jurisdictione sit commissa. Galli auditorem et referendarium non incongrue ab officio vocant „juge rapporteur".

[3]) Qui ex advocatorum collegio constitutus est procurator, gallice appellatur „avocat avoué": nomine scilicet formato ab obsoleto verbo „avoher" (avoyer), quod in corpore juris nostri occurrit c. Hoc consultissimo 2. de rebus eccles. non alienandis in 6.

Fiscum ss. Augustinus[1]) et Isidorus[2]) interpretantur „saccum publicum", h. e., publicum civitatis aerarium, in quo nimirum quae publice redit pecunia reponitur. Nomen est tractum ab eo, quod fiscis (fiscinis, fiscellis) seu cophinis et sportellis sporteis antiquitus pecuniae conditae asservabantur[3]).

In utroque jure speciatim accipitur fiscus pro universitate rerum, pecuniarum et jurium ad rempublicam spectantium; estque veluti patrimonium reipublicae, res omnes et jura ad peculiare ejus commodum pertinentia comprehendens, utilitatibus et necessitatibus publicis inserviens[4]). Universitatem constituit, indeque persona juridica est, dominii caeterorumque jurium, quae legitimae universitati competunt, particeps ac consors[5]).

Quum autem universitas seu persona juridica naturaliter pro se agere ac semetipsam defendere non possit, necessario etiam constituendus est procurator, qui pro fisco in judicio experiatur, sive sub persona actoris persequendo quae reipublicae sunt, sive sub persona rei injustas actiones fisco intentatas repellendo.

Sic igitur qui juris necessitate sunt constituti ad negotia fisci gerenda, procuratores seu promotores fiscales vocantur.

Ex mente juris romani olim erant ex ordine immatriculatorum advocatorum ad tempus assumpti[6]). Quod postea ad dignitatem magistratus perpetui atque ordinarii sint evecti, id moribus institutisque regni Galliarum referunt acceptum; ibi enim saeculo 14 ferme

---

[1]) Enarrat. in psalm. 146, n. 17; apud Migne, Patr. l. 37, p. 1911.

[2]) Etymolog. l. 20, c. 9, apud Migne, Patr. l., t. 82, p. 719.

[3]) Fiscus proprie est vas vimineum junceumve, in quo, praeter alias res, pecunia, praesertim majoris summae, reponebatur.

[4]) Cfr. Leuren. *Forum ecclesiasticum,* t. 3, quaest. 460.

[5]) Huc inter alia refertur, quod ex s. Augustino in corpus juris canonici transiit: „Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus" (c. Majores nostri 8 C. 16, q. 7). Cfr. etiam, quod ejusdem s. Augustini est, c. Nimium 37 C. 23, q. 4, ubi res schismaticorum „fisco vendicari" jubentur.

[6]) L. Potes 2. de advocatis fisci (Codicis lib. 2, tit. 9).

exeunte tanquam proprii magistratus publici leguntur constituti[1]) indeque, ut tales, ad alias nationes paulatim sunt propagati.

Officium fiscale in lege gallica solemni titulo „ministerii publici“ (le ministère public) ornatur, eoque nunc spectat, ut judicem criminalem in administranda justitia ex parte et nomine reipublicae juvet, de delictis scilicet inquirendo, et ut reprimantur vel puniantur in curia criminali promovendo ac persequendo: quo sensu plerumque in recentiorem legislationem ecclesiasticam transiit, quum antiquo juri decretalium fuisset incognitum.

Ecclesiae quippe suus quoque est fiscus, res nimirum ac jura complectens, quae ad publicum ejus bonum pertinent[2]). Imo „potiorem ecclesia habet thesaurum, quo sacratius est dives“[3]), rectam fidem et sanctos mores. Quapropter eidem merito proprius datur patronus, qui tanquam procurator, ubicunque fuerit opus, pro ejus tuitione interveniat, ac nominatim de iis, qui scelere admisso ordinem socialem perturbarunt, inquirendo et crimina eorum judici deferendo, justitiae rite administrandae vi officii sui cooperetur. Qui publicum hoc officium sustinet, etiam in curia episcopali procurator seu „promotor fiscalis“ jure novo appellatur.

Usu jam fere ubique receptum est, ut sit clericus, et quantum fieri potest, in jure doctus et peritus.

Procurator fiscalis curiae episcopalis stricte loquendo judicium criminale non exercet; non enim ipse

---

[1]) Ea de re videri possunt auctores, qui magno numero de officionibus „procuratoris status“ scripserunt, in nostris vocabulariis juris (Staatslexicon) passim relati sub v. Staatsanwaltschaft.

[2]) S. Augustinus jam pecuniam ecclesiae ex fidelium oblationibus collectam et in loculis seu marsupio (ἐν τῷ γλωσσοκόμῳ Joan. 12, 6, et 13, 29) depositam „fiscum reipublicae Domini“ appellat in enarrat. in psalm. 146, l. c. — Ex mente juris autem singulae acclesiae, ut personae juridicae consideratae, proprium suum fiscum habent. Cfr. gl. ad c. Quia diversitatem 5. X. de concess. praeb. v. Praeter.

[3]) Breviar. roman. ad d. 10. augusti.

actor proprie dictus est; sed necessarius actoris adjutor ejusque consiliorum socius; „clamosa quippe, quae de perpetrato crimine praecessit, insinuatio seu infamia“ [1]), veras actoris vices sustinet. Saluti publicae consulturus, procurator fiscalis clamosae illi insinuationi opera et studio adest, ac crimen „praecedentibus clamoribus“ vulgatum judiciali denuntiatione vi muneris sui ad episcopum defert. Denuntiatione rite peracta, episcopus judicialiter procedit et inquisitionem vel ipse per se conficit vel per alium, jure vicario, confici jubet. Omnibus actibus judiciariis, quae fiunt contra reum, praesens adesse debet fiscalis, solerti curae intentus „ut justitiae et legi satisfiat“ [2]).

Synodus plenaria personis ad processum criminalem concurrentibus ultimo loco accenset „defensorem“, qui reo, quacunque possit ratione, consilio et re patrocinium praestet.

Duplex distinguitur defensorum classis; alii enim sunt, qui suam et alienam causam in judicio perorant; alii contra litigantibus opem ferunt. Qui propria et aliena vota apud judicem explicant, postulatores [3]), qui aliena tantum, stricto sensu advocati appellantur, quasi ab aliis (litigantibus) in auxilium advocati, ut fori morem doceant, jura suggerant, merita causae discutiant, argumenta adversae partis diluant, et in cunctis actibus succurrant.

Advocati alii sunt publici, qui in causis publicis et fiscalibus operam suam impendunt [4]); alii privati, qui in causis privatorum litigantibus opem ferunt.

---

[1]) C. Inquisitionis 21. X. de accusationibus.

[2]) Ita ad mentem juris romani instructio nostra munus promotoris fiscalis describit n. 13.

[3]) De iis est titulus de postulando (I, 37).

[4]) Ex ordine advocatorum publicorum in curiis ecclesiasticis celebres sunt, praeter ipsum fiscalem, defensor matrimonii et defensor professionum religiosarum.

Alii item sunt ordinarii, qui et jurati et immatriculati vocantur; alii extraordinarii sive supernumerarii. Advocati ordinarii publica auctoritate sunt ad perorandas causas admissi atque in advocatorum album relati; extraordinarii vero ad advocatorum collegium seu cameram non pertinent, sed extra ordinem litigantibus assistunt.

Tandem distinguuntur in voluntarios et necessarios, prout vel a litigantibus rogati sponte auxilium suum pollicentur, vel auctoritate judicis jubentur clientis causam suscipere.

Advocati ordinarii tribunalium ecclesiasticorum ab episcopo in advocatorum numerum adlegi ipsiusque auctoritate ad causas perorandas destinari debent.

Ad postulandum coram judice ecclesiastico, etiam in causis spiritualibus, ex jure communi, destinari ab episcopo omnes illi catholici homines laici possunt, qui alias sunt a publica auctoritate magistratus saecularis in album advocatorum relati, quum eos ipsum, quo jam funguntur, officium patrocinio causis praestando idoneos declaret[1]). De munere postulandi personis ecclesiasticis ex jure communi sive permisso sive interdicto superius egimus pp. 139—140.

De advocatis igitur patres baltimorenses praecipue haec statuunt:

ut in processu criminali clericorum semper ex coetu ecclesiastico assumantur, secundum speciale privilegium episcopis americanis a s. congregatione de propaganda fide concessum[2]);

---

[1]) Id expresse statutum reperitur in particularibus instructionibus curiarum episcopalium in Austria. Sic, ut unum exemplum afferamus, instructio pragensis habet: „Zur Partheienvertretung vor diesem geistlichen Ehegerichte I. und II. Instanz werden alle katholischen beeideten Landesadvokaten im Königreich Böhmen befugt sein".

[2]) Juxta instructionem in appendice concilii exhibitam p. 290, etiam sacerdos reo praesentiam suam accommodare potest, advocationem in defendenda causa praebiturus (n. 30).

ut reis defensore voluntario destitutis advocatus necessarius ab episcopo constituatur;

ut advocatus die statuto in curia (vel solus vel cum reo) bene praeparatus compareat;

ut advocatus ad jusjurandum de secreto servando teneatur, quando judex indolem causae id postulare censuerit.

Ex quibus vides, novum advocationis jus pro judiciis criminalibus clericorum in americanis curiis ecclesiasticis exercendis fuisse conditum, quod scilicet duplici ratione a communi ecclesiae lege discrepet: defectu quidem, dum hominibus laicis hujus muneris explicandi facultatem negat; excessu vero, dum sacerdotes quoque ad praestandam advocati operam admittit.

§. 2.

In causis matrimonialibus.

Officiales judicii matrimonialis tres enumerat concilium, auditorem, notarium, defensorem matrimonii.

Auditor, potestate sibi facta, loco et nomine episcopi, jure vicario, „quae in toto processu agenda sunt, moderatur". Est veluti „judex pedaneus", *χαμαιδικαστής*, h. e., inferioris subsellii, qui ad pedes tribunalis magistratus ordinarii assidens ex ejus deputatione causas sibi commissas cognoscit cognitasque intra mandati terminos finit. Auditori quandoque singularis aliquis articulus causae cognoscendus committitur[1]), quandoque totius controversiae decisio et executio relinquitur[2]). Regula generalis est, eum, nisi ipsi expresse fuerit definitio causae commissa, de notione sibi demandata illi magistratui referre debere, pro quo causas cognoscit[3]).

---

[1]) C. Super quaestionum 27. X. de offic. et pot. jud. delegati.

[2]) C. Auditor 3. de rescript. Clem.

[3]) Quum teste glossa ad c. Super quaestionum cit. „auditor potius habere dicatur notionem quam cognitionem et jurisdictionem", saepe „judex notionalis" vocatur.

Ea ratione commissarii in citatata instructione austriaca ad audiendas causas deputati de controversia non decernunt, sed notione sua ipsum tribunal matrimoniale ad ferendam sententiam instruunt: exhibitis, quae per notarium rite perscripta esse debent, authenticis gesti muneris actis.

Defensor matrimonii est advocatus publicus, qui in omnibus controversiis, in quibus de firmitate vel nullitate matrimonii disceptari contingit, esse debet, sive uterque conjux sive alter tantum solutionem vinculi postulet, eoque citato gerenda sunt omnia, ut judicium valeat; ejusque est provocare ad judicem superiorem, si sententia contra vim matrimonii lata sit[1]).

Quod generatim dictum est de advocatione a laicis hominibus in tribunalibus ecclesiasticis suscipienda, id nominatim de judicio matrimoniali valere adducto exemplo ostensum jam est; ex lege communi quippe nihil impedit, quominus partes litigantes coram judice ecclesiastico amicos laicos consilii vel patrocinii causa advocent; immo ipse auditor in audienda et cognoscenda causa assessorem laicum, doctum ac peritum, in auxilium assumere potest, dummodo episcopus consiliariorum electionem sibi non reservaverit; licet enim laici in causis spiritualibus et ecclesiasticis judices constitui nequeant, possunt tamen et consiliarii ecclesiastici[2]) et (de consensu superioris) una cum clerico arbitri esse[3]).

Ordinem formamque judiciorum matrimonialium non constituunt patres, sed eas solemnitates adhiberi volunt, quae jam constitutae sunt sive in constitutione Benedicti PP. XIV. sive in propria instructione s. congrega-

---

[1]) De defensore matrimonii agit constitutio Benedicti PP. XIV. „Dei miseratione", ob ipso concilio plenario adducta.

[2]) Ejusmodi laicus „consiliarius judicii matrimonialis" (Ehegerichtsrath) suo tempore erat Pragae canonista J. Fr. Schulte, qui ad usum ipsius tribunalis edidit *„Darstellung des Processes vor den katholischen geistlichen Ehegerichten Oesterreichs.* Wien. Braumüller. 1858.

[3]) C. Per tuas literas 9. X. de arbitris.

tionis de propaganda fide, relata in appendice pp. 262—278.

Nec praetermittendam putant, instructionem austriacam semel atque iterum separatim commendare, quod ea „gravibus theologis et canonistis romanis, licet solo privato suo judicio, probata sit[1]).

Non est cur istis instructionibus quidpiam interpretationis gratia addamus, quum quae ibidem proponitur judicii methodus, apta omnino et concinna sit et ad canonicas regulas processus summarii, qui in causis matrimonialibus „observari valet“[2]), quantum per adjuncta fieri licuit, exacta.

Aliquid gratiae tamen apud lectorem in re forensi adhuc tironem nos inituros esse confidimus, si ipsam illam legem pontificiam, a qua summarii judicii methodus processit, brevibus quibusdam animadversionibus glossarum ritu adscriptis, e corpore juris sacri hoc loco exhibeamus.

Constitutio clementina de methodo summarii judicii.

„Saepe contingit, quod causas committimus, et in earum aliquibus simpliciter[3]) et de plano[4]) ac sine

---

[1]) Extat in coll. lacen. concil. pp. 1286—1316.

[2]) „Dispendiosam prorogationem litium (quam interdum ex subtili ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire) restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus, ut in causis . . . super matrimoniis . . . et eas quoquo modo tangentibus ventilandis procedi valeat simpliciter et de plano ac sine strepitu judicii et figura: volentes non solum ad futura negotia, sed ad praesentia et adhuc etiam per appellationem pendentia hoc extendi“. Ita c. Dispendiosam 2. de judiciis. Clem.

[3]) Ut alias saepe, ita et hoc loco simplex opponitur solemni, seu illi, quod certis formulis a lege praescriptis est conclusum; inde dicimus, simpliciter aliquid fieri ad differentiam ejus, quod fit solemniter, h. e., servatis omnibus legum institutis. — Gl. ad h. l. allusione adhibita judicium „simpliciter“ exercitum interpretatur „sine plica“ factum, h. e., non complicatum multiplici et operosa illa solemnitatum ac formularum copia, quae in processu ordinario observari debent.

[4]) Planus locus opponitur edito. Unde apud juris consultos de plano vel e plano cognoscere, est non pro tribunali (quod editioris est

strepitu[1]) et figura judicii[2]) procedi mandamus: de quorum significatione verborum a multis contenditur, et qualiter procedi debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem hujusmodi (quantum nobis est possibile) decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut judex, cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat[3]), litis contestationem non postulet[4]), in tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure[5]) procedere valeat[6]), amputet[7]) dilationum materiam, litem quanto

---

loci) cognoscere; et planaria cognitio est, quae planitie pavimenti suscipitur citra tribunalis ascensum. Sed animadvertendum est, romanis non idem fuisse „de plano" et „summarie" cognoscere; multa enim fuerunt, quae summatim, sed tamen pro tribunali expedire oportebat; qua de re videatur Devoti, *Instit. can.* l. 3, tit. 14, §. 4.

[1]) In c. Statuta 20. de haereticis in 6. additur „advocatorum", alibi etiam subjungitur „testium". Unde patet strepitum translate sumi tum pro turba comitantium ac pedibus aut alio quocunque modo sonum facientium, tum pro vano apparatu eloquentiae, quem advocati non raro adhibent ad fallendum auditorem.

[2]) „Figura, inquit gl. ad h. l., cujusque rei est ipsius apparens forma vel species". Hinc figura judicii est exterior ordo judicialis a lege praescriptus. „Sublata igitur figura, judex non adstringitur ad aliquas formas, rimulas, figuras judiciorum, nisi quantum hic exprimitur, expressaque plus respiciunt figuram facti, negotii, causae, quam judicii", scilicet necessaria ad veritatem noscendam.

[3]) „Sufficit, ut actor faciat demandam seu petitionem suam verbo, et quod grapharius illam redigat apud acta curiae. Sponte vero libellus offerri posset et recipi". Ita gl. ad h. l. — Haec regula transiit in instructionem romanam §. 4.

[4]) Antiquiori jure vetitum erat, in causa matrimoniali procedere lite non contestata: quemadmodum eruitur ex c. Ad haec 1. X. Ut lite non contestata.

[5]) „In feriis rusticis, sicut est tempus vindemiarum et messis. A contrario in feriis introductis in honorem Dei et sanctorum procedere non potest talis judex". Ita gl. ad h. l.

[6]) Quamvis ejusmodi feriis procedi „valet", tamen „honestum non puto, ait gl., quod si judex sic datus viderit, graviter laedi partem ex processu tali tempore fiendo, procedat; habet enim judex providere utilitati causae et partium".

[7]) „Istud et quae sequuntur (usque ad verb. non sic tamen) non videntur in his causis specialia, quum in omni causa judex laborare debeat ad lites breviandas, dilationum materias amputandas; et alia quae

poterit faciat breviorem[1]), exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo[2]), partium advocatorum et procuratorum contentiones et jurgia, testiumque superfluam multitudinem refraenando. Non sic tamen judex litem abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur. Citationem[3]) vero ac praestationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda[4]), ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi. Verum, quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet[5]), pro parte agentis et etiam rei, si quid petere voluerit[6]), est in ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis, sive verbo, actis tamen continuo (ut super

---

sequuntur jura sunt vulgaria. Sed dici potest speciale, quod in his fortius et amplius quam in aliis judex hoc poterit per hanc literam". Ita gl. ad v. amputet.

1) „Sine partium praejudicio". Ita gl. ad v. poterit.

2) „Hoc intendit litera, quod omnis exceptio vel appellatio frustratoria et ad differendum judicis processum malitiose opposita repellatur". Ita gl. ad v. dilatorias.

3) Citatio rei et necessarii veritatis exquirendae modi, in probationibus et defensionibus positi, ex jure naturae procedunt; vetat enim naturalis juris ratio, damnari aliquem, qui auditus ac defensus non sit.

4) Juramentum de calumnia est generale illud sacramentum, quo uterque litigantium, in exordio litis, solemniter emisso confirmat, se bona fide, et non calumniandi, h. e., vexandi animo in judicio contendere: sese nimirum bona sui juris opinione acturos, nihil admissuros judicii corrumpendi causa, nullam allaturos probationem aut fallacem aut non necessariam, neque operam daturos, ut judicium calumniose differatur. — Juramentum de malitia est speciale illud sacramentum, quod toties locum habet, quoties pendente lite malitiae suspicio adest, etiamsi generale juramentum calumniae in primordio litis super universa causa a litigantibus fuerit emissum. — „Juramentum veritatis, inquit gl. ad tit. de juramento calumniae in 6 (II, 4), dicitur de veritate, quia olim dicebat judex: Juras respondere veritatem, dum eris interrogatus". — Jure canonico juramentum calumniae per judicem exigi, necessitatis non est. Inde factum videtur, ut ejus mentio neque in instructione romana, neque in austriaca occurrat; juramenti de veritate dicenda necessitas autem in utraque imponitur; verum a reo principali criminaliter examinato non exigitur. Cfr. Bouix, *de judiciis*, t. 2, pp. 199—200.

5) Ad officium mercenarium judicis pertinet, „ut ultra petita non cognoscat".

6) Per mutuam petitionem, reconveniendo actorem.

quibus positiones et articuli formari debeant[1]), possit haberi plenior certitudo et ut fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones et articulos ad clariorem probationem usus longaevus in causis admisit, nos usum hujusmodi observari volentes, statuimus, ut judex sic deputatus a nobis (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque[2]) terminum dare possit, et ad exhibendum omnia acta et munimenta, quibus partes uti volunt in causa post dationem articulorum, diem certam, quandocumque sibi videbitur, valeat assignare: eo salvo, quod ubi remissionem fieri contingeret, pro testibus producendis possint etiam instrumenta produci[4]), assignatione hujusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes sive ad earum instantiam, sive ex officio, ubicunque hoc aequitas suadebit. Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) in scriptis et (prout magis sibi placuerit) stans vel sedens proferat[5]), etiam (si ei

---

[1]) Articulus est quasi membrum alicujus facti seu casus diminutissimum, videlicet, quum singulae orationis vel libelli sententiae intervallis quibusdam distinguuntur. Positio autem est alicujus particularis dicti vel facti ad causam pertinentis assertio, ut ab altera parte ad ipsam respondeatur. Definiri potest brevis verborum formula, mentem proponentis continens, ad veritatem eliciendam concepta. — Articulorum et positionum usus est, ut his breviter et distincte prolatis ab actore, respondeat eodem quoque modo reus ad singula: quod „si reus interrogatus, jussusque a judice respondere recuset aut nolit, habetur super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus existit, pro confesso“ vi c. Si post. 2. de confessis in 6.

[2]) Scilicet positiones et articulos.

[3]) Regula generalis est, infra certum tempus, a judice determinandum, omnia munimenta causae, quibus partes sunt usurae, esse tribunali exhibenda, „ne causarum terminatio malitiose prorogetur“.

[4]) „Non semper in dilatione data ad producenda instrumenta licet producere testes“. Ita gl. ad v. producenda.

[5]) Utrique judicio, ordinario et sumario, ex universali ecclesiae lege commune est, ut sententia in scripto feratur et ab ipso judice recitetur, et vero praesentibus aut saltem eam in rem vocatis litigantibus; ordinario autem proprium est, ut a judice pro tribunali sedente proferatur.

videbitur) conclusione non facta[1]), prout ex petitione et probatione et aliis actitatis in causa fuerit faciendum[2]). Quae omnia etiam in illis casibus, in quibus per aliam constitutionem nostram[3]) vel alias procedi potest simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii, volumus observari. Si tamen in praemissis casibus solemnis ordo judiciarius in toto vel in parte non contradicentibus partibus observetur, non erit processus propter hoc irritus nec etiam irritandus. Data Avenione XIII. kal. decemb., pontificatus nostri anno secundo". (C. Saepe contingit 2 de verb. signific.)

Caput III.

De modo procendendi in causis criminalibus clericorum.

De argumento tertii hujus capitis duo extant egregii commentarii, in quibus cuncta fere habes, quae ad praesens concilii decretum illustrandum pertinent.

Alter est clarissimi S. B. Smith, sub hac inscriptione vulgatus „*The New Procedure in criminal and disciplinary causes of ecclesiastics in the United States*"; alter editus est a doctissimis viris Droste et Messmer praefixo titulo „*Canonical Procedure in disciplinary and criminal cases of clerics*".

D. Smith ordinem instructionis romanae secutus, ad singulos ejus numeros plura sapienter animadvertit, quae in novae legis interpretatione atque usu forensi scitu sunt utiliora.

---

1) „In ecclesiasticis judiciis" conclusio in causa fit per partes; item ipsis vel altera ipsarum invita, ex quo sufficientes dilationes datae essent et elopsae, pronuntiaret „judex conclusum in causa". Ita gl. ad v. conclusione.

2) Utrique judicio similiter commune est, ut sententia debeat esse cum jure consentiens, actisque et probatis congruens. Judex enim, verba sunt s. Thomae Aq. II—2. quaest. 67, art. 2, non secundum id, quod ipse novit tanquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam persona publica", h. e., secundum acta et probata, judicare debet.

3) C. Dispendiosam cit.

DD. Droste et Messmer methodo systematica, quam vocant, integrum processum criminalem complexi, accuratam habent et simplicem unoque in conspectu positam rerum divisionem, ac totum argumentum diligenter ac solide tractant, descriptis etiam aliis auctoribus, a quibus praeterea eadem materia illustratur. Est ergo cur nostrum commentarium modicis regionibus circumscribamus, quum qui ad forensem peritiam informari cupiunt, in praedictis libris ad manum habeant, quae ad ecclesiasticam jurisprudentiam plenius addiscendam requiruntur.

§. 1.

De modo extrajudiciali.

Dividi haec paragraphus in duas sectiones potest, in medicinalem et poenalem. In priori quippe ostenditur, quomodo episcopi de emendandis subditis laborare debeant, „ne ad processum criminalem deveniendum sit"; in altera vero agitur de gravi poena suspensionis extra judicium irroganda, si id necessitas fieri jubeat.

„Si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis, nec semel tantum, sed saepe, quod clamor innuit et diffamatio manifestat, delictum fuisse admissum, descendere debet et videre, utrum clamorem opere compleverint"[1]: inquisiturus, utrum crimen, quod ex ejusmodi gravium personarum relatione audivit perpetratum, revera commissum sit? et si de eo constat, quis illud commiserit? et sub quibus rerum locorumque adjunctis?

Si inquisitione peracta episcopo videantur sufficientes causae adesse, „ulterius contra inquisitum procedendi, eum praeventivis mediis corrigere studebit; nimirum exercitiis spiritualibus, monitionibus, praecepto".

---

[1]) C. Qualiter et quando 24. de accusat.

Monendus est criminosus, primum paterne, deinde judicialiter, ut se corrigat: quae monitio bis ac tertio repetitur eaque canonica et competens appellatur[1]. Antequam scilicet ad judicialem inquisitionem instruendam procedatur, competenter admonendus, vocandus et audiendus est reus, defensione pro avertenda speciali inquisitione oblata, quippe quae hodie magni est praejudicii.

„Quod si monitiones in irritum cedant, ordinarius jubet, per curiam delinquenti analogum praeceptum intimari, ita ut in hoc explicetur, quod ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam, si praeceptum transgrediatur, incurret". Solemnitates ejus actus describuntur n. 8. — Haec de decreto medicinali.

Si vero „facti necessitas desideret, nec locus nec tempus patiatur plenius deliberare consilium"[2]) actionis medicinalis parandae, tunc praesto est episcopo extraordinarium medium suspensionis „ex informata conscientia" infligendae. Nimirum ut episcopi subditorum crimina liberius coercere possint, concilium tridentinum juri decretalium derogavit, nova lege condita (sess. 14, c. 1. de ref.), qua episcopis potestas fit, clericos ob proprium delictum nulla judiciali methodo adhibita, sed simpliciter, „ex informata conscientia" suspendendi, h. e., ob causas sibi notas atque in conscientia perpensas, quae in foro externo ex actis judicialibus minime patent.

Constitutio tridentina haec est: „Quum *honestius ac tutius sit subjecto, debitum praepositis obedientiam*

---

[1]) Juxta canones ex spretis monitionibus constat, criminosum obfirmato animo in delictis ac peccatis haerere, indeque gravi poena dignum esse. Dicitur autem competens, quod judex in emittendis monitionibus „aliquorum dierum competentia intervalla observare debeat". (C. Constitutionem 9. de sent. excommun. in 6). Ea autem, notante gl., judex moderabitur pro locorum distantia ac personarum et negotii qualitate. Synodus nostra biduum inter unam et alteram observari jubet.

[2]) C. Constitutionum cit. jcta gl.

impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, dignitates sive honores restitutio suffragetur".

Quae literis obliquis seu cursivis, quas vocant, hic descripsimus, desumpta sunt ex c. Ad aures 5. X. de temporibus ordinationum: quo statutum legitur, regulares, etiam propter „commissa secreta" a praelatis suis ascensu ad ordines interdictos, ordinari non debere[1]).

Verum dispositio ista juris decretalium duplici ex capite fuit Tridenti ampliata, ratione personarum et ratione actuum, qui etiam propter occultum crimen prohiberi possint; concilium enim clericos saeculares quoque voluit comprehensos; et quae de ascensu ad ordines propter secreta commissa prohibet decreta erant capite „Ad aures", ad suspensionem ab exercitio ordinum et a gradibus et dignitatibus ecclesiasticis extendit; eaque immutatione facta juri communi derogavit, quo criminosus occultus moneri quidem poterat, ne promoveretur ad ordines, sed ordinari volens prohiberi non debebat[2]).

Quum lex tridentina a jure communi discedat indeque rebus odiosis accenseatur, ad restrictivas inter-

---

[1]) „Nec est in hac parte subjectorum (religiosorum) desiderium confovendum: quoniam esse potest, quod praelati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeunt sublimari; quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine caritatis acquiritur regnum Dei." Ita c. Ad aures cit.

[2]) C. Ex tenore 4. X. de temporibus ordination. — Idem statuitur c. Quaesitum 17. eod. tit. de clericis criminosis occultis ab exercitio ordinum non suspendendis, „si proposita crimina ordine judiciario comprobata vel alias notoria non fuerint."

pretationis regulas est exigenda atque arctis limitibus ipsius literae continenda. Hinc sequitur, episcopo vi decreti tridentini non intelligi factam potestatem alias poenas irrogandi, v. g. ferendi censuras excommunicationis vel interdicti sive localis sive personalis, vel suspensionis a beneficio, vel infligendi poenam corporalem aut mulctam pecuniariam, vel exercitia spiritualia poenae ritu praescribendi[1]).

Neque concessa episcopis est facultas clericos ex informata conscientia suspendendi, nisi procedant in eos tanquam delinquentes. Si clericos exercitio officii alia ex causa interdicere voluerint, v. g., quod minus idonei videantur ad officia divina rite celebranda, processu judiciali opus est, eoque in casu a sententia episcopi appellatio permittitur cum effectu devolutivo tantum.

Neque tandem, ut alia praetereamus, extendi haec facultas potest ad fideles laicos poenis afficiendos, v. g., ob omissam communionem paschalem, vi c. „Omnis utriusque sexus“ praescriptam[2]).

Praxim quod attinet, episcopi identidem monentur, ne nimis frequenter, neque ubi opus non fuerit, hoc remedio extraordinario utantur[3]), ne ipso facto pronuntiare videantur, dioeceses suas veluti in obsidione esse, in quibus scilicet, suspensis tribunalibus ordinariis, rei sine ullo judiciarii processus ordine damnentur.

---

[1]) Rationem sententiae ex informata conscientia latae non habet statutum episcopi de sacris exercitiis spiritualibus peragendis, ea sanctione munitum, ut qui ab exercitiis sine legitima causa abfuerit, poena pecuniaria mulctetur. (S. congr. conc. d. 20. sept. 1878, in Act. s. Sed. vol. 12, p. 609). De exercitiis ut medio praevestivo rocole dicta p. 367.

[2]) De c. Omnis utriusque sexus plura animadvertimus parte 1, p. 34.

[3]) Licet ex dictione implicativa „etiam“, quae adjectivo legitur praefixa („etiam ob occultum crimen“), non sine veri specie erui possit, ex mente concilii in casu criminis publici quoque licite procedi, usus tamen habet, ut hoc non fiat, nisi verum periculum boni publici sit in mora, ac res ipsa celeritatem remedii desideret.

A sententia ex informata conscientia prolata appellatio ad superiorem judicem emitti nequit, tum quod acta judiciaria desint, quae transmittantur, tum quod superior animum ac conscientiam inferioris immutari non possit. Permittitur tamen recursus ad apostolicam Sedem: quo instituto episcopi Summo Pontifici causas aperire debent, ob quas suspensionem inflixerunt. Vanum autem ejusmodi recursus medium non esse, ex eo patet, quod saepe factum legamus, ut ipsi episcopi, melius a Papa edocti, sententias suas ex informata conscientia latas e medio sustulerint et abrogarint.

Reliqua circa suspensionem ex informata conscientia, in partibus missionum ferendam, declarata vide in propria instructione romana relata in appendice concilii pp. 298—300. Auctores, qui magno numero argumentum illustrarunt, singillatim adducere, commentarii brevitas non patitur.

§. 2.
De modo judiciali.

Episcopi et praelati regulares legitimi judices sunt in causis criminalibus clericorum et religiosorum, immo et laicorum in rebus ad forum ecclesiasticum pertinentibus. Vicarii generales episcoporum autem sine speciali mandato non cognoscunt causas criminales[1]); plerique tamen sentiunt, ejusmodi specialem commissionem tunc solum requiri, quando in reum criminis gravius est animadvertendum.

In locis, ubi tribunal inquisitionis est institutum, quaesitores fidei a romana Sede constituti, cumulative cum episcopo, non autem privative, in haereticos inquirunt, „ut pluribus subjecta oculis tutior sit integritas fidei“[2]).

---

[1]) C. Licet in officialem 2. de officio vicarii in 6.

[2]) Quomodo inquisitores haereticae pravitatis et episcopus loci ordinarius de eodem facto „communiter vel divisim“ cognoscere possint,

Modi crimina in judicium pertrahendi alii sunt ordinarii, alii vero extraordinarii.

Regulariter deduci in judicium possunt crimina

1. per accusationem,
2. per denuntiationem,
3. per inquisitionem,
4. per exceptionem.

Extraordinaria via crimen notum fit judici per confessionem incidenter factam, et per deprehensionem in flagranti.

Accusatio, in re criminali, dicitur solemnis delatio criminis ad judicem, inscriptione ad poenam talionis interveniente[1]), vindictae publicae causa facta. Accusatio proprie dicta nunc ab usu fori recessit.

Denuntiatione judiciali crimen ad superiorem ecclesiasticum defertur, ut post praeviam correctionem paternam judicialiter contra reum procedat.

Inquisitio definitur legitima criminis investigatio[2]) a judice ex officio procedente instituta: quum „crimen fama quasi denuntiavit vel clamor detulit“[3]). Ex decreto synodi plenariae episcopi americani per viam inquisitionis contra clericos criminosos procedere debent.

Per exceptionem ab accusato factam crimen manifestatur, sive exceptio opponatur contra accusatorem, sive contra testem, sive contra promovendum.

Extraordinario modo judex in notitiam criminis

---

late explicatur c. Per hoc 17. de haeret. in 6; c. Multorum 1. eod. tit. Clem., et c. Ex eo 1. eod. tit. Extrav. com., ubi etiam declaratur, in una eademque causa „dioecesanos et inquisitores tunc intelligi divisim procedere, quum hi et illi separatim sive sejunctim, non quando episcopi tantum vel inquisitores tantum procedunt“.

[1]) Talio, est aequalis retributio, par vindicta; dicitur a „talis“, quod nempe aliquis „tale“ quid patiatur, quale fecit, juxta legem „oculus pro oculo, dens pro dente“. Inscriptione sive subscriptione interveniente accusator se ad subeundam talionis poenam obligat, si falso accusasse deprehendatur.

[2]) Identidem dicitur indago (c. Multorum cit.) et adsignificato ordine judiciario, judicialis indago (c. 1 et ult. de officio delegat. in 6).

[3]) C. Qualiter et quando cit.

venit per propriam confessionem accusantis vel testis incidenter factam; et per deprehensionem in ipso actu delinquendi seu in flagranti: quo in casu deprehensus, nulla praecedente accusatione vel denuntiatione vel inquisitione, capitur et judici praesentatur, procedique contra eum potest ex abrupto, juris ordine non servato, ut in notoriis.

Notari in actis debet, quanam ratione crimen sit in judicium pertractum, ut quae pro singulis modis speciatim sunt praescriptae agendi formae, rite servari possint.

Sed de his omnibus consulendi sunt auctores qui titulum 1 libri 5 decretalium commentariis illustrarunt.

Judicium criminale per viam inquisitionis exercitum tres processus complectitur, informativum, offensivum, defensivum; et sententia definitiva absolvitur.

Processus informativus pertinet ad capiendam necessariam informationem de corpore delicti et de indiciis contra reum loquentibus[1]).

Non sufficit, ut constet de corpore facti, v. g. de cadavere in aquis reperto; sed constare debet de corpore delicti, h. e., quod homo per malitiam alterius in aquas projectus sit. Protocollum de visitatione corporis delicti exceptum vocatur „Visum repertum".

---

[1]) Quae ad methodum judicii criminalis ex jure decretalium requiruntur, post alios, praeclaro commentario exposuit Molitor, *Ueber das strafrechtliche Verfahren bei den bischöflichen Officialaten* in Archiv für kath. Krecht, 1860 (t. 5.), adjecta, in fine commentarii, „Summa ordinis judiciarii in foro criminali officialis secundum ss. canones adhibendi", in qua totum argumentum 28 brevibus numeris complexus, amplam legum copiam et varietatem concinna brevitate uno in conspectu positam reperies. In ea procurator fiscalis non comparet. — Alia brevis expositio processus criminalis ad normam juris communis exacta habetur in Analecta juris pontificii, serie 13, pp. 40—54, praefixo titulo „Traité pratique des officialités diocésaines", in quo partes procuratoris fiscalis proprio titulo (le ministère public) describuntur. Definitur autem ad mentem legis gallicae: „le procureur, qui exerce les poursuites pour la punition des délits, porte en droit canonique le nom de promoteur fiscal (tit. 6, n. 29).

Si ex ejusmodi praeviis informationibus de scelere non constiterit, silebit processus; si vero inde resultent indicia criminis, ad ulteriora proceditur. Judex scilicet testes clam et seorsim ab aliis interrogat atque ad examen rei progreditur pro informatione curiae. Examen rei „Constitutum" vocant, quod protocollum examinis plerumque incipiat a verbis „Constitutus personaliter".

Processum informativum excipit offensivus. In eo novi testes examinantur; et ii etiam, qui pro praevia informatione jam sunt interrogati, denuo examinatur caeteraeque probationes legitimae adhibentur.

Processum offensivum sequitur defensivus, qui in defensionibus rei consistit: quo olim purgatio canonica referebatur, quae etiam adscitis compurgatoribus exhiberi poterat[1]. Reo non plene convicto olim ad torturam deveniebatur: quae tamen fallibile omnino medium veritatem exquirendi erat.

Caeterum reus semiplena sua probatione evertit plenam probationem actoris; quum enim semiplena probatio[2] ex natura sua fidem aliquam faciat et, ut medium cognoscendi rem, judici conjecturam probabilem veritatis injiciat, id, contra quod ejusmodi fides non despicienda affertur, non amplius clare atque evidenter probatum dici potest, praesertim in causis criminalibus in ordine ad condemnandum reum, quae

---

[1]) Institutum compurgatorum eo spectabat, ut juraturus tres, quinque vel septem vicinos, aut saltem qui eum plane nossent ac probatae fidei essent, sibi socios, tanquam adsertores adjungeret. Compurgatores jurabant, „eum, sicut ipsi credebant, verum jurasse" (C. Quoties 17. C. 2, q. 5). Inde ortae sunt formulae „tertia, quinta, septima manu jurare", quarum mentio est in jure. — Licet purgatio canonica jam in desuetudinem abierit, in causis civilibus tamen, ubi testes nulli extant, identidem adhiberi legimus conjuratores sive sacramentales, fide dignos, qui quamvis rei, de qua ambigitur, testes non fuerint, ejus tamen, cujus res agitur, probitate confisi, in eadem, quae ille verba jurant, scilicet credere se, „quod principalis jurans veritatem dicat".

[2]) Exempli causa dictum unius testis idonei.

evidentem ac „luce clariorem"[1]) probationem postulant: excepto crimine haereseos, cujus si quis „notabiliter suspectus fuerit inventus" tanquam haereticus condemnatur „nisi propriam innocentiam congrua purgatione monstraverit"[2])

Omnibus rite peractis citandus iterum reus est ad audiendam sententiam, quae est vel absolutoria vel condemnatoria.

Absolutio vario modo fieri potest; atque inprimis reus simpliciter absolvitur ab ipso crimine et a tota causa tanquam positive innocens probatus[3]); deinde absolvi potest ab observatione judicii, v. g., ob incompetentiam fori; tertio tandem absolvitur ex defectu probationum criminis[4]): quibus integris repertis iterum accusari potest.

Reus de crimine plene convictus condemnatur, si est praesens; si vero praesens non sit, etiam in contumaciam condemnari potest, et ita quidem, ut si postea in manus judicis venerit, opus non sit nova probatione criminis, sed solus processus de recognitione et identitate personae sufficiat.

Appellatio contra sententiam condemnatoriam rite emissa effectum poenae mere spiritualis non suspendit.

Et haec quidem ex communibus ecclesiae decretis generatim enotasse satis habemus.

Quae speciatim ad judicia criminalia imperio concilii plenarii ad mentem instructionis romanae exercenda referuntur, in duobus libris, initio hujus capitis pro merito jam laudatis, solide et luculenter sunt explicata. Quapropter lectorem americanum, vigentis ordinis judiciorum criminalium cupidum, ad eos delegamus.

---

1) Cfr. Leg. Sciant cuncti 25 (ult.) Cod. de probationibus (lib. 4, tit. 19).

2) Ita c. Excommunicamus 13. X. de haereticis.

3) Sententia absolutoria „ex capite innocentiae".

4) Ea ratione reus dicitur absolutus „tamquam non repertus culpabilis".

Titulus XI.

De sepultura ecclesiastica.

Caput unicum.

Hunc titulum vere moratorem dixeris, quod suo loco venire cunctatus, jam postremam sedem in ordine decretorum invenerit. Pertinet ad res sacras et in decretalibus Gregorii PP. IX. habetur in l. 3., sub n. 28, cum rubrica „de sepulturis". Eum patres baltimorenses ad finem operis reservasse videntur, quod sepultura cum decentibus exequiis sit ultimum obsequium, quod christianis in loco sacro aut religioso exhibeatur.

Triplici sensu vox „sepultura" in jure sacro accipitur; ac primo quidem pro jure sepeliendi cadavera mortuorum; deinde pro loco, in quo cadavera sepeliuntur; tertio pro actu, ritu seu officio, quod in humandis et sepeliendis corporibus impenditur[1]).

In praesenti titulo praesertim duabus ultimis significationibus usurpatur; definiunt enim patres, quibus sub conditionibus aliquis in loco a coemeterio parochiali distincto, praecipue in sepulchro gentilitio, quod in fundo acatholicorum existat, in posterum sepeliri queat: addita etiam „gravi monitione", ut rectores ecclesiarum loca religiosa humandis fidelium cadaveribus addicta „rite et decenter custodienda curent, ne ex eorum conditione sordida aut neglecta fideles justam conquerendi causam habeant, et suorum corpora in eis tumulare aversentur."

Ideo vero tanta cura funerum geritur tantisque honoribus fidelium sepulchra ornantur, quod cadavera chri-

---

[1]) Textus ad triplicem hunc sensum verbi „sepultura" spectantes adductos reperies apud Reiffenstuel, l. 3, t. 28, n. 2.

stianorum colantur ut animarum immortalium domicilia, earum in certaminibus instrumenta, Spiritus Sancti templa, in vitam aliquando reditura: quemadmodum sancti ecclesiae doctores passim tradunt.

Quia vero tractatio causarum circa sepulturam in alieno loco accipiendam saepe moram affert celebrandis exequiis et ansam praebet missae de die obitus iterandae, idcirco rectores pro ejusmodi extraordinariis casibus duas regulas, ex authenticis decretis sacrorum rituum congregationis erutas, utiliter servare poterunt: alteram de diebus tertio, septimo, tricesimo rite computandis; alteram de missa exequiali non iteranda.

1. Dies tertius, septimus, tricesimus, qui respectu missae de Requiem cantatae gaudent privilegiis anniversariorum fundatorum, possunt numerari a die obitus vel a die sepulturae[1]), secundum diversam ecclesiae consuetudinem[2]). Hinc mirum non accidit, quod in extraordinariis casibus, ubi sepultura cum exequiis ad longius tempus fuit ex rationabili causa dilata, privilegiatos dies istos ante exequias celebratos legamus. Suadet tamen Cavalierius, ut ubi cadavera juxta patriae morem inhumata serventur, dies isti a die sepulturae numerentur, „quod aliter dies tertius quandoque supprimeretur per diem sepulturae“[3]).

2. „Si corpore sepulto, missa exequialis ad aliquod tempus differatur, ut praesentibus amicis circa castrum doloris, ac si corpus adesset, solemniter cum precibus consuetis cantetur, haec missa sine speciali indulto cantari non potest in duplici et aequivalente, si corpus modo cum missa sepultum fuerit, juxta de-

---

[1]) Ita decret. d. 23. aug. 1766. Apud Gardellini, *Decreta authentica congr. s. rit.*, n. 4336 (edit. roman. 3. an. 1856, t. 2, p. 475).

[2]) Non dicitur „a die depositionis“, quia dies depositionis ipse est dies obitus, quo quis vitam deponit: cujus appellationis causam fuse explicatam vide in antiquo sermone olim sancto Ambrosio tributo, apud Migne, Patr. lat., t. 17, pp. 721.

[3]) *Commentaria*, t. 3, c. 4.

cret. s. rit. congr. d. 27. februar. 1847". Ita De Herdt, *Sacrae liturgiae praxis*, parte 1, n. 16, resp. IV. Verum ipsa declaratio congregationis ab auctore adducta interdictum iterationis missae depositionis in casu proposito tantum pro die ritus duplicis majoris continet; expresse enim statuit, „post missam depositionis, extra dies 3, 7 et 30, cantari non posse missam de Requiem in ritu duplicis majoris, ut in die obitus, cum unica oratione, nisi habeatur speciale indultum"[1]).

Sunt qui tutiorem partem sequentes dubium ita solvant, ut si corpus absque missa sepultum fuerit, solemnem missam praesentibus amicis, ut dictum est, cantandam differant ad diem 3 vel 7 eumque vel a die obitus vel a die sepulturae legitime computatum licet contra Cavalierii consilium per concursionem unus ex diebus privilegiatis supprimatur.

Titulus ultimus.

De concilii decretorum promulgatione et efficaciori executione.

Dispositivam ultimi hujus tituli partem jam in commentariis in decretum promulgationis concilii explicavimus, ac nominatim rationes particularis illius, quae in synodis provincialibus et dioecesanis „ad cautelam" fieri jubetur, publicationis, ut potuimus, adductis exemplis aperuimus[2]). Quod idem argumentum etiam uberius illustrari posset adhibitis c. Ex rescripto 1. X. de locato, et c. Quoniam 39. X. de simonia, quae ambo stricte praecipiunt, ut leges solemniter jam promulgatae „singulis annis" iterum publicentur; „ad cautelam scilicet, ne quis saltem de facto dicere valeat, se ignorasse": quemadmodum gl. ad c. Ex rescripto cit. causam iterationis annuae interpretatur. Et ita patres balti-

---

[1]) Apud Gardellini, n. 5079 edit. cit. t. 4, p. 126.

[2]) Parte 1, pp. 34—35.

morenses, supremos ecclesiae legislatores imitati, repetita concilii promulgatione efficaciori, quae in rubrica effertur, decretorum executioni consultum voluere.

Sed et „legem ecclesiasticam“ se in praecipienda iteratione promulgationis secutos profitentur, quin tamen ubi, aut qualis ista lex sit, ullo indicio significent. Id negotii ergo quum privatis decretorum interpretibus reliquerint, nos ad exiguae hujus nostrae opellae absolutionem, canonem desideratum in forma integra ex corpore juris sacri huc transcribimus: „Sicut olim a sanctis patribus noscitur institutum, metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare[1]), in quibus de corrigendis excessibus et moribus reformandis, praesertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, maxime quae statutae sunt in hoc generali concilio[2]), relegentes, ut eas faciant observari, debitam poenam transgressoribus infligendo. Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas dioeceses statuant personas idoneas, providas videlicet et honestas, quae per totum annum simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione sollicite investigent, quae correctione vel reformatione sunt digna[3]), et ea fideliter perferant ad metropolitanum et suffraganeos et ad alios in concilio subsequenti, ut super his et aliis (prout utilitati et honestati congruerit) provida deliberatione procedant; et quae statuerint, faciant observari: publicaturi ea in episcopalibus synodis annuatim per singulas dioeceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere a sui executione officii suspendatur“. C. Sicut olim 25. X. de accusat.

---

[1]) Ex jure tridentino (sess. 24, c. 2. de reform.), quo nunc utimur, provinciale concilium tertio quoque anno habendum est.

[2]) Lateranensi quarto anni 1215.

[3]) Isti sunt testes synodales, de quibus in priori parte dictum est pp. 95— 96.

Subscriptiones synodalium[1]).

Ego, Jacobus Gibbons, archiepiscopus baltimorensis (IX) et Sedis apostolicae delegatus, definiens subscripsi[2]).

Ego, Petrus Richardus Kenrick, archiepiscopus sancti Ludovici (I), definiens subscripsi.

Ego, Joseph S. Alemany, O. P., archiepiscopus sancti Francisci (I), definiens subscripsi.

Ego, Joannes B. Lamy, archiepiscopus sanctae Fidei (I), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Williams, archiepiscopus bostoniensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Carolus Joannes Seghers, archiepiscopus oregonopolitanus (II), definiens subscripsi.

Ego, Michael Heiss, archiepiscopus milwaukiensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Patritius A. Feehan, archiepiscopus chicaginensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Gulielmus Henricus Elder, archiepiscopus cincinnatensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Franciscus X. Leray, archiepiscopus Neoaurelianensis (IV), definiens subscripsi.

Ego, Patritius Joannes Ryan, archiepiscopus philadelphiensis (II), definiens subscripsi.

---

[1]) Rationibus historicis servituri, eodem hoc subscriptionum catalogo aetatem hierarchiae in foederatis ditionibus adsignificamus, adscripto ad titulum cujuslibet sedis americanae numero, quo indicetur, quotus in ordine archiepiscoporum vel episcoporum antistes sit, qui decreta subsignavit. Tempus erectionis singularum dioecesium docet Gams, *Series episcoporum,* supplem. 1, pp. 2—8, et supplem. 2, pp. 112—119. Recolantur etiam quae nos ipsi de novis episcopatibus, post synodum plenariam constitutis, in priori parte retulimus pp. 99—100. — Notitias de vita rebusque delegati apostolici aliorumque complurium patrum concilii nostratibus dedit cl. D. Bellesheim, in notis ad egregiam suam relationem de actis synodicis in *Archiv für kath. Krecht,* t. 57 (1887. I), pp. 41—88.

[2]) Seriem archiepiscoporum baltimorensium in priori parte exhibuimus p. 22.

Ego, Michael Augustinus Corrigan, archiepiscopus petrensis, coadj. neo-eboracensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Patritius G. Riordan, archiepiscopus cabasensis, coadj. s. Francisci (II), definiens subscripsi.

Ego, Joannes B. Salpointe, archiepiscopus anazarbensis, coadj. s. Fidei (II), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Loughlin, episcopus brooklyniensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Ludovicus de Goesbriand, episcopus burlingtonensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Hennessy, episcopus dubuquensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Eduardus Fitzgerald, episcopus petriculanus (II), definiens subscripsi.

Ego, Gulielmus Georgius Mc. Closkey, episcopus ludovicopolitanus (IV), definiens subscripsi.

Ego, Gulielmus O' Hara, episcopus scrantonensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Bernardus J. Mc. Quaid, episcopus roffensis (I), definiens subscripsi[1]).

Ego, Tobias Mullen, episcopus eriensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Joseph P. Machebeuf, episcopus epiphaniensis, Vic. Ap. Colorado (I), definiens subscripsi.

Ego, Thomas A. Becker, episcopus wilmingtonensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Hogan, episcopus kansanopolitanus (I), Adm. s. Joseph, definiens subscripsi.

Ego, Stephanus Vincentius Ryan, C. M., episcopus buffalensis (II), definiens subscripsi[2]).

---

[1]) Recolantur quae de rmo. antistite roffensi grati scripsimus in priori parte, p. 150.

[2]) De insigni benevolentia a rmo. episcopo buffalensi oenipontano instituto theologico praestita ibidem diximus p. 150.

Ego, Jeremias Franciscus Shanahan, episcopus harrisburgensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Casparus Henricus Borgess, episcopus detroitensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Patritius Thomas O'Reilly, episcopus Campi Fontis (I), definiens subscripsi.

Ego, Ludovicus Maria Fink, O. S. B., episcopus leavenworthensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Mc Neirny, episcopus albanensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Joseph Dwenger, C. PP. S., episcopus waynecastrensis (II), definens subscripsi.

Ego, Richardus Gilmour, episcopus clevelandensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Edgarus P. Wadhams, episcopus ogdensburgensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Thomas F. Hendricken, episcopus Providentiae (I), definiens subscripsi.

Ego, Gulielmus H. Gross, C. SS. R., episcopus savannensis (V), definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Mora, episcopus montereyensis et Angelorum (IV), definiens subscripsi.

Ego, Dominicus Manucy, episcopus adm. mobiliensis (II) et brownsvillensis, definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Kain, episcopus velingensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Rupertus Seidenbusch O. S. B., episcopus haliensis, vic. ap. Minnesotae sept. (I), definiens subscripsi[1]).

Ego, Jacobus Augustinus Healy, episcopus portlandensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Franciscus X. Krautbauer, episcopus Sinus viridis (II), definiens subscripsi.

---

[1]) In territorio hujus vicariatus apostolici duae novae dioeceses erectae sunt anno 1889, Duluth et St. Cloud, latine proprie „sancti Clodoaldi", qui tamen propter anglicam pronuntiationem gallici nominis St. Cloud passim invenitur in „sanctum Claudium" transfiguratus.

Ego, Joannes Ireland, episcopus s. Pauli (III), definiens subscripsi[1]).

Ego, Jacobus O' Connor, episcopus dibonensis, vic. ap. Nebraskae (II), definiens subscripsi[2]).

Ego, Joannes L. Spalding, episcopus peoriensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Moore, episcopus s. Augustini (II), definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Silas Chatard, episcopus vincennopolitanus (V), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Keane, episcopus richmondensis (V), definiens subscripsi.

Ego, Laurentius S. Mc Mahon, episcopus hartfordiensis (V), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Vertin, episcopus marionopolitanus et marquettensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Aegidius Junger, episcopus nesquallensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Martinus Marty, O. S. B., episcopus Tiberiadis, vic. apost. Dakotae (I), definiens subscripsi[3]).*

Ego, Joannes B. Brondel, episcopus helenensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Ambrosius Watterson, episcopus columbensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Patritius Manogue, episcopus vallispratensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Franciscus Janssens, episcopus natchetensis (IV), definiens subscripsi.

Ego, Joannes C. Neraz, episcopus sancti Antonii (II), definiens subscripsi.

Ego, Kilianus C. Flasch, episcopus crossensis (II), definiens subscripsi.

---

[1]) Ecclesia cathedralis s. Pauli ad gradum metropoliticum evecta est anno 1889, exsecta ex ea nova dioecesi Winona.

[2]) Vicariatus apostolicus Nebraskae in duas dioeceses Lincoln et Omaha jam divisum diximus in priori parte pp. 99—100.

[3]) In territorio vicariatus apostolici Dakota anno 1889 erectae sunt duae novae dioeceses Sioux-Falls et Jamestown.

Ego, Venantius Michael Wigger, episcopus novarcensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Michael Joseph O'Farrell, episcopus trentonensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Henricus P. Northrop, episcopus carolopolitanus (V), definiens subscripsi.

Ego, Nicolaus Aloysius Gallagher, episcopus canopensis, adm. galvestonensis (III), definiens subscripsi.

Ego, Henricus Joseph Richter, episcopus Fluminis Rapidi (I), definiens subscripsi.

Ego, Joseph Rademacher, episcopus nashvillensis (IV), definiens subscripsi.

Ego, Dionysius Bradley, episcopus mancestriensis (I), definiens subscripsi.

Ego, Henricus Cosgrove, episcopus davenportensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Camillus Paulus Maes, episcopus electus covingtonensis (III), definiens subscripsi

Ego, Alphonsus J. Glorieux, vic. apost. electus idahensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Thomas L. Grace, episcopus mennitensis[1]), definiens subscripsi.

Ego, Eugenius O'Connell, episcopus joppensis[2]), definiens subscripsi.

Ego, Joannes Joseph Conroy, episcopus curiocensis[3]), definiens subscripsi.

Ego, Isidorus Robot, O. S. B. Abbas, praefectus apost. territ. Indorum[4]), definiens subscripsi.

Ego, Richardus Phelan, v. g., procurator episcopi pittsburgensis (III), definiens subscripsi[5]).

---

[1]) Resign. (1884) s. Paul. de Minn. — De episcopis, qui episcopatui renuntiarunt recolantur dicta in priori parte pp. 82—83.

[2]) Resign. (1884) Vallispraten.

[3]) Resign. (1877) Alban. i. A.

[4]) Praefectura apost. erecta 1876.

[5]) De procuratoribus in conciliis fusius actum est in priori parte pp. 68—74.

Ego, Franciscus Hubertus Zabel, S. T. D., procurator episcopi altonensis (II), definiens subscripsi.

Ego, Joannes N. Lemmens, procurator administratoris vancouveriensis, definiens subscripsi.

Ego, Bonifacius Wimmer, O. S. B., archiabbas s. Vincentii[1]), definiens subscripsi.

Ego, Fintanus Mundwiler, O. S. B., abbas s. Meinradi[2]), definiens subscripsi.

Ego, Eduardus Sorin, superior generalis congr. s. Crucis[3]), definiens subscripsi.

Ego, Alexius Edelbrock, O. S. B., abbas s. Joannis[4]), subscripsi.

Ego, Innocentius Wolf, O. S. B., abbas s. Benedicti[5]), subscripsi.

Ego, Frovenius Conrad, O. S. B., abbas Neomontis Angelorum[6]), subscripsi.

Ego, M. Benedictus, abbas cisterciensis de Trappa, Gethsemani[7]), subscripsi.

Robertus Seton, protonotarius apostolicus.

Jacobus Andreas Corcoran, antistes urbanus, Henricus Gabriels, Sebastianus G. Messmer[8]), Dionysius J. O' Connell,	a secretis.
Georgius G. Devine, Joannes S. Foley,	cancellarii.

[1]) In dioecesi Pittsburgensi.

[2]) In dioecesi Vincennopolitana.

[3]) Notre Dame, Ind., in dioecesi waynecastrensi. — De ipso rmo. Ed. Sorin relegantur dicta in priori parte, pp. 43—45 et 127.

[4]) In dioecesi s. Clodoaldi sive s. Claudii (St. Cloud).

[5]) In dioecesi leavenworthensi.

[6]) In dioecesi kansanopolitana.

[7]) In dioecesi ludovicopolitana.

[8]) De cl. D. Messmer ejusque editioni „Praxis synodalis" diximus in priori parte p. 96.

Transitio
ad tertiam partem codicis
sive
ad πάρεργα.

Parerga hoc loco dicuntur accessiones aedificiorum, quae palatio utilitatis et ornatus causa adjectae reperiuntur, et ex quibus splendor ac pretium domus augetur. De variis rationibus ejusmodi accessionum, deque ipso speciali titulo „Appendix" recoli poterunt, quae circa tripartitam dispositionem operis synodici „*Acta et decreta concilii plenarii*" in introductione generali animadvertimus parte 1, pp. 4, 5, 7.

Propriam instituti nostri brevitatem secuti, parerga ad tria capita conferemus, e quibus duo priora nonnullis decretis synodicis apte illustrandis inservient. Ad extremum, lectissimis atque ornatissimis auditoribus nostris, americanae sacri juris academiae consortibus, valefacientes iisdemque bene precati, subtexemus tertium, quod nomen concilii plenarii etiam in antiquo orbe cum gloria ad immortalitatis memoriam consecravit.

PARS III.

APPENDIX.

PARERGA.

I.

Instructio pro judiciis ecclesiasticis

imperii austriaci quoad causas matrimoniales a concilio plenario baltimorensi III. semel atque iterum commendata.

Titulus primus.

De matrimonio.

1. Matrimonium est conjunctio maris et foeminae ad propagationem humani generis et mutuum adjutorium Dei voluntate ordinata: quod cum in ipsis ejus primordiis indissolubile esset institutum et eam accepisset legem, ut conjuges duo essent in carne una, a Christo Domino ad pristinam dignitatem reductum et in sacramentum novae legis evectum est.

2. Sponsalia sunt conventio, qua mas et foemina sibi matrimonii inter eos ineundi fidem dant.

3. Sponsalia valide iniri nequeunt, nisi per voluntatis declarationem libere ac debita cum deliberatione factam ab iis, qui matrimonium inter se valide ac licite contrahere possunt. Impuberum nomine inita impuberes ad matrimonium contrahendum haud obligant, nisi, postquam ad pubertatem pervenerint, rata eadem habuerint.

4. Sponsalia, licet jurejurando firmata sint, mutuo tamen consensu dissolvi possunt.

5. Sub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicunt.

6. Quando una pars fidem sponso debitam violaverit, altera promissis stare non amplius tenetur. Quodsi post sponsalia inita talis intercedat mutatio, ut merito supponatur, hoc obtinente rerum statu haud eventurum fuisse, ut ad sponsalitia pacta procederetur, horum obligatio pro ea cessat parte, in qua ejusmodi mutatio haud contigit. Casu, quo talia rerum adjuncta jam sponsalium initorum tempore locum habuere, parti, cui ignota tunc fuerunt, jus competit a sponsalibus resiliendi.

7. Sponsi obligatione, quam sibi imposuerunt, non impediuntur, quin religionem ingrediantur aut Deo in statu clericali militent. Professione religiosa aut ordinis sacri susceptione sponsalia dissolvuntur.

8. Matrimonio, quod una pars cum tertia quadam persona contrahit, sponsalia quidem dissolvuntur, salvum tamen permanet jus, quod alteri parti quoad damnum resarciendum pro re nata competit.

9. A sponsalibus absque legitima causa resiliens, nec non qui legitimam resiliendi causam vel celaverit, vel sua culpa adduxerit, tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adjunctis damnum, quod resiliendo ipsi infertur.

10. Obligatio standi promissis per contractum sponsalitium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore. Quodsi autem circumstantiae, quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exortae sint, haec alteri damnum, quod ipsi frustratis justis ejus exspectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur.

11. Causa efficiens matrimonii est consensus mutuus, in quantum a personis ad contrahendum habilibus respective forma praescripta declaratur.

12. Ad conjunctionem, quae vere matrimonium sit, ineundum inhabiles sunt omnes et ii tantum, quos lex divina et ecclesiastica inhabiles pronuntiat.

13. Amentes, furiosi, infantes, et quicunque impares sunt, talem, qualem rei natura exigit, consensum praestando, matrimonium contrahere nequeunt.

14. Ne consensus detur et matrimonium contrahatur, impedit error, qui versatur circa personam futuri conjugis, aut qui in personam redundat. In personam redundat error in ea tantum qualitate, qua sola futuri conjugis persona determinatur.

15. Quodsi contingeret, ut liber contrahat cum servo vel serva, quos liberos putet, irritum foret matrimonium.

16. Impotentia debitum conjugale praestandi matrimonium antecedens et insanabilis, ne matrimonium valide contrahatur, impedit.

17. Quum pueri, qui decimum quartum, et puellae, quae duodecimum aetatis annum nondum absolverint, de regula neque physice ad matrimonium apti, neque ii sint, qui matrimonii contrahendi vim, prout decet, intelligant, de jure ad matrimonium inhabiles censentur. Quodsi autem unquam eveniret, ut hac aetate minores et physica et morali ad matrimonium aptitudine pollerent, nihilominus, nisi desuper ab episcopo dioecesano vel ab ipsa apostolica sede sententiam declaratoriam obtinuerint, matrimonio jungi non possent.

18. Consensus, ad quem exprimendum quis a quocunque per malum magnum et inevitabile injuste ipsi

vel illatum vel intentatum compellitur, ad matrimonii vinculum nectendum haud sufficit.

19. Mulier, quae matrimonium ineundi causa rapta fuerit, cum raptore, quamdiu in ejus potestate manserit, matrimonium valide contrahere nequit. Rapta censenda est mulier, quae violentia ipsi illata vel abducitur, vel in loco, ad quem dolo allecta est, detinetur; nec non ea, quae a viro, cui ante facinus rite desponsata haud fuit, ipsa licet consentiente, insciis tamen vel invitis parentibus seu tutoribus abducitur.

20. Matrimonii vinculum eodem junctos ad aliud matrimonium contrahendum inhabiles reddit.

21. Vinculum matrimonii valide contracti sed nondum consummati per solemnem religionis professionem alterius conjugis vel summi pontificis dispensatione dirimitur. Matrimonium a christianis contractum, postquam consummatum fuerit, nonnisi morte solvi potest.

22. Quodsi christiani non catholici autument, vinculum solvi posse, ecclesia errantes deplorat, verum pati nequit, ut error legis suae sanctitatem contaminet. Inter catholicum et christianum non catholicum, qui conjugem superstitem habet, matrimonium consistere nequit, licet tribunal, apud quod causae matrimoniales christianorum non catholicorum tractari solent, separationem quoad vinculum pronuntiaverit.

23. Quum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur, matrimonium ab infidelibus contractum conjugibus ad Christum conversis firmum manet, non obstantibus impedimentis ecclesiastica lege institutis. Quodsi autem altero tantum conjuge converso alter in infidelitate persistens cum eodem cohabitare interpellatione neglecta omnino renuat aut cohabitare nolit absque contumelia creatoris, eidem

petenti concedendum est, ut ad novas convolet nuptias; quibus rite celebratis vinculum conjugii in infidelitate contracti dirimitur.

24. Clerici in majoribus constituti et regulares, qui vota solemnia emiserunt, ad matrimonium ineundum habiles non sunt. In quantum vota simplicia in congregatione regulari emissa eum per exceptionem sortiantur effectum, ut matrimonium irritent, secundum statuta ordinum a sede apostolica approbata dijudicandum est.

25. Inter baptizatos et eos, qui regenerationis sacramentum haud susceperunt, matrimonium consistere nequit.

26. Qui in linea recta aut in quarto vel proximiori quodam lineae transversae gradu consanguinei sunt, validum inter se matrimonium contrahere non possunt, neque refert, an consanguinitas ex copula licita vel illicita exorta sit.

27. Cognatio spiritualis, quae ex baptismo et confirmatione oritur, dirimit matrimonium inter sacramenti dispensatorem et baptizatum vel confirmatum, nec non baptizati vel confirmati parentes, inter patrinum quoque et baptizatum vel confirmatum, nec non baptizati vel confirmati parentes.

28. Adoptio, qualis arrogationi seu adoptioni perfectae juris romani quoad essentialia respondet, secundum nunc vigentem ecclesiae praxin, etiam postquam dissoluta fuerit, matrimonium dirimit inter adoptantem adoptatumque et ab adoptato descendentes sub paterna ejus potestate adoptionis tempore constitutos, nec non inter adoptantem adoptatique uxorem et adoptatum vicissim adoptantisque uxorem. Praeterea quamdiu adoptio perdurat, inter adoptatum et adoptantis liberos

carnales, legitimos, sub potestate paterna constitutos matrimonium consistere nequit.

29. Adoptio juris austriaci inter praefatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternae adoptantis potestati subjiciatur vel in ejusdem domum filiorumfamilias ad instar cohabitaturus recipiatur. Quodsi autem neque paternae adoptantis potestati subjiciatur neque in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptio juris austriaci imperfectae aequiparanda est et nullum matrimonii impedimentum involvit.

30. Matrimonium consummatum inter unam partem et alterius quartum usque inclusive gradum consanguineos affinitatem parit, qua irritatur matrimonium inter eosdem initum.

31. Concubitus extra matrimonium habitus dirimit matrimonium contrahendum inter unam partem et alterius consanguineos in primo vel secundo gradu.

32. Conjux, qui cum alterius consanguineis in primo vel secundo gradu copula carnali culpose jungitur, privatur jure debitum conjugale petendi, donec dispensationem obtinuerit.

33. Matrimonium ratum, non consummatum, conjugem, qui supervixerit, aut in saeculo remanserit, inhabilem reddit ad matrimonium ineundum cum alterius consanguineis quartum usque inclusive gradum.

34. Matrimonium invalide contractum non consummatum, nisi propter defectum consensus nullum sit, impedit, ne conjugium subsistat inter unam partem et alterius consanguineos quartum usque inclusive gradum.

35. Sponsalia valide et pure inita obstant, ne sponsorum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium contrahat. Idem operantur sponsalia sub

honesta conditione contracta, postquam eadem purificata fuerit.

36. Inter eos, qui adulterio se polluerunt, matrimonium valide contrahi nequit, quando altero adhuc vivente conjuge matrimonii ineundi fidem sibi dederint vel matrimonium de facto inire attentaverint, aut quando vel una tantum pars ea intentione, ut cum altera matrimonio jungi queat, in mortem conjugis, cujus jura adulterio violavit, machinata fuerit effectu secuto.

37. Conjugicidium inter conjugem ejusdem reum et personam, cum qua ad crimen patrandum conspiravit, matrimonium invalidum efficit, quando vel una tantum pars facinus ea intentione perpetraverit, ut cum altera matrimonium inire possit.

38. Ad matrimonium valide ineundum requiritur, ut contrahentes coram parocho proprio utriusque vel unius partis aut alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus consensum declarent. In iis tamen imperii partibus, pro quibus sancta sedes instructionem ddo. 30. april. 1841 edidit, absentia parochi catholici quoad matrimonia inter catholicos et christianos non catholicos ad ipsa irritanda non sufficit.

39. Proprius nupturientium parochus est is, in cujus parochia verum aut quasi domicilium habent.

40. Domicilium verum ibi locorum est, ubi quis habitationem suam vel unice vel principaliter figit, ita, ut peregrinari dicatur, quando ibi non commoretur. Quamdiu hoc in loco habitationem sibi vel familiae suae destinatam retinet, absentia longior licet, per se sumta, non sufficit ad efficiendam domicilii veri translationem. Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verumtamen talem habitat in finem, ad

quem assequendum longior commoratio requiritur, ibi quasi domicilium habet.

41. Uxor, ubi maritus; minorennes, ubi parentes, nutritii, ubi tutor, verum habent domicilium. Locus, ubi e. gr. uxor servitia praestat, aut minorennis studiorum ergo commoratur vel persona militaris stativa habet, ipsorum quasi domicilium reputandus est. Quinam minorennis censendus vel minorennibus quoad relationes juridicas aequiparandus sit, juxta legem austriacam dijudicandum venit.

42. Officiales publici nec non ii, qui ad servitia quaecunque publica in dies vitae assumti sunt, domicilium verum eo habent in loco, ubi ad muneris servitiive sui ordinarii partes explendas habitant. Quando alio in loco ad extraordinarium deputantur ministerium, quod pro sua natura longiorem postulat moram, ibi quasi domicilium acquirunt.

43. Qui hominis privati, societatis aut instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi domicilium acquirit in loco, ubi ad servitia haecce praestanda habitat. Haud ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant. Neque ratione servitiorum, quorum quis tenore herum quoad habitationem sequi debet, loco, quo herus domicilium non habet, domicilium acquiri potest.

44. Casu, quo quis extra locum domicilii veri in aliis adhuc parochiis domos ejus usibus destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum locorum quasi domicilium habet, ubi vel quovis anno per notabile tempus commorari solet, vel tempore, quo locum qua domicilium asserit, per sex ad minimum septimanas habitat.

45. Eorum, qui neque verum, neque quasi domicilium habent, parochus proprius is est, in cujus parochia commorantur.

46. Proprius personarum ad militiam vagam pertinentium parochus est capellanus et respective superior castrensis juxta tenorem facultatum a sancta sede concessarum. Qui militiae stabili annumerantur, parochum domicilii adeant oportet.

47. Quod licentia matrimonio assistendi ab eo, cui competit (§. 38.) tacite collata sit, foederis conjugalis valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat, cui a parocho vel ab ordinario ipso facultas expresse haud facta sit. Licentia mere praesumta non sufficit; neque juvat, quod delegandi jus habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset, aut rem postmodum ratam habeat.

48. Qui licentiam matrimomio assistendi pro universitate casuum accepit, eam pro singulis casibus alii sacedoti concedere potest. Qui licentiam istam pro singulo casu accepit, jure subdelegandi caret, nisi expresse ipsi collatum sit.

49. Quando ex quacunque ratione dubium emergat, cuinam animarum curatori jus matrimonio assistendi competat, res ad episcopum deferenda ac ejus decisio vel ordinatio exspectanda est.

50. Consensus declaratio per procuratorem facta valida est, quando hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis sufficienter determinans collatum, neque tempore forsan, quo mandantis nomine matrimonium contractum sit, revocatum jam fuerit. Parochus tamen matrimonium per procuratorem ineundum nullatenus admittat, nisi episcopus facultatem expresse concesserit.

51. An consensus sub conditione datus causa efficiens matrimonii sit, a conditionis impletione dependet.

52. Quando conditio versetur circa futurum contingens vel non contingens, matrimonium suspenditur, usque dum conditio impleatur. Quod si non impleatur, consensus dati effectus cessat. Quando consensus alligatur conditioni de praeterito, matrimonium validum est vel non, prout conditio impleta jam sit, vel non.

53. Irritus esset consensus, qui alligaretur conditioni substantiae matrimonii repugnanti. Conditiones impossibile quidpiam aut immorale, quod matrimonii substantiae haud repugnat, continentes pro non adjectis habendae sunt.

54. Qui ante conditionem impletam matrimonium consummat, eo ipso conditioni nuntium mittit.

55. Ut consensus sub contitione detur, non nisi de expressa episcopi licentia admitti potest. Conditiones, quae in consensus declaratione haud exprimuntur, pro non appositis habendae sunt.

56. Ecclesia matrimoniorum et decori et puritati omni ex parte provisura, nec tamen consultum ducens, ut impedimentorum dirimentium numerus nimis augeatur, de matrimonio constitutiones edidit, pro quibus obedientiam postulat, quarum tamen transgressio matrimonii nullitatem minime involvit.

57. In quantum et quamdiu sponsalia obligationem ad matrimonium contrahendum inducunt, illicitas reddunt nuptias, quascunque sponsorum alter cum tertia quadam persona contrahit.

58. Vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis in religiosa quadam congregatione emissa, nec non votum simplex perpetuae castitatis, religionis, ordinis sacri et coelibatus eisdem ligatos haud sinunt matrimonium licite contrahere.

59. A prima dominica adventus usque ad festum epiphaniae domini inclusive, et a feria quarta cinerum usque ad dominicam in albis inclusive prohibitum est, nuptias celebrare.

60. Matrimonium, antequam contrahatur, a parocho sponsi ac sponsae tribus diebus dominicis vel festivis inter missarum solemnia publice denuntiandum, et omnis, cui impedimentum aliquod notum, ad revelandum istud monendus est. Persona nupturientium expresso utriusque nomine baptismali, cognomine, loco nativitatis, aetate, conditione ac domicilio adcurate determinetur.

61. Si sponsus vel sponsa non tantum verum, sed etiam quasi domicilium habet, trina proclamatio tam a parocho veri, quam a parocho quasi domicilii eorum instituenda est. Quando autem contingat, ut persona quaedam praeter domicilium verum plus quam unum habeat quasi domicilium, sufficit, ut matrimonium a parocho veri ejusdem domicilli ac ab uno parochorum, in quorum territorio quasi domicilium habet, rite denuntietur.

62. Si sponsus vel sponsa in nulla parochiarum, ubi secundum regulas antefatas proclamatio fieri debet, per sex saltem septimanas habitet, proclamatio instituatur praeterea in ecclesia parochiali ejus loci, ubi persona, de qua agitur, ultimo per sex saltem hebdomadas habitaverit. Peculiaribus rerum adjunctis, ne id commode fiat, obstantibus, ea de re ad episcopum referendum est.

63. Apud eos, qui neque verum habent domicilium, neque in loco quasi domicilii per anni ad minimum tempus jam commorantur, proclamationes etiam, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium eis competunt, et quando ejusmodi jura nullibi eis compe-

tant, quantum fieri possit, etiam in parochia loci eorum natalis instituendae sunt. Nupturiente non tantum vero, sed etiam quasi domicilio carente, proclamatio fiat tam in parochia, ubi tunc temporis commoratur, quam in loco, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium ei competunt, aut quodsi nullibi iisdem gaudeat, quantum fieri possit, in parochia loci natalis.

64. Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractas menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovationem episcopus imperet.

65. Antequam proclamationes rite institutae fuerint, matrimonium licite contrahi nequit.

66. Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis conjugia; improbat quoque matrimonia inter catholicos et christianos non catholicos et ab ipsis ineundis suos dehortatur.

67. Quando fundata adsit suspicio, nupturientibus impedimentum quoddam obstare, aut timendum veniat, nuptias magnis litibus vel scandalis, aliisve malis ansam praebituras, sacrorum antistiti jus competit et respective obligatio incumbit, matriimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non sit, matrimonium contrahere illicitum est.

68. Etiam in nectendo matrimonii vinculo memores sunto filiifamilias domini dicentis: Honora patrem tuum et matrem tuam! Praeterea prona est ad praepropera consilia juventus, nisi maturioris aetatis experientia regatur, et conjugia absque debita deliberatione inita uberem malorum continent fomitem. Quocirca illicita sunt matrimonia, quae parentibus justis ex causis assensum denegantibus contrahuntur.

69. Sanctum est christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam dominus ipse nos per apo-

stolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.

70. Ad matrimonii celebrationem contracturi tunc tantum admitti debent, quando conjunctioni eorum nullum, quantum sciri possit, obstet impedimentum et cuncta praestiterint, quae ecclesiae leges ad matrimonia invalida aut illicita excludendum praescribunt. In specie ipsis incumbit, proclamationes rite peractas esse comprobare nec non liberi status testimonium exhibere; et nisi aetas et origo eorum ex libris parochialibus colligi possit, literas baptismales afferre. Quodsi nupturiens testimonium sibi baptismale parare plane non valeret, parochus ad episcopum recurret. Supra memoratas legis austriacae praescriptiones quod attinet, magno agendum studio, ut a matrimonium contracturis exacte observentur. Quodsi contingat ut parochi monita nihil proficiant, res ad episcopum deferenda. Hoc ipsum fiat, si alia quacunque ex causa difficultates vel dubia enascantur.

71. Caveatur oportet, ne exteri aliter, quam servatis omnibus, quae ad matrimonium rite celebrandum requiruntur, matrimonium contrahere permittantur. In quantum parochus hoc in negotio procedere possit, quin ipsum curiae episcopali dijudicandum proposuerit, episcopus pro rerum adjunctis constituet.

72. Procurandum est, ut avertantur matrimonia eorum, qui annum quidem decimum quartum et respective duodecimum absolverunt, ast nondum attigerunt aetatem, qua pro terrae gentisque ratione aptitudo ad

matrimonium debita cum deliberatione ineundum et maturitas physica adesse solet.

73. Copulationem eorum, qui nec verum, nec quasi domicilium habent, peragere non licet, antequam episcopus ipse licentiam concesserit.

74. Quum matrimonium novi foederis sit sacramentum et ejus vinculo se devincientibus sanctas gravissimasque imponat obligationes, qui elementa fidei christianae ignorant, ad nuptias admitti nequeunt; immo antequam de Deo ejusque mandatis saltem scitu absolute necessaria didicerint, nec ad proclamanda ipsorum matrimonia parochi procedant.

75. Decet, ut sponsi, priusquam in facie ecclesiae foedere mortem usque duraturo jungantur, poenitentiae sacramento cor emundent et corpus domini nostri devote suscipiant. Nec ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent. De hisce ac omnibus, quae conferre possunt, ut matrimonium pie ac decore celebretur, statuta et laudabiles consuetudines cujusque dioecesis fideliter observandae sunt.

76. Parochus, cui copulationem peragere competit, tenetur, matrimonium contractum cum omnibus rerum adjunctis, quae ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiae suae propria manu inscribere. Distincte igitur exprimantur: Nomen baptismale, cognomen, aetas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper, an prius jam matrimonio juncti fuerint nec ne; porro nomen, religio, et conditio parentum et testium, dies, quo, nec non sacerdos, coram quo matrimonium inierunt. Quodsi difficultates emerserint, modus, quo sublatae fuerint, indicandus venit.

77. Quodsi parochus sacerdotem quemdam deleget ad copulandum sponsos in loco, ubi neuter eorum domicilium habet, incumbit ipsi, rem in libro copulatorum parochiae suae annotare. Parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, actum modo superius exposito libro copulatorum parochiae suae propria manu inscribere et addere simul debet, a quonam parocho delegatio concessa sit. Posterior tenetur pariter, copulationem peractam, de qua spatio octo dierum certior reddendus est, libro copulatorum parochiae ipsius inferre.

78. Casu, quo civis austriacus petit, ut matrimonium ab eo in exteris terris initum libro copulatorum parochiae, ubi nunc domicilium fixit, inseratur, parochus libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis episcopo proponet ac ejusdem exspectabit mandata.

79. Ea matrimonii impedimenta, quae juris canonici sanctionibus innituntur, dispensatione legitime obtenta et conditionibus, quae forsan adjunctae sint, adimpletis pro singulis cessant casibus. In impedimentis dirimentibus proprio jure dispensare solius apostolicae sedis est, cui reservatum quoque, in voto castitatis simplici, sed perpetuo, nec non in disparitate cultus inter catholicos et christianos non catholicos dispensationem indulgere.

80. Episcopi, quum canonicae non deficiant rationes, faciles erunt in utendo facultatibus a sancta sede concessis, sequentia quoad impedimenta:

1) In tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis ex copula licita.
2) In cognatione spirituali.
3) In affinitate ex copula illicita, nisi timendum sit, ne ex immundis commerciis nupturientes consanguinitate in linea recta juncti sint.

4) In tertio et quarto gradu justitiae publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato.

5) In justitia publicae honestatis provenienti ex matrimonio invalide contracto et non consummato, aut ex sponsalibus.

81. Caetera quod attinet impedimenta dirimentia, unanimi conatu agendum est, ut efficax eorum vigor aut asseratur aut restituatur. Ubi matrimonia inter consanguineos proximiores inita frequentiora occurrunt, corrumpunt intima familiarum commercia, utpote cupidinem pravam ejusque suspicionem excitantia.

82. Dispensatio ab omnibus tribus proclamationibus non nisi urgentissimis in casibus, a secunda vero et tertia proclamatione non nisi ex causis consideratu dignis et sufficienter probatis concedenda est.

83. Quum contingere possit, ut instans mortis periculum dilationem longiorem impossibilem reddat, episcopi in quovis districtu pro ratione locorum unum pluresve sacerdotes delegabunt, qui tali eveniente casu ipsorum nomine ab omnibus tribus proclamationibus dispensent.

84. Si duae personae, quae conjugio se junctas falso asserunt et in loco domicilii passim pro conjugibus habentur, matrimonium inter se contrahere optant, dispensatio ab omnibus tribus proclamationibus ipsis absque gravissima causa deneganda non est. Sedulo tamen examinetur, an ipsas peraeque pro conjugibus haberi veritate undequaque nitatur.

85. Nupturientes, quibus proclamationes penitus indulgentur, nunquam non tenentur, coram parocho, cui copulationem peragere competit, jurejurando firmare, quod ipsis nullum impedimentum conjunctioni suae obstans notum sit.

86. In libello supplici, quo dispensatio petitur, impedimentum cum omnibus adjunctis, a quibus ejusdem qualitas dependet, clare exponendum est; insuper rationum momenta, quibus petitio fulcitur, necessariis allegationibus instruantur. Episcopus de factis, quibus ejus decisio vel relatio sanctae sedi proponenda innitatur oportet, investigationes necessarias habebit.

87. Quodsi impedimentum occultum, nec ipsius propalatio prudenter timenda sit, ad conscientiae consulendum dispensatio suppresso conjugum nomine etiam per confessarium seu aliam idoneam personam peti ac impetrari potest. Hujusmodi tamen dispensatio in foro externo nullatenus suffragatur: quocirca quando impedimentum praeter exspectationem publicum fieret, ne matrimonium coram judice humano in discrimen adducatur, dispensationem pro foro externo valituram servatis servandis petere oporteret.

88. Si copulatio forma debita peracta propter impedimentum matrimonio obstans invalida fuit, dispensatione obtenta matrimonii convalidatio institui debet.

89. Dispensatione pro foro conscientiae tantum concessa ad matrimonium convalidandum sufficit, ut ambae partes consensum absque parocho et testibus renovent.

90. Obtenta dispensatione, quae pro foro externo valet, consensus invalide copulatorum coram parocho, in cujus parochia domicilium habent, et duobus testibus renovetur oportet. Parochus nunquam non convalidationem peractam libro copulatorum inserere debet, quando autem conjunctio invalida in alia parochia contracta fuerit, res hujus praeterea loci parocho communicanda est, ut ipse convalidationem peractam inscriptioni, quae de matrimonio invalido facta sit, diligenter adjungat.

91. Proclamationes tali casu haud repetantur; copulatio a parocho privatim et coram fidis testibus peragatur. Exceptio fieri potest, quando impedimentum loco, quo convalidatio instituenda veniat, notorium sit.

92. Impedimento absque dispensatione mutatione facti sublato, conjugibus injungendum est, ut consensus declarationem coram parocho et duobus testibus iterent, nisi forsan, quod nuptiarum celebratarum tempore impedimentum obtinuerit, et omnino occultum nec ullum rei probandae sit periculum: tunc enim concedi potest, ut consensum inter se renovent.

93. Matrimonium, quod consensus fictus irritum reddit, consensu ab eo, qui ficte egerat, vere praestito convalidatum censeatur oportet. Idem obtinet de matrimonio, cui error seu vis metusque obstitit, quamprimum pars, quae errori aut violentiae injustae suberat, recognito errore aut libertate plene recuperata verbo factove assensum suppleverit. Nihilominus ad omne de consensu praestito dubium sequestrandum his quoque in casibus consultum est, ut conjuges consensum coram parocho et duobus testibus renovent; igitur hoc ut fiat, agendum erit, nisi obversetur prudens scandalorum vel matrimonii in discrimen adducendi metus.

94. Convalidatione peracta matrimonium quoad effectus civiles ita considerandum venit, ac si ab initio valide contractum esset. Idem de effectibus ecclesiasticis obtinet, quando vel una tantum pars nuptiarum celebratarum tempore ignorantia facti aut juris detenta fuerit. Alias ad dispensationis remedium confugiendum erit.

Titulus secundus.

De processu matrimoniali.

95. Causae matrimoniales ad judicem ecclesiasticum spectant, cui soli competit, de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivandis sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis judicat.

96. Conjuges in causis matrimonialibus subsunt episcopo, in cujus dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est, si conjugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu quaelibet pars jus accusanti contra alteram ipsi competens coram episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud episcopum, intra cujus dioecesim domicilium ejus situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio judicialis intimata est, mutatio quoad conjugum domicilium facta mutationem respectu judicis competentis minime operatur.

97. Episcopus in tractandis causis matrimonialibus utitur tribunali, quod ex praeside et consiliariis ad minimum quatuor constare debet. Nec tamen ultra sex consiliariorum numerus facile ascendat. Adjungatur eisdem secretarius nec non vir idoneus, qui aliquo tribunalis consiliario, ne munere fungatur, praepedito ejus locum teneat. Congruum erit, eundem ad sessiones, quibus ad supplendum necessarius haud est, qua assessorem absque suffragii jure admittere. Quando propter magnum dioecesis ambitum commode fieri haud possit, ut praeses negotiis juxta instructionis hujus tenorem ipsi incumbentibus solus fungatur, adjungatur eidem, qui vices ejus teneat.

98. Episcopus membra tribunalis matrimonialis nominat, et, quando finis ratio exigere ipsi videatur, a collato munere vel suspendit vel removet. Viros seliget debitis dotibus praeditos, et quibus nulla ex parte exceptionis nota opponi possit.

99. Causas referendas, nisi episcopus peculiare quid statuat, praeses consiliariis distribuit. Decisio majoritate suffragiorum absoluta fertur. Praeses mentem suam ultimus explicat et quando ipsius computato suffragio paria emergant vota, rem suffragio suo decernit, nisi de sententia super matrimonii validitate ferenda agatur, quo quidem in casu votis paribus existentibus nunquam non pro validitate standum erit. Si episcopo visum fuerit, praesidi virum, qui vices ejus gerat, adjungere, de negotiis eidem assignandis necessaria constituet.

100. Consiliarius tribunalis matrimonialis, cujus ea est ad partes relatio, ut testis suspectus vel et respective inhabilis foret, ista in causa a functionibus suis exercendis abstinebit.

101. Appellatio ab episcopo dioecesis ad metropolitam provinciae ecclesiasticae, a metropolita vero ad sanctam dirigitur sedem. Idem locum habet, quando res secundum legis ecclesiasticae tenorem ad quartam instantiam devolvi potest vel debet. Causae, quas metropolita vel episcopus exemtus in prima instantia cognovit, in secunda quoque a sede apostolica judicantur.

102. Appellatio apud tribunal, contra cujus sententiam directa est, intra decem a sententia communicata dies annuntianda venit; tribunal vero intra triginta dies, qui pariter ab intimatione peracta computandi sunt, acta ad instantiam superiorem remittere debet. Pars appellans ea de re certior reddatur et commoneatur, quod intra triginta ab intimata hac injunctione

dies gravamen ad judicem, apud quem appellatio secundum juris ordinem interponenda est, deferre teneatur. Supplicatio de longiori termino concedendo tribunali, cujus sententia impugnatur, proponi debet; nec ei absque gravi causa annuendum est. Si pro rerum adjunctis necessarium sit, ad sedem sanctam preces de delegato nominando dirigere, tribunal, quamprimum de nominatione peracta notitiam ex officio nactum sit, ad actorum transmissionem absque ulla mora procedet.

103. Si conjuges vel nupturientes, qui in causis matrimonialibus citantur, competentiam tribunalis impugnare posse autumant, eidem intra decem post citationem intimatam dies exceptiones suas exponere debent. Quando reclamatio pro non fundata declaretur, liberum eis est, ad instantiam proxime superiorem appelationem dirigere.

104. Competentia, quam impugnarunt, per tribunal superius confirmata contendentes coram primae actionis judice causam dicant, oportet.

105. Parocho matrimonium contrahere cupientes vel repellente vel inducias adhibente, liberum ipsis est, curiam episcopalem adire, quae pro rei conditione aut obstacula removere sataget aut negotium tribunali matrimoniali perpendendum definiendumque transmittet.

106. Quando difficultas in obmoto quodam impedimento dirimenti sit posita, tribunal matrimoniale perpensis individuis casus circumstantiis dijudicabit, an copulationis denegandae sufficiens adsit causa. Qua regulam tamen tenebit, melius esse, ut matrimonium valide contrahendum differatur, quam ut ansa praebeatur matrimonio invalido cum omnibus, quae ipsum concomitari assolent, malis. Depositio unius testis fide digni, nec non fama, qualis et graves cordatosque viros movet, nunquam non sufficit, ut nupturientes, usque dum res uberius dilucidata sit, repellantur.

107. Si provocando ad sponsalia reclamatio instituatur, parochus casu, quo sponsalia invalida sint, partes ea de re edoceat; si autem valida censeat, litem amice componere conetur. Reclamatione immediate ad tribunal matrimoniale directa, nisi forsan invaliditas in propatulo sit, parocho ante omnia injungendum est, ut commonitiones et consilia paterne adhibeat.

108. Praesumtio stat pro libertate quoad conjugis electionem: unde contra sponsalia pronuntiandum est, quoties de eorumdem validitate plene non constet.

109. In eos, qui promissionem sponsalibus datam implere recusant, admonitione potius, quam coactione agendum est. Omnis pactio de poena conventionali, si a sponsalibus resiliretur, persolvenda non tantum illicita, sed etiam invalida est.

110. Si judicium matrimoniale sponsalia irrita esse censeat, necessaria disponat, ut matrimonii celebratio ulterius haud retardetur.

111. Declarata sponsalium validitate judicium matrimoniale per commissarium tentabit, partes ad amicam commovere compositionem. Damni compensationem quod attinet, id agatur, ut conventionem aequis sub conditionibus stipulentur. Super petitione unius saltem partis pecunia quoque compensationis loco solvenda statui potest. Quando actori non sufficiat, liberum quidem ipsi est, de damni compensatione judicium saeculare interpellare, verum reclamationis ab eo matrimonio oppositae ratio non amplius habeatur.

112. Quando conventio de resiliendo a sponsalibus vel aequam compensationem praestando obtineri non posset, nuptiarum, adversus quas reclamatio instituta est, celebrationem admittere pro minori deberent reputari malo.

113. Quodsi personae, quae matrimonio se junctas esse falso praetendunt, ordinariam ad matrimonium contrahendum viam ingredi non possint, quin sibi aut liberis suis gravia generent damna, rem aut ipsi aut per curatorem animarum ad tribunalis matrimonialis praesidem deferre possunt, qui investigationes ad abusum omnem excludendum necessarias habebit aut haberi curabit. De regula in negotio tractando duos tribunalis consiliarios adhibere debet; quando autem peculiaria rerum adjuncta strictissimum exigant secretum, episcopus ei permittere potest, ut solus rem pertractet.

114. Ecclesia, utpote fidei ac morum custos, matrimonii invigilat sanctitati ac vinculo indissolubili. Quodsi catholicus homo in conjunctione vivat, quae, quum impedimentum dirimens ei obstet, matrimonii nomen perperam usurpet, ipsa ad veri matrimonii dignitatem elevari aut, quando id fieri nequeat, invalida pronuntiari ac dirimi debet. Vicissim indissolubile matrimonii vinculum adversus omne ipsum sub invaliditatis praetextu dirimendi conamen magno vigore manuteneri debet.

115. Matrimonium impugnandi jus, in quantum haud expresse ad conjuges restringatur, competit catholico cuivis, exceptis iis, qui sua hac in re commoda quaerere suspecti sunt, vel quamvis matrimonium contrahendum esse sciverint ac proclamationes debito modo institutae essent, impedimentum absque legitima excusatione silentio presserint.

116. Propter errorem et coactionem injustam ea tantum pars, quae in errore versata aut cui consensus coactione injusta extortus est, matrimonium accusare potest. Jure suo excidit, quando, postquam errorem agnovisset aut metus, qualis ad matrimonium irritandum sufficiat, cessavisset, debitum conjugale voluntarie ac

scienter praestiterit vel etiam, quin circumstantia ista probari possit, conjugale vitae consortium per sex menses voluntarie continuaverit.

117. Quando matrimonium sub conditione contrahere per exceptionem concedatur, matrimonium propter conditionem non impletam ab eo tantum conjuge accusari potest, qui neque in conditionem positum adesse falso asseveraverit aut, quod haud existant, dolo reticuerit neque, ne conditio impleatur, sua culpa impedierit. Renuntians conditioni accusandi jure se exuit.

118. Propter impotentiam matrimonium consummandi, nisi notoria sit, conjuges tantum matrimonium accusare possunt.

119. In valorem matrimonii, cui impedimentum impubertatis obstat, pubertate impleta super ejus tantum, qui matrimonii contracti tempore impuber fuerat, conjugis petitione inquirendum est.

120. Propter impedimentum raptus raptor adversus matrimonium reclamare nequit. Rapta, quae raptui consensit, suo matrimonium accusandi jure in exordio libertatis plene recuperatae utatur; alias non amplius audiatur.

121. Impedimento ligaminis mutatione facti sublato, quando una pars, dum invalidas celebraret nuptias, impedimenti existentiam absque sua culpa ignoraverit, altera, quae impedimenti conscia fuerat, matrimonium accusandi jure haud potitur.

122. Omnibus casibus et propter omnia impedimenta, quorum respectu jus accusandi conjugibus aut uni ipsorum haud privative competit, tribunal matrimoniale ex officio procedere debet, quam primum aut notorietate facti aut denuntiationibus allatis aliove modo sufficiens suppeditet causa.

123. Tum quando matrimonium ab eo, cui de jure concessum est, accusatur, tum quando inquisitio ex officio instituitur, matrimoniale tribunal nunquam non tenetur, cuncta, quae veritati perfecte investigandae inservire possunt, ex officio ordinare et executioni mandare.

124. Cujusvis est episcopi, virum pietate et juris scientia insignem et quidem ex ecclesiastico, si fieri potest, coetu matrimonii defensorem constituere et quando is munere suo fungi impediatur, virum necessariis dotibus instructum ad ejus locum tenendum nominare.

125. Defensor matrimonii et in muneris ingressu et quoties matrimonii cujusdam valorem tuendum suscipit, jurare tenetur, se omnia, quae ad matrimonii vinculum servandum facere possunt, diligenter exploraturum et ad ipsum tuendum fideliter adhibiturum fore. Tribunalis matrimonialis ea de re sessionibus intersit. Ad partes audiendas, ad testium depositiones excipiendas et in genere ad omnes actus judiciales citetur oportet. Quivis actus judicialis, in quo aut ipse aut, quem episcopus ad ejus locum tenendum nominaverit, praesens haud fuerit, qua invalidus et irritus censendus est.

126. Matrimonii valorem impugnans accusationem, respective petitionem, ut nullitas pronuntietur, aut scripto expressam afferre aut in gesta redigendam viva voce exhibere potest. Facta, quibus assertio nullitatis superstruitur, distincte ac plene proponenda et probationes, quas praesto sibi esse autumat, indicandae sunt.

127. Qui matrimonium scripto porrecto accusat, coram tribunali matrimoniali aut ejus commissario personaliter se sistere atque de scitu necessariis respondere debet; alias accusatio ab eo facta qua mera denuntiatio consideranda et tractanda erit.

128. Denuntiationes oretenus factae in acta redigantur; si scripto proponantur, curandum est, ut auctor personaliter examinetur. Omnes ad eum dirigantur interrogationes, quae ad quaestionem facti in claram lucem vindicandam contribuere possunt.

129. Denuntiationes scripto exhibitae, quarum auctores personaliter examinari nequeunt, sub peculiaribus tantum rerum adjunctis pro sufficienti processus instituendi causa haberi possunt. Depositionibus tamen in iis contentis pro re nata utendum est ad ulteriores investigationes instituendas.

130. Denuntiationes scripto factae, quarum auctor nomen abscondit, per se sumtae nunquam sufficiunt, quae ansam praebeant ad inquirendum de matrimonii valore.

131. Quodsi de obtinente quodam matrimonii impedimento fama divulgetur, quae omnibus perpensis circumstantiis attentionem meretur, tribunal matrimoniale circa fundamentum harum narrationum vel assertionum investiget atque dijudicet, an, quae eruantur, inquisitionem decerni postulent.

132. Denuntiationum super impedimentis, propter quae conjugibus tantum jus accusandi competit, de regula nullatenus ratio habenda est: ubi autem ex allatis liquido constet, matrimonium aliquod propter ejusmodi impedimentum irritum esse, ex officio agendum est, ut vel convalidatio peragatur vel pars accusandi jure pollens adversus matrimonium reclamet.

133. Quodsi impedimentum in jus adductum tale sit, ut quomodocunque res se habeat, consensus certe conjugis matrimonium accusantis ad ipsum removendum sufficiat, ordinario conjugum animarum curatori aut pro rerum et personarum conditione alii sacerdoti in-

jungendum est, ut admonitionibus opportunis partem matrimonium impugnantem ad consensum renovandum inducat vel etiam pro re nata obtineat, ut consensus declaratio coram parocho et duobus testibus iteretur.

134. Referat, cui negotium commissum est, ad tribunalis matrimonialis praesidem conaminum exitum, et quando conjux matrimonium impugnans consilio caput insistat, superaddat, quaecunque de factis, a quibus valor matrimonii accusati dependet, comperire potuit.

135. In quantum emergentibus impedimentis, quae conjugum consensu removeri nequeant, praevie cooperatio quaedam animarum curatoris disponenda veniat, a conditione casus et prudenti tribunalis matrimonialis judicio dependebit.

136. Conjugum altero matrimonium accusante, praeprimis inquirendum est, an forsan ea obtineant rerum adjuncta, ut, si actor unquam reclamandi jus habuerit, nunc certe temporis eodem exutus sit: quod quando extra dubium sit positum, actio haud admittatur.

137. Ubi accusatio matrimonii facto innitatur, quod, licet verum undequaque esset, niholominus aut absolute aut sub circumstantiis ab ipso actore expositis matrimonium irritando impar foret, accusatio absque ulteriori inquisitione repellenda est.

138. Fieri potest, ut factum, cui accusatio innititur, veritate quidem ejusdem supposita matrimonium irritaturum foret, attamen assertionis falsitas in propatulo sit. Tali casu actor de rei statu edocendus et, ut ab accusatione desistat, commonendus est. Obsequium ipso detrectante, nisi forsan, quae afferat, aperte inepta vel absurda sint, accusatio per conclusum a tribunali matrimoniali debita forma conditum rejiciatur oportet.

139. Quando impedimentorum, quae §. 80 enumerantur, quoddam obmoveatur, tribunal matrimoniale inquisitionem in forma juris instituendam, quantum fieri possit, evitet. Plerisque casibus mediante clero parochiali obtineri poterit, ut dubia factum attinentia eliminentur. Impedimento per libros parochiales vel depositiones fide dignas comprobato, episcopus dispensationem, qua opus est, tribuet curamque habebit, ut convalidatio omni scandalo diligenter semoto peragatur. Urgente periculo, ne conjuges vel alter eorum impedimento detecto ad consortium vitae dissolvendum abutantur, apud sanctam sedem de sanando matrimonium in radice supplicandum foret.

140. Quoties in valorem matrimonii alicujus inquirendum sit, tribunal matrimoniale commissarium ad quaestionem facti eruendam nominet.

141. Commissarius ad inquirendum deputatus, antequam ad probationes in forma juris instituendas procedatur, anniti debet, ut omnium circumstantiarum, quae ad matrimonii valorem vel nullitatem extra dubium ponendum facere possint, accuratam acquirat notitiam. Hunc in finem pro conditione casus et personarum necessariae percunctationes faciendae; postea conjuges, personae matrimonium accusantes, vel quae impedimentum denuntiarunt, et in quantum fieri potest, etiam testes, qui pro matrimonio aut contra illud producuntur, defensore matrimonii praesente praevie interrogandi sunt.

142. Inquisitionis praeviae resultatum tribunali proponendum est matrimoniali, quod ordinationes dabit de iis, quae forsan adhuc necesaria ducat. Quo facto omnia disponenda sunt ad processum probatorium absque ulla cunctatione habendum.

143. Tam in praevia inquisitione, quam ad processum probatorium conjuges personaliter se sistere

debent. Conceditur quidem, ut advocatos secum adducant, et antequam declarationem exhibeant, eorum consilium expetant; verum eae tantum declarationes, quas ipsimet pronuntiant, qua ipsorum mentem explicantes protocollo inserendae sunt. Quodsi advocatus proprio nomine quaedam casum matrimonialem attinentia deponat, haec ita excipienda et tractanda sunt, quomodo excipi et pertractari deberent, quando ipse haud qua advocatus comparuisset. Advocato negotium perturbante commissarii est statuere, ut loco excedat.

144. Si conjuges citati tribunal incompetens esse asseverent, ad normam §§. 103, 104 procedendum est.

145. Conjugibus, qui citatione facta non comparent, aliam quam incompetentiae excusationem praetendentibus, de eadem vel admittenda vel rejicienda tribunal judicabit. Convenienti ex causa, ut terminus prolongetur, concedi potest. Si rationes adductae minus firmae inveniantur, vel quando quis nulla excusatione proposita comparere neglexerit, terminus eis pro domicilii distantia dimetiendus statuatur. Eo elapso a judicio saeculari, ut citatos ad comparendum adigat, petendum est. Casu, quo petitio ista ex qualicunque causa effectum haud sortiatur, procedura etiam absque citati praesentia inchoanda est.

146 Magna cura agendum est, ut conjuges ad quaestionem facti eruendam coram commissario ad inquirendum deputato personaliter compareant. Quando id praestiterint ac domicilium eorum a sede tribunalis matrimonialis longius distet, ipsis supplicantibus pro interrogationibus ulterioribus loco, quo habitant, aut non procul ab eo delegatus substitui potest. Defensor matrimonii jus quidem habet, ejusmodi interrogationibus semper et ubique adesse; petere tamen potest, ut pro iisdem, qui ejus locum teneat, constituatur. Hicce jurejurando

promittere debet, se in interrogatione causam ligaminis conjugalis, quam optime sciat ac possit, tuiturum esse; instructionesque ac notitiae forsan necessariae a defensore matrimonii ei communicandae sunt. Delegato non tantum interrogationes conjugibus proponendae transmittantur, sed de omnibus quoque instruatur circumstantiis, quarum cognitio ad investigationem, prout expedit, dirigendam requiritur. Conjugibus in alia dioecesi commorantibus in finem interrogationum ulteriorum tribunal matrimoniale dioecesis illius, ut cooperari velit, rogandum erit.

147. Praesumtio stat pro valore matrimonii; impedimentum plene probari debet.

148. Confessio, quam conjuges in ipsa inquisitione faciunt, aut anteriori tempore, attamen post matrimonium, quod accusatur, jamjam contractum fecerunt, in quantum adversus matrimonii valorem pugnat, omni vi caret. Confessio, quam conjuges, antequam matrimonium accusatum contraxerant, deposuerunt qua nullitatem probandi medium rejicienda haud est.

149. Confessio conjugum, quae pro matrimonii valore militat, vim probandi in iis habet casibus, in quibus conjugibus accusandi jus privative reservatur. Alias praesumtionem tantum generat.

150. Quod conjuges aut alter eorum haud compareant, adversus matrimonii valorem nihil probare potest: unde eo probandi onus matrimonium accusanti incumbens diminui haud debet.

151. De testibus admittendis vel respuendis, de fide ipsis habenda et exceptionibus eisdem oppositis tribunal matrimoniale juxta generales juris canonici normas et peculiares, quos negotii natura postulat, respectus in singulis casibus judicabit.

152. Si conjux matrimonium accusans contra testem, qui suspectus, immo et respective inhabilis censendus est, exceptionem haud faciat, ipse ad testimonium pro matrimonio ferendum admitti potest. Verum quod conjuges contra testem aliquem haud excipiant, rationem nunquam suppeditat, depositionem ejus contra matrimonium directam pro fide digna accipiendi.

153. Relationes, quae praesumtionem fundant, testem pro uno aut contra unum conjugum partium studio agi, eas tantum depositiones suspectas reddunt, quae in commodum vel in praejudicium respectivi conjugis cedunt.

154. Si testis ad utrumque conjugem tales habet relationes, quae praesumtionem partium studii eodem fere gradu generant, relationes hae per se sumtae haud sufficiunt, ut depositio, quae in commodum unius, sed in praejudicium alterius conjugis cedit, qua suspecta habeatur.

155. Consanguinei conjugum a testimonio pro matrimonio aut contra illud ferendo tum tantum excludendi sunt, quando ex individua casus natura peculiares oriantur rationes, eos de partium studio suspectos habere.

156. In dijudicanda credibilitate consanguineorum et omnium personarum, quarum ad conjuges relatio partium studii suspicionem inducit, imprimis considerandum est, an conjuges nullitatem matrimonii exoptent, necne.

157. Omnes ii, de quibus supponendum est, quod circumstantiarum, quae in nullitatis quaestionem influxum exercent, bene gnari sint, etiam tunc audiri debent, quando qua testes repellendi forent, quia depositiones eorum praesumtiones stabilire ac viam ulterioribus recludere possunt dilucidationibus.

158. Tam partes quam defensor matrimonii jus habent, testibus pro matrimonio aut contra illud productis exceptiones opponendi.

159. Testimonium personaliter ferendum est; scripta absentium testimonia probationem haud faciunt, sed praesumtionem tantum fundant.

160. Si testium habitatio tantum distet, ut in sede tribunalis matrimonialis interrogari nequeant, secundum normas, quae §. 146 de ulterioribus conjugum interrogationibus stabilitae sunt, procedendum erit.

161. Interrogationes testibus proponendas commissarius ad inquirendum deputatus concipit ratione habita omnium, quae in hucusque gestis emerserunt, nec non punctorum interrogatoriorum, quae a partibus forsitan exhibita sunt, et communicatis cum matrimonii defensore consiliis. Posterior jus habet, quae ipsi e re esse videntur, superaddendi vel et petendi, ut interrogationes tribunali matrimoniali adprobandae proponantur.

162. Jurati tantum testis depositio vim habet legitimae probationis. Testes, quos admittere nil impedit, antequam examinentur, tactis sacrosanctis Dei evangeliis jurare debent, se de interrogationum ad eos dirigendarum objecto veritatem, quo modo eam coram Deo et conscientia compertam habeant, plene ac intemerate, quin aliquid addant, omittant vel immutent, edicturos fore. Congrua de jurisjurandi sanctitate admonitio praemittatur.

163. Ad jusjurandum a testibus praestandum conjuges ac, si matrimonium a tertio quodam accusetur, iste quoque, vocandi sunt. Attamen vocatorum absentia, quin jusjurandum excipiatur, impedire nequit.

164. Examen testium partibus remotis et singillatim instituendum est ac, antequam omnino terminatum sit, testium depositiones haud publicentur.

165. Quod a duobus testibus, quibus nulla exceptio in lege fundata opponi potest, distincte ac conformiter deponitur, in quantum haud alia testimonia fide digna aut circumstantiae, quae praesumtionem gravem stabiliant, refragentur, de regula qua plene probatum censeri debet. Verum quando de circumstantia agitur, a qua valor matrimonii dependet, minime sufficit, relationem vel factum, quo testium veracitas in dubium vocetur, evictum haud esse, sed oportet probatum sit, eos intemeratae probitatis et suppositioni, quasi perjurio conscientiam gravare possint, locum haud esse.

166. Quando ad probationem conficiendam rei periti adhibendi sint, eorum duos saltem et eos scientia et integritate praestantes omnique partium studio expertes tribunal matrimoniale seliget, qui juxta instructionem a commissario exarandam et a matrimonii defensore adprobandam investigationem debitam habeant et animi sententiam scriptis pandant. Relate ad partium studium contra rei peritos eaedem valent exceptiones, quae ipsis, si testes agerent, opponi possent.

167. Rei periti jurati sint oportet. Ubi de facto agitur, a quo validitas matrimonii dependet, jusjurandum eis etiam tunc deferendum est, quando jam juramento in munere adeundo deposito se obstrinxerint, fore ut veritatem in consultis dandis sancte servent.

168. Genuinitas instrumentorum, quae adversus matrimonii valorem pugnant, depositionibus conjugum aut talium personarum, quae qua testes aut suspectae aut inhabiles reputari deberent, probari nequit.

169. Jusjurandum a conjugibus praestitum aeque ac eorumdem confessio probationem de impedimento obtinente suppeditare aut supplere nequit.

170. In quantum ad probandam circumstantiam, a qua jus matrimonium accusandi dependet, jusjurandum

conjugis matrimonium accusantis admitti possit, tribunal matrimoniale de casu in casum perpendat et decernat.

171. Si impedimenti natura prohibeat, ne ex officio procedatur, jusjurandum conjugis matrimonii valorem asserentis qua probatio pro matrimonio admitti potest.

172. Si conjux matrimonium ex injustae violentiae titulo accusat, ii, qui ex ejus assertione coactionem injustam exercuerunt, citandi et examinandi sunt. Accusatione contra alterum conjugem directa, ejusdem confessione probatio stabiliri nequit. Quodsi parentes facta confitentur, ex quibus coactio injusta et matrimonium irritans resultaret, omnibus perpensis circumstantiis dijudicandum est, an forsan colludant cum prole conjugii solutionem desiderante? Ceterum in quantum accusatio haud alterum attineat conjugem, juxta normas generales de probationibus in delictorum causis valentes procedendum est.

173. De rapta, quae cum raptore, dum in ejus potestate permaneret, matrimonium contraxit, praesumendum est, quod matrimonii ineundi causa rapta sit. Quodsi contrarium plene probatum fuerit, consistit nihilominus praesumtio, eam violentia injusta ad consentiendum adactam esse. Haec ipsa praesumtio adversus omne matrimonium militat, quod a quacunque persona quacunque ex causa rapta, antequam libertatem penitus recuperaverit, contractum fuerit.

174. Etiam, quando in matrimonium propter impedimentum impotentiae inquiratur, normae de confessione et juramento conjugum propositae qua regula tenendae sunt. Si duo rei periti, in quorum scientia et animo a partium studio remoto tribunal matrimoniale plenam collocet fiduciam, unanimes declaraverint, impotentiam adesse insanabilem et absolutam ipsamque matrimonium praecessisse, hoc non obstante pars, cujus impotentia

asseritur, petere potest, ut tertius quoque rei peritus investigationem habeat. Si impotentia pro respectiva tantum declaratur, conspirans trium saltem rei peritorum consultum ad probationem plenam necessario requiritur. Quodsi dubium remaneat, an impotentia insanabilis existat et matrimonium antecesserit, rejicienda est declarandae invaliditatis petitio.

175. Exceptio locum habet, quando aut probatum sit, matrimonium nondum consummatum esse, aut nullitatis declarandae petitio intra tres a matrimonio contracto annos proponatur, simulque impotentiam adesse, non tantum ab utroque conjuge asseveretur, sed etiam a duobus rei peritis fide dignis qua valde verisimile astruatur. Tali casu conjuges consortium matrimoniale per tempus a tribunali constituendum, nunquam vero non tam diu continuare debent, donec in eo per triennium vixerint. Si elapso hoc tempore denuo petant, ut nullitatis sententia feratur, tribunal matrimoniale certius ante omnia se reddat, nil immutatum esse quoad facta, ex quibus impotentiam verisimilem et respective matrimonium nondum consummatum esse colligeretur. His peractis conjugibus permitti potest, ut impotentiam adesse jurejurando attestentur, et istud plenam probationem efficit.

176. Absoluto processu probatorio conjuges et quicunque matrimonium accusaverit, nec non defensor matrimonii moneantur de eo, quo pollent jure, in hucusque acta animadvertendi. Exceptiones, si quas habeant, intra octiduum proponant. Ratione domicilii interesse habentium terminus protrahi potest, ita tamen, ut major, quam necessaria sit, mora non concedatur.

177. Et tribunal matrimoniale et matrimonii defensor ex officio eas possunt ordinare investigationes, quae ad proceduram quoad probationes complendam necessariae ipsis videntur.

178. Antequam sententia feratur, tribunal matrimoniale ea, in quae decernenda consensit, episcopo adjunctis rationum momentis subjiciet; qui quando sententiam ferendam haud sufficienter fundatam esse censeat, tribunali matrimoniali injunget, ut circumstantias ab ipso indicandas denuo mature perpendat et de consultationum resultato ad ipsum referat.

179. Appellatio admittenda est, donec matrimonii validitas per duas aut ejus invaliditas per tres sententias conformes pronuntiata sit. Duabus sententiis pro matrimonio et duabus contra illud militantibus, matrimonium pro valido tenendum est.

180. Prima instantia sententiam pro matrimonii validitate ferente, matrimonium accusans ad secundam instantiam appellare potest. Quodsi validitas in secunda instantia confirmetur, nulla amplius provocatio locum habet. Si matrimonium in secunda instantia pro invalido declaretur, matrimonii defensori incumbit, ex officio ad tertiam provocare instantiam. Si tertia instantia pro matrimonii valore judicat, ulterior haud obtinet appellatio. Quando autem contra valorem decernat, defensor matrimonii petere debet, ut quarta constituatur instantia, pro cujus sententia matrimonium vel validum vel invalidum reputetur oportet.

181. Si prima instantia matrimonium invalidum declaret, matrimonii defensor ex officio appellare debet. Si secundae instantiae judicium pariter invaliditatem pronuntiet, defensor matrimonii, nisi prostantes invaliditatis probationes omne dubium secludant, causam ad tertiam instantiam deferre tenetur. Invaliditatis sententia per tertiam quoque instantiam lata, ulterior appellatio institui nequit. Si validitatem ea pronuntiet, actori liberum est, petere, ut quarta constituatur instantia, et hujus sententia qua finalis habenda est.

182. Quando in prima et tertia instantia adversus matrimonium, in secunda autem pro eo sententia feratur, matrimonii incumbit defensori, quartam petere instantiam.

183. Appellatio a defensore matrimonii interposita ex sua natura parti simul prodest, quae pro matrimonii validitate agit. Liberum nihilominus ipsi est, eamdem apellationem independenter a matrimonii defensore interponere; consultum tamen, ut cum eo hoc de negotio consilia conferat.

184. Relate ad appellationes, quas interponere defensor matrimonii muneris sui ratione obligatur, nulli habentur dies fatales. Si intra terminum praescriptum appellationem haud annuntiet, judicium, a quo appellare debet, ipsum ad officium suum implendum compellat vel pro casus ratione etiam ad episcopum ea de re referat et proponat, ut matrimonii defensio alii viro omni ex parte habili concredatur.

185. Judex, qui in superiori instantia sententiam fert, non tantum in inferioribus instantiis gesta diligenter examinet, sed etiam omnia peragat, quae necessaria ducit, ut defectus suppleantur, dubia dilucidentur et errores corrigantur. Hunc in finem conjuges examinare, de instrumentis probandi ergo adhibitis investigationes instituere ac testes, a quibus novas informationes sperat, audire potest. Experimenta tamen per rei peritos facta tunc tantum iterari debent, quando indiciis praesumtionem gravem generantibus probabile reddatur, aut errorem aut partium studium intercessisse.

186. Tam partes quam defensor matrimonii jus habent, in superiori instantia novas probationes afferendi.

187. Sententia nulla est, si a judice haud competente lata vel actus judicii essentialis aut prorsus

omissus, aut, quin matrimonii defensor adhiberetur, institutus fuerit. Attamen valor sententiae a judice superiore latae ideo, quod inquisitionem ulteriorem habere necessarium haud duxerit, sed secundum allegata causam deciderit, impugnari minime potest.

188. Nullitatis actio intra tempus appellationibus praefixum coram judice proxime superiori instituenda est.

189. Quum conjuges exceptionem incompetentiae intra decem a citatione intimata dies proponere debeant, (§. 103), jure carent sententiae latae incompetentiae assertionem obgerendi; superior tamen judex sententiam propter competentiae defectum ex officio irritam declarare potest.

190. Sententia de nullitatis actione lata appellationem haud admittit.

191. Processus pro nullo declaratus coram eodem judice aut, quando ob competentiae defectum irritatus sit, coram judice, qui competens pronuntiatus, forma debita iterandus est.

192. Quando matrimonium irritum esse, tribus conformibus sententiis decretum, impedimentum vero ejusmodi sit, ut renovatione consensus aut dispensatione indulta e medio tolli possit, episcopus, nisi gravis causa contrarium suadeat, aget, ut matrimonium convalidetur.

193. Si natura impedimenti dispensationem excludat aut conamen, adducendi convalidationem, effectu careat, nullitatis declaratio partibus annuntianda est nec non prohibendae sunt, ne amplius sibi cohabitent.

194. Cuivis sententiae rationum, quibus innititur, momenta succincte quin tamen essentiale quidpiam omittatur, adjungenda sunt. In sententia finali invaliditatem pronuntiante disertis declaretur verbis, ex parte

prioris conjugii nullum novis ineundis nuptiis impedimentum superesse. Quaelibet sententia judicum et secretarii subscriptione nec non curiae episcopalis signo munienda est.

195. Sententia partibus per apparitorem dimissa etiam copia notificatur; de quo peracto fides in scriptis facienda erit. Cujusvis sententiae de matrimonii valore latae episcopus gubernatorem provinciae certiorem reddet.

196. Sententia de matrimonii valore dicta nunquam in rem judicatam abit. Si post decursum temporis probetur, eam suppositione erronea niti, causa denuo in jus vocanda et forma debita pertractanda est. Si contingat, ut sententia matrimonii nullitatem pronuntians retractetur, eo ipso matrimonia cuncta, quae conjuges intermedio forsan tempore inierunt, pro irritis declarata sunt.

197. Excepto casu, de quo §. 196 agit, inquisitio de matrimonii valore tum tantum, quando sententia primae instantiae irrita declaretur, tamquam de novo iterum institui potest.

198. Ille, cujus impotentiae pro absoluta et insanabili declaratae sententia nullitatis innititur, ad nuptias ineundas admitti nequit. Quando postea quomodocunque pateat, eum ad matrimonium consummandum aptum esse, redintegratur conjugium prius ab eo initum.

199. Per se liquet, conjuges, antequam finalis nullitatis sententia lata sit, ad novum contrahendum matrimonium nullatenus admitti debere. Quamvis autem conjuctio ante sententiam finalem inita nunquam non illicita valde sit, imo iisdem ac polygamia poenis ecclesiasticis subjaceat, tamen, si processus, qui agitatur, nullitatis declaratione terminetur nec aliud quidpiam

praepropere copulatis obstet impedimentum, pro vero reputari debet matrimonio.

200. Causae matrimoniales neque transactione neque sententia ab arbitris dicta terminari possunt. Conditiones, sub quibus tribunal matrimoniale jus habet, de litibus bona temporialia spectantibus arbitrii ope decernere, lege civili expressae sunt.

201. Quando conjux conqueratur, alterum consummationem matrimonii declinare, posterior vero declaret, quod saeculo renuntiare constituerit, perpendendum ante omnia venit, an matrimonium nondum esse consummatum extra dubium positum sit. Quo sufficienter probato, conjugi recusanti injungendum est, ut intra bimestre aut matrimonium consummet, aut religionem a sacra sede adprobatam ingrediatur. Ex gravi tamen causa terminus vel brevior vel longior praefigi potest.

202. Si duorum conjugum, qui matrimonium haud consummasse asserunt, alter monasterium ingrediatur, quin alter reclamet, an veritate nitatur assertio de matrimonii consummatione nondum peracta, ad collusionis pericula devitanda eo districtius examinandum est.

203. Postquam conjux, qui saeculo renuntiare vult, votis selemnibus se obstrinxit, alteri parti instrumenti ope testandum est, matrimonii ab eo valide contracti, sed nondum consummati vinculum dissolutum esse, nec eum impediri, quin ad alia convolet vota.

204. Tam nullitatis declaratio quam dissolutio vinculi matrimonialis per vota solemnia effecta in libro nuptiali annotanda est. Si matrimonium in loco, ubi neque sponsus neque sponsa domicilium habebat, contractum fuit, annotatio non tantum libro nuptiali parochiae, ubi matrimonium celebratum, sed etiam parochi, qui delegationem ad nuptiis assistendum dedit, inseri debet.

205. Absque conjugali vitae consortio obligationes per matrimonium contractae impleri nequeunt: ipsum igitur in casibus tantum a lege ecclesiastica statutis et respective in forma a lege ecclesiastica praescripta solvere licet.

206. Conjuges mutuo consensu vitae consortium eum in finem solvere possunt, ut religionem a sancta sede approbatam ingrediantur vel ambo vel una tantum pars, aut, ut vir ordines sacros suscipiat. An et quibus sub conditionibus altera pars in saeculo permanere possit, juxta legum ecclesiasticarum praescripta decernendum est.

207. Quodsi conjugum alter adulterii crimen commiserit, alteri jus competit, perpetuam a thoro et mensa separationem petendi, nisi forsan adulterium approbaverit, permiserit vel sua culpa adduxerit, aut ipse quoque adulterii reum se reddiderit. Jure suo excidit, quodsi alteri parti culpam expresse vel tacite condonet.

208. Conjuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animae, vitae, vel sanitatis periculo continuare possunt. Quodsi conjux a fide christiana deficiat, quodsi alteram partem ad defectionem a fide catholica, ad vitia vel crimina sollicitet, quodsi injuriis realibus vel insidiis vitam ejus et sanitatem in periculum adducat, quodsi ei acerbiores animi afflictiones per longius tempus intentet, etiam, quando malo corporali diuturno contagiosoque laboret, alteri parti supplicatione proposita concedendum est, ut a thoro et mensa separetur, usquedum conjugale vitae consortium, quin periculum saluti suae aeternae vel temporali immineat, renovare possit.

209. Conjux, quem altera pars malitiose deseruit, separationem a thoro et mensa petere potest, usque dum desertionis reus animum ad officia conjugalia adimplenda paratum sufficienter probaverit.

210. Etiam propter tales officiorum transgressiones, quae juribus bona temporalia attinentibus vel honori civili alterius conjugis grave afferunt detrimentum aut urgens parant periculum, temporalis a thoro et mensa separatio pronuntiari potest.

211. Conjux, qui separationem obtinere desiderat, ante omnia parochum adeat suum. Hic utramque partem vocabit et cuncta, quae lex Dei et foederis conjugalis dignitas suppeditat, motiva graviter simul et amanter adhibebit, ut conjugale vitae consortium intactum servetur. Si animos conciliare non valeat, secundo et tertio id ipsum, octiduo saltem quavis vice interposito, efficere conetur. Tertium tamen omitti potest experimentum, quando animorum exacerbatio successus spem adimat aut in patulo sit, actorem vitae consortium continuare non posse, quin aeternam aut temporalem salutem urgenti exponat periculo.

212. Si reus comparere recusat, parochus jus habet, eum magistratus civilis interventu ad obedientiam praestandam compellere. An praesentia coactione obtenta finem juvare possit, secundum rerum adjuncta dijudicandum erit.

213. Quodsi parochus frustra laboret, eo de negotio ad praesidem tribunalis matrimonialis referre et casu, quo conjuges bis tantum vocaverit, causam, ex qua tertium experimentum omiserit, accurate exponere debet. Addat insuper, an et quatenus gravamina allata ipsi fundata videantur.

214. Quivis episcopus in remotioribus dioecesis suae partibus ecclesiasticos viros in commissarios nominabit, qui deputati sint ad inquirendum super actionibus separationem a mensa et thoro attinentibus, et secretarium ad protocollum excipiendum eis adjunget.

215. Actor petitionem suam vel apud ipsum tribunal matrimoniale, vel apud commissarium, intra cujus

districtum domicilium habet, aut scripto porrigere aut in acta redigenda oretenus exponere potest. Causam, ex qua jure se vitae communitatem tollendi pollere arbitratur, accurate exponere ac probationis praestandae media indicare debet. Edicendum praeterea tempus, cujus hucusque lapsu matrimonium duraverit et, quodsi liberi ex eo procreati sint, numerus eorum et aetas. An et in quantum conjuges separationem quoad thorum mensamque intendentes curiam episcopalem adire possint vel debeant, ab episcopi ordinatione pendebit.

216. Separationis decernendae petitio tribunali proponatur matrimoniali, quod nisi rationes aperte insufficientes sint, ad investigandum super negotio procedet. Quando res in tribunalis matrimonialis sede pertractetur, aliquis ex judicibus in id muneris qua commissarius deputetur.

217. Inquisitionis ergo ambo conjuges personaliter comparere tenentur. Quoad advocatos et declarationes vel assertiones ab eisdem prolatas ad normam §. 143 procedendum est.

218. Primo tentandum est, an negotium absque probationibus in rigore juris talibus terminari possit. Conjuges singuli examinari atque tum sibi invicem confrontari debent. Cuilibet parti assertiones alterius una post alteram ordine, quem successus temporis vel nexus inter causam et effectum indicat, proponendae sunt, et instandum, ut praecise respondeat. Si una pars ad instrumenta privata provocet, altera interroganda venit, an eadem genuina agnoscat? Testes, quos partes nominaverint, in quantum adhiberi possint, examinandi ac, si necessarium videatur, sibi invicem nec non conjugibus confrontandi sunt.

219. In hac praevia inquisitione qua testes tales quoque admittantur personae, quarum depositiones pro-

bationem judicialem fundare non possent, apud quas autem accurata factorum, de quibus quaestio versatur, notitia merito supponitur.

220. Commissario ad inquirendum deputato competit, personas, quarum depositionibus quaestionem facti dilucidatum iri sperat, etiam, quin partes qua testes eas designaverint, interrogare. An conjugibus confrontari debeant, prudenti ejusdem judicio relinquitur.

221. Protocollum de inquisitione praevia exceptum tribunali matrimoniali proponendum est, et quando, ad quae actor provocet, per confessionem rei vel per instrumenta, quae omnem exceptionem excludant, extra dubium jam posita sint, tribunal matrimoniale ad sententiam ferendam procedere debet. Casu opposito processus probatorius instituendus est.

222. Reo, si postulet, petitionis ab actore scripto propositae vel actorum, in quae oretenus facta redacta sit, copia dimittenda et terminus statuendus, intra quem responsionem vel scripto offerat vel in acta redigendam viva voce exhibeat. Alias separationis pronuntiandae petitio ipsi praelegatur et quae ad se et conjugale vitae commercium tuendum afferat, in acta redigantur.

223. Admittendi sunt testes, quibus ea, contra quam deponunt, pars exceptiones haud obgerit, etsi aliunde qua suspecti vel inhabiles repelli deberent.

224. Quando domicilium testium ab inquisitionis loco notabiliter distet, ad eorum examen loco, quo facilius se conferre possint, instituendum vir, quantum fieri possit, ecclesiasticus deputandus est. Quodsi extra dioecesis limites habitent, agendum cum episcopo, cui subsunt, ut de eorum depositionibus excipiendis, quae oportet, constituat. Testes, qui prope tribunalis matrimonialis sedem habitant, nunquam non apud tribunal matrimoniale examinandi sunt.

225. Quaestiones concipit commissarius ad inquisitionem deputatus ratione habita punctorum interrogatoriorum, quae partes forsan obtulerunt. Quoad jusjurandum testium observentur normae §. 162 statutae.

226. Ad juramentum a testibus deponendum partes vocari debent; attamen quod non compareant, haud impedit, quominus jusjurandum excipiatur. Partibus non licet examini testium adesse, atque depositiones, antequam examen terminatum sit, publicari haud debent.

227. Rei periti, quorum consultum necessarium forsan sit, a commissario ad inquirendum deputato seligendi sunt; de exceptionibus eis oppositis tribunal matrimoniale decernit. Jusjurandum a rei peritis exigi debet, nisi juramento in munere adeundo deposito se ad veritatem in consultis dandis sancte servandam obstrinxerint.

228. Per depositionem conformem duorum testium juratorum et fide undequaque dignorum, nec non per consultum conforme duorum rei peritorum, qui scientiae jam documenta praestiterint et a partium studio alieni sint, ac respective jurati, factum, circa quod depositio vel consultum versatur, plene probatur.

229. Ut adulterium in finem separationis a mensa et thoro probetur, sufficiunt praesumtiones violentae. Facta vero, quibus praesumtiones hae innituntur, juxta normas processum in delictorum causis attinentes probanda veniunt.

230. Protocollum examinis testium partibus vel praelegendum vel scripto communicandum est; si consultum a rei peritis datum fuerit, de hujus pariter tenore instruendae sunt.

231. His peractis ambo conjuges commoneri debent, ut de testium depositionibus vel rei peritorum consultis

sensus suos exponant. Si nova instrumenta, vel de instrumentis, quae in inquisitione praevia dubiis obnoxia remanebant, novas probationes afferant, pars adversaria hac de re audienda est.

232. Confessio conjugis, contra quem separationis actio intentatur, plenam efficit probationem.

233. An juramentum suppletorium ex parte conjugum concedendum, an juramentum litis decisivum uni eorum imponendum vel permittendum sit, a tribunali decerni debet: quo in negotio ante oculos habendum est, in genere jusjurandum partium tunc tantum admitti posse, si omne aliud veritatem eruendi medium defecerit, et animorum exacerbationem, qualis in conjugum litibus obtinere solet, perjurii augere periculum.

234. Si conjux in jus vocatus citatione facta non compareat, juxta normam §. 145 statutam procedendum est.

235. Quando actio propter desertionem malitiosam instituitur, absenti in prima statim citatione praefigatur terminus, in quo dimetiendo distantiae atque mediorum communicationis ratio prudenter habeatur. Quodsi, ubi commoretur, ignotum sit, per ephemerides publicas citari debet termino praefixo, quem tribunal matrimoniale omnibus perpensis circumstantiis constituerit.

236. Quodsi actor asserat, se conjugale vitae consortium continuare non posse, quin salutem animae vel vitam et sanitatem magno exponat periculo, atque casu, quo separatio legitime pronuntiata foret, reo obligatio incumbat, alteri conjugi honestam procurare sustentationem, tribunal matrimoniale perpendere debet, an sufficientes praeviae ordinationis causae prostent, quas si haberi judicatum sit, a judice saeculari petendum est, ut actori habitationem separatam et sustentationem honestam rei impensis praevie assignet.

237. Episcopus, si pro casus natura necessarium duxerit, ordinabit, ut, antequam sententia feratur, tribunal matrimoniale, quae decernenda censeat, ipsi proponat. (§. 178.)

238. Quavis sententia separationem pronuntiante exprimendum est, an causa separationis, quatenus culpa ei insit, uni tantum vel ambabus partibus imputari debeat. Quodsi ex peractis eluceat, patrem vel matrem propter defectus morales non eos esse, qui jus educationis iis competens in liberorum salutem exercere possint, istud quoque in sententia exprimatur.

239. A decisione tribunalis matrimonialis conjux, qui ea se gravatum arbitretur, ad secundam instantiam provocare potest. Duabus sententiis conformibus latis ulteriori appellationi locus haud superest.

240. Sententia de separatione a thoro et mensa pronuntiata nulla est, si a judice non competente lata vel actus judicii essentialis omissus fuerit. Causa nullitatis secundum normas §§. 187, 188 stabilitas pertractanda venit.

241. Quod conjuges in vitae consortium solvendum consensuerint, legitimam separationis decernendae causam non subministrat. Attamen formalitates praeter absolute necessarias cunctae eo magis vitandae sunt, quod actibus judicialibus animorum exacerbatio augeri, et reconciliatio difficilior reddi soleat. Insuper famae partium et familiarum suarum, quantum finis ratio permittet, consulatur oportet.

242. Quando una pars ad facta provocet, quae legitimam separationis postulandae causam constituunt, et altera rem ita se habere haud neget, parochus animos sibi conciliare ter tentare debet. Conaminibus ejus effectu frustratis apud commissarium ad inquisi-

tionem deputatum de accusatione et confessione excipiatur protocollum et res tribunali matrimoniali ad decernendum proponatur.

243. Quodsi facta a reo non negentur, et ut famae partium parcatur, vel ex alia gravi ratione necessarium videatur, ut negotium quam secretissime pertractetur, partes immediate tribunalis matrimonialis praesidem accedere possunt. Postquam iste compertum habuerit, legitimam adesse separationis causam, parochum vel pro re nata etiam alium sacerdotem admonitione trina concordiae restituendae experimentum facere jubeat, effectu haud subsecuto duobus tribunalis consiliariis adhibitis separationem pronuntiet. Tali casu, utraque parte petente, causa separationis in sententiae tenore silentio premi potest. Haec tamen ipsorum supplicatio protocollo de actu excipiendo inseri debet.

244. Quoad postulationes et lites circa bona temporalia versantes, quae ex sententia in causa quadam matrimoniali lata oriuntur, partes ad judicium saeculare remittendae sunt. Si ambae unanimes petant, ut ea de re a tribunali matrimoniali arbitrii modo decernatur, injungendum ipsis est, ut de transactione, qua in hanc petitionem conspiraverint, instrumentum proponant. Minorennis admoneatur, quod ad transactionis hujus valorem patris vel tutoris consensus requiratur. Ceterum in arbitrio dando leges austriacae qua norma teneantur.

245. Quando uxor de invaliditate vel separatione actionem instituens petat, ut marito administratio bonorum suorum adimatur, aut ut ipse ad cautionem dandam pro bonis suis, quae ejus in manibus versantur, adigatur, ad saeculare judicium remitti debet.

246. Quum sanctum et inviolabile sit conjugii vinculum, ad secundas nuptias nemo admitti potest, nisi

de conjugis morte probationes afferat, quae omne prudens dubium penitus excludant. Ea, quae ad moralem mortis certitudinem stabiliendam tendunt, summa cum cautione pertractanda, verum haud absolute rejicienda sunt. Fieri potest, ut ex rerum adjunctis plene probatis moralis oriatur certitudo, conjugem in vivis haud amplius agere, licet desint documenta vel testium depositiones mortem subsecutam jam esse confirmantes. Quodsi absentis cujusdam conjux talia afferat, quae rarissimum hunc casum adesse valde probabile reddant, commonendus est, ut praevie civilem adeat magistratum, cui ampliora suppeditant factum explorandi media et cujus est, mortis declarationem quoad effectus civiles edere.

247. Quamprimum superius provinciae judicium peracta communicaverit, tribunal matrimoniale praesente matrimonii defensore dijudicabit, an conjux, cujus fata ignorantur, eo cum effectu, ut alteri parti ad novas transire nuptias liceat, mortuus censeri possit. Decisio ferenda nunquam non episcopi judicio subjicienda est.

248. Quoties tribunal matrimoniale certitudinis moralis, ad quam provocatur, fundamentum haud ita firmum esse judicet, ut ligamen conjugale morte solutum esse absque haesitatione teneri possit, mortis declarationi enuntiandae assensum denegabit et rationum, quibus commovetur, momenta judicio civili communicabit. Quodsi secunda et tertia instantia ecclesiastica oppositam sententiam amplectantur ac eisdem assensum praebentibus supremum tribunal civile mortis declarationem pronuntiet, novis contrahendis nuptiis nullum obgeratur impedimentum.

249. Quando tribunal matrimoniale censet, nil novis ineundis nuptiis obesse, hos quidem sensus suos judicio provinciae superiori significet, ad conjugem

tamen nullam dirigat communicationem, antequam mortis declaratio relate ad effectus civiles firma consistat.

250. Si ad novas transitur nuptias, parochus tam mortis declarationem a magistratu civili editam quam decisionem tribunalis matrimonialis, respective assensum, quem superior instantia ecclesiastica praebuit, in libro nuptiali annotare debet.

251. Quodsi casus occurrat, cui in instructione hac provisum haud sit, ad juris communis normam pertractetur et decidatur oportet.

Praesentem instructionem, quam celsissimus et reverendissimus Princeps Archiepiscopus vindobonensis Josephus Othmarus Rauscher *exaravit, pro singulari, qua praestat, modestia nobis exhibuit, ut privatum nostrum de ea judicium aperiremus. Hujusmodi benignitati respondere cupientes, diligentiori quo valuimus examini opus subjecimus, et pro rei veritate declaramus, nihil in eo nos invenisse, quod vel sacrorum canonum praescripto, vel apostolicarum constitutionum ordinationibus, vel probatorum doctorum sententiis conforme non sit. Quamobrem opus summo labore ac sapientia elucubratum, merito futurum confidimus, ut in vastissimis imperii austriaci regionibus, ubi in usum fuerit inductum, sacrae aeque ac civili reipublicae benevertat.*

Romae, die quarta maji anni 1855.

Aloysius Tomassetti, *s. theologiae et juris utriusque doctor.*

Hannibal Capalti, *s. theologiae et juris utriusque doctor.*

Petrus Beckx, *Praep. gen. Societatis Jesu.*

Laurentius Valenzi, *s. th. et j. u. dr.*

Laurentius Nina, *j. u. dr.*

II.

Instructio

de modo quo oeconomice procedere debent curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum[1])

Die 11. junii 1880.

Sacra haec episc. et reg. congregatio, praesentis temporis conditione, in qua ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens, maxima ex parte ecclesiasticas curias opportunis mediis carere, quibus recte ordinentur, constituit facultatem expresse impertire locorum ordinariis, ut adhibitis formis magis oeconomicis jurisdictionem suam in clericos, ad disciplinam quod attinet, exerceant. Utque hinc justitia incolumis servetur, inde vero processus ad canonum praescriptum ab omnibus fiant, sequentes praestituit normas ab omnibus curiis servandas.

1. Ordinarii pro eorum munere pastorali, tenentur disciplinae ac correctioni consulere clericorum, qui iis-

---

[1]) Quoniam „instructio de modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum in foederatis statibus Americae septentrionalis", quae refertur in appendice ad concil. plenar. (pp. 287—292), exacta est ad instructionem generalem s. congregationis episcoporum et regularium italico idiomate editam d. 11. junii 1880, hanc et nos appendicis instar exhibendam censemus, voluntati eorum satisfacturi, qui communem ecclesiae legem cum particulari jure americano comparare cupiunt. Sequimur versionem latinam, quam exhibet Sanguineti, *Institut. juris eccles. privati,* pp. 505 seqq. — Aliam habes in Actis S. Sedis, t. 13, pp. 324 seqq.

dem subduntur, eorum mores inspicere, atque ea opportuna remedia adhibere, quae a sacris canonibus sive ad praecavenda sive ad corrigenda mala praescribuntur.

2. Haec inter, alia ad praecavendum malum ordinantur, alia in ejus coercitione ac medela vim suam exercent. Hinc priora ea amovere student, quae aut scandalum aut occasionem voluntariam aut causam delinquendi proximam exhibent. Posteriora vero tum deliquentes ad meliorem frugem revocare, tum damna ex crimine secuta reficere satagunt.

3. Porro ordinariis munus incumbit, recensita hactenus remedia pro sua prudentia ac conscientia adhibendi prout rerum et adjunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.

4. Mediis quibus malum praecavetur, potissimum accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

5. His tamen praemittenda est summaria saltem facti notitia, cujus ab ordinario habenda est ratio, ut si opus sit, *ad ulteriora* procedat, vel etiam possit superiori auctoritate satisfacere, si legitime ab aliquo ad illam recursus habeatur.

6. Monitiones vero *canonicae* fiant vel in forma paterna et secreta, adhibita etiam epistola, vel interposita aliqua persona, vel forma juridica, ita tamen ut aliquo modo semper constet de facta monitione.

7. Monitionibus frustra adhibitis, ordinarius curiae mandet, ut praeceptum opportunum intimetur delinquenti, quo eidem quid facere vel omittere debeat indicatur, addita si illud transgrediatur respondentis ecclesiasticae poenae comminatione.

8. Praeceptum reo praevento intimatur a cancellario coram vicario generali; vel coram duobus testibus probatae integritatis, sive ecclesiasticis sive laicis.

§. 1. Actus subscribitur a partibus praesentibus, quin et a praevento, si velit.

§. 2. Vicarius generalis, jurisjurandi vinculo obstringere potest testes, ut secretum servent, si rei natura, de qua agitur, id ad prudentiae normam exigat.

9. Ad infligendas poenas quod spectat, sedulo reverendissimi ordinarii animadvertant, hanc instructionem haud efficere, ut solemnitates in judiciis servandae juxta sacros canones, apostolicas constitutiones aliasque ecclesiasticas sanctiones abrogatae censeantur, quotiescumque libere et efficaciter usurpari possint; verum oeconomicos hujusmodi processus iis curiis servandos praescribi, in quibus solemnitates judiciorum aut adhiberi nequeant, aut minus expedire videantur.

Insuper vim suam plene retinet remedium extrajudiciale quod *ex informata conscientia* appellatur, et pro criminibus occultis adhibendum decrevit concilium tridentinum (*sess. 14 cap. 1 de reform.*) iis tamen regulis ac cautionibus servatis, quas in ejusdem capitis intellectu constanter adhibuit sacra congregatio concilii in pluribus resolutionibus ac nominatim *in Bosnien. et Sirmien. 20. decembr. 1873.*

10. Quum criminaliter procedi opus sit sive ob praeceptorum infractionem, sive ob communia crimina, aut ecclesiasticarum legum violationem, processus ea ratione confici potest, ut summaria forma absque strepitu judicii fiat, servatis tamen semper iis regulis, quae ad justitiam essentialiter tuendam pertinent.

11. Processus vero *ex officio* instruitur aut post supplicem libellum exhibitum aut occasione querelae aut cujuscumque notitiae a curia habitae, atque ad finem eo consilio perducitur, ut majori quo fieri potest cautione ac prudentia veritas detegatur et tum criminis notitia haberi tum, qui accusatus fuerat, innocens aut reus cognosci possit.

12. Processus confici potest ab aliquo ecclesiastico viro probo ac idoneo, cui opem suam conferet actuarius.

13. In quacumque curia adesse debet procurator fiscalis ad justitiae legisque tutelam.

14. Si curia cursores non habeat, eorum munus pro intimationibus aliisque significationibus suppleri poterit ab aliqua qualificata persona, quae de facto fidem faciat, vel documenta per tabellarios publicos specialiter commendata transmitti poterunt, ita tamen ut scripto constet de eorum exhibitione, receptione aut rejectione.

15. Criminis juridica existentia tum ex processus confectione authenticis communita informationibus, aut confessionibus extrajudicialibus, vel testium depositionibus constare poterit. Trasgressio vero alicujus praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis iis servatis, de quibus supra art. 7 et 8.

16. At vero ut accusatus tamquam reus haberi possit, ea juridica probatione opus est, qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo, quae prudens dubium omnino excludat.

17. Qui examini subiici debent, ii semper seorsim audiantur.

18. Testes sive ad probandum sive ad defensionem, nisi lex aliqua obstet, jurati esse debent, quin et si opus sit, juramento ad secretum servandum adigantur.

19. Si qui forte ex iis absint, eorum examen fiet ab ecclesiastica auctoritate loci, quo morantur, ad quam facti expositio transmitti debet; haec vero supplet servatis tamen iis, quae in hac instructione praescribuntur.

20. Si vero quidam testes vel quoad factum vel quoad ejus circumstantias veluti ad causam dirimendam om-

nino necessarii judicentur, neque tamen audiri possint, vel quia non expedit, vel quia nolunt; eorum in actis mentio fiat; horum vero defectus per alios testes *de relato* aut alio quovis modo fide dignos supplendus erit.

21. Quum omnia sufficienter habeantur, quibus factum ejusque imputabilitas eruatur, ad examen accusatus erit vocandus.

22. In citatione nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentatae, ut se praeparet ad eas disjicendas.

23. Si vero vel ex accusationum qualitate, vel alia de causa id prudenter fieri nequeat, generali modo ei injungendum erit, ut ad examen veniat et accusationem objectam diluat.

24. Si renuat, iteratur intimatio eique praefigitur peremptorius terminus, simulque monetur, eo termino elapso tamquam in contumacem animadversum iri: et reapse ceu talis habebitur, nisi legitimam absentiae causam probet.

25. Si in judicio adest, examini subjicitur et si alicujus momenti inductiones exhibeat, eae quantum fieri potest exhauriendae erunt.

26. Deinde ad contestationem facti criminosi deveniendum est simulque probationes exhibitae proferendae, quibus evincitur, eum qui accusatur reum esse poenisque canonicis statutis puniendum.

27. Quum hoc pacto reus conventus omnia cognoscet, quae contra ipsum proferuntur, hic tum ea diluere tum se tueri jure poterit.

28. Poterit tamen terminum aliquem etiam petere ad semet defendendum scripto, quod potissimum fieri de-

bet, quum ex dictis in articulo 23 haud potuerit se paratum ad respondendum exhibere.

29. Processu absoluto, actorum instructor ejusdem essentialium conclusionum restrictum conficere debet.

30. In causae tractatione inquisitus optest, si velit, repraesentari et defendi sive ab alio sacerdote sive a laico, qui tamen prius ab ordinario approbandi erunt.

31. Si reus praeventus defensorem sibi constituere nolit, ordinarius unum ex officio eidem deputabit.

32. Defensor caute ex actis notitiam haurit causae, ut eam possit tueri, ejusque defensio etiam ante causae propositionem scripto poterit exhiberi. At si ordinarius judicet, ex causae natura secretum juramenti vinculo servandum esse, defensor quoque eodem obstringitur.

33. Processus et restrictus dein ad procuratorem fiscalem transmittitur, ut ea quae ad ipsum pertinent exequatur; itemque ad ordinarium postea utrumque transmittitur, qui causae statu apprime perspecto, diem statuit, quo discuti ac dirimi debeat simulque de hoc eum, qui accusatur, certiorem efficit.

34. Statuta die causa proponitur coram vicario generali adstantibus procuratore fiscali, rei patrono et cancellario.

35. Auditis tum conclusionibus fiscalibus tum deductionibus pro defensione, sententia profertur, cancellario dispositivam partem scribente ex dictato, in eaque mentio expressa fieri debet, si reus damnatur, canonicae sanctionis, quae contra ipsum adhibetur.

36. Sententia praevento indicitur, qui appellationem ad superiorem ecclesiasticam potestatem interponere potest.

37. In judicio appellationis servantur ea quae Benedictus XIV, in sua constitutione *Ad militantis* 30 martii 1742 praecepit itemque hujus s. congregationis decretum 18 decembris 1835, et littera encyclica 1 augusti 1851.

38. Appellatio fieri debet intra decem dies a sententiae notificatione, quo termino inutiliter elapso sententia executioni debet demandari.

39. Facta intra decem dies appellatione, curia absque mora transmittere debet ad superiorem ecclesiasticam potestatem, ad quam appellatum est, omnes actus causae originales, scilicet processum, restrictum, defensionem et sententiam.

40. Potestas ecclesiastica superior appellationis habita notitia, appellantem monet, ut intra viginti dies defensorem sibi constituat ab eadem superiore potestate approbandum.

41. Si peremptorius hic terminus frustra elabatur censetur appellans renunciasse appellationis beneficio et a potestate superiore appellatio consequenter edicitur perempta.

42. Quum a sententia curiae episcopalis fit appellatio ad metropolitanum, hic in cognoscenda ac dirimenda causa instructionem hanc ceu normam in processu servare debet.

43. Si contingat clericum contra fori privilegium a laica potestate ob communia crimina processui et judicio subjici, ordinarius eo in casu facti criminosi summariam notitiam capit simulque perpendit, utrum ad sacrorum canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§. 1. Judicio nondum expleto vel quousque accusatus vinculis detinetur, consultius est, ut ordinarius sese contineat in remediis provisoriis adhibendis.

§. 2. Judicio vero absoluto reoque convento libertati reddito, curia juxta informationes prius habitas earumque indolem procedit, si opus sit, juxta modum in hac instructione praescriptum.

44. Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, ordinarii, ad vitandas contentiones et nullitates, recurrant ad hanc s. congregationem.

Ex Aud. SSmi. diei 11 junii 1880.

SSmus. Dnus. Noster Leo Div. Prov. PP. XIII audita relatione praesentis instructionis ab infrascripto sac. congreg. episcoporum et regularium secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno, quibus supra.

J. card. Ferrieri, praef. — J. B. Agnozzi, secretarius.

III.

Epistola patrum concilii plenarii baltimorensis tertii ad episcopos Germaniae septentrionalis.

Illustrissimis ac reverendissimis archiepiscopis et episcopis Germaniae septentrionalis, invictis fidei confessoribus

SALUTEM ET LAUDEM, AMOREM ET HONOREM D. D.

archiepiscopi et episcopi statuum foederatorum Americae septentrionalis.

Quae singuli, per vastissimas has regiones dispersi, erga vos, venerabiles fratres, hoc decennio intimis cordibus sentiebamus, haec nunc, in concilio plenario baltimorensi tertio congregati, altis vocibus proclamamus. Vicissitudines enim vestrae et passiones, „quarum

magnum profecto sustinuistis certamen", summo nos affecerunt dolore et compassione; constantia vero et patientia, quibus „spectaculum facti estis mundo, et angelis et hominibus", non minori nos compleverunt gaudio et admiratione. Martyres Christi fieri parati, confessores fidei revera facti estis. Invictis enim animis pertulistis omnia quae vobis ipsis et dilectissimis gregibus vestris inferebantur mala: calumnias et minas, spoliationes et persecutiones, carceres et exilia. „Dilexistis justitiam et odistis iniquitatem"; propterea unus ex vobis gloriosam mortem obiit in exilio, in quo duo alii, proh dolor! etiam nunc detenti, a vobis sunt separati. Vere „in omnem terram exivit sonus vester et verba vestra in fines orbis terrae".

Verba doloris et fletus: de juribus ecclesiae violatis ac fractis — de templis vero cultui ereptis et cultu sacrilego profanatis — de scholis, collegiis, seminariis, domibus caritatis clausis — de religiosis exulantibus et sacerdotibus in carceribus detentis — de fidelibus verbum Dei et sacramenta salutis vel in ipsa mortis hora in vanum poscentibus.

Verba fortitudinis et constantiae: semper enim et ubique, coram regibus et principibus et populis terrae jura et privilegia ecclesiae fortiter defendistis, nulli potestati inimicae, nisi apertae violentiae, unquam cedentes.

Verba patientiae et prudentiae, quibus fideles vestros Salvatoris et Sanctorum exemplis injuriam potius pati quam facere et vindicare docendo, in difficillima illa ac vere christiana, quae „resistentia passiva" cohibuistis.

Verba pietatis et confidentiae, quibus omnium animos ad spiritum orationis et exercitia pietatis excitastis, firma spe ducti, auxilium de coelo nec vobis nec vestris esse defuturum, vosque omnes ituros „per crucem ad lucem".

Verba denique amoris et caritatis, quibus pro ipsis persecutoribus vestris Deum exorastis, benedicentes illis qui vobis maledicebant.

Haec praeclara verba vestra et exempla optima jam ab initio luctuosissimi certaminis vestri fructus saluberrimos protulerunt. Ipsis enim inprimis attribuenda est admirabilis populorum vestrorum fidelitas et invicta sacerdotum constantia; gloriosa illa ac prorsus stupenda fortitudo virorum laicorum, qui libertatem conscientiae et civilem publice defendunt, et admirationem totius orbis firmitate et prudentia, moderatione et perseverantia in se convertunt.

Si vel unus ex vobis aut insidiis et blanditiis inimicorum se irretiri, aut minis et violentiis terreri passus esset, quanta hostium exinde fuisset laetitia et domesticorum moestus, quam lacrimabilis confusio rerum et perturbatio animarum, quam irreparabilis fidei jactura morumque corruptela! E contra vero, vos omnes ac singuli, inviolata vestra in fide unitate, in consiliis uniformitate, in passionibus societate, fidelium animos in fide confirmastis, in spem erexistis, in caritate adunastis, hostium vero molimina confudistis et universo mundo luce clarius demonstrastis, vos esse veros apostolos justitiae et veritatis, pacis et caritatis, et ecclesiam Christi firmissimum potestatis civilis fundamentum ac tutissimum societatis humanae munimen.

Sinite igitur, venerabiles fratres, episcoporum decus et exemplar, successores dignissimi Clementis Augusti et Martini, fel. mem. quos patres concilii provincialis baltimorensis quarti a. D. 1840 ut novos Athanasios et Basilios salutaverunt[1]); sinite nos „flere cum vobis flentibus“, sed etiam „gaudere cum vobis gaudentibus“. Nullo sane hujus decennii tempore sine gaudio fuistis;

---

[1]) Exhibetur haec epistola in coll. lacen., t. 3, pp. 74—75.

gaudebatis enim gaudio apostolorum, „quoniam digni habiti estis pro nomine Jesu contumeliam pati“. Nunc vero, tandem aliquando, vel ipsa tristitia vestra in gaudium jamjam verti videtur. Plures enim ecclesiae pastoribus orbatae lugubria viduitatis vestimenta cum gloriosis sponsae monilibus jam mutaverunt. — Jam duo ex vobis de exilii latebris, omnium virtutum genere ab ipsis sanctificatis, in claram solis et amoris lucem ad vos reverterunt. — Jam semel, quotquot ex vobis nec pretiosa mors sanctorum in conspectum Domini tulit nec gloriosum exilium a coetu vestro retinuit, fuistis congregati ad limina immortalis Germaniae apostoli, qui evangelium in manibus tenens, ipse quidem potuit occidi, vinci vero in successoribus nunquam potest. — Jam iterum invicta vestra fortitudine patet, „ecclesiam pressam esse ecclesiam victricem“, „facilius solem exstingui, quam ecclesiam deleri,“ „stare crucem, dum solvitur orbis“.

Utinam gaudium vestrum plenum fiat! Utinam potentiores terrae vestra devicti constantia et meliora consilia secuti infelicissimas illas leges prorsus tollant, quae certaminis vestri causa fuerunt et dolorum vestrorum fons et origo! Utinam sacerdotes vestri et fideles vocem vestram audire, consilia sectari, exempla imitari indefessis animis pergant, ut plena et perfecta pax et libertas ecclesiae vestrae tandem restituantur! Utinam, donec coronae de lapide pretioso gloriae coelestis in capitibus vestris ponantur, ad multos annos greges vestros regere possitis ea libertate „qua Christus liberavit nos, ut filii liberae simus, non ancillae“, quaque nos in his regionibus maxima cum reipublicae non minus quam ecclesiae salute ac prosperitate gaudemus; ea vero pace, quam angeli cecinerunt in terra hominibus bonae voluntatis, quam Christus ipse, ex passione et morte resurgens apostolis suis exoptavit dicens „Pax vobis“.

Haec ut omnia fiant, preces nostras cum vestris in fide, spe et caritate unitas, exaudiat omnipotens et misericors Dominus!

Accipite igitur, venerabiles fratres, hoc amoris et admirationis testimonium, ex intimis cordibus nostris depromptum.

Baltimorae, die 6. decembris, a. D. 1884.

Jacobus Gibbons,
delegatus apostolicus, archiep. baltim.

Ad manus rdmi. ac illmi. D. D.

Joannis Bernardi,
episcopi monasteriensis in Westfalia.

Index analyticus

nominum et rerum, quae in commentariis continentur, ad alphabeti literas digestus.

A.

B.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

S.

T.

U.

Errata-Corrige.

Quum propter diuturnum oculorum morbum curam errorum typotheticorum utcunque emendandorum variis officiosis amicis necesse esset committeremus, quumque facilis sit in peregrinis et ignotis nominibus lapsus, nec nulla quandoque operarum oscitantiâ, caveri omnia menda non potuerunt. Eorum catalogum tamen hic contexere et inutile et lectoribus fastidiosum existimavimus. Parum profecto interest puncti, comatis, apicis vel alicujus literae aut vocabuli mutatio: quae quidem officinatori facile elabuntur, sed intelligenti lectori nullam de sensu haesitationem nullamve moram afferunt. Confidimus autem, non adeo peccatum a typotheta nostro fuisse, ut sensus ullibi sit omnino deturpatus aut in contrarium conversus; quamvis, fatendum, ex ejusmodi erroribus hinc inde factum sit, ut minus limpida evaderet oratio.

Enixe propterea amicos lectores rogamus, ut afflictioni nostrae benigne compatiantur, et menda, quae legendo deprehenderint, vel ipsi litura corrigant, vel pro comitate sua dissimulando condonent.

Index synopticus.

Pars II. — Decreta concilii.

30*

Titulus IV.

De sacramentis.

Titulus V.

De clericorum educatione et instructione.

Titulus VI.

De catholica juventutis instructione.

Titulus VII.

De doctrina christiana.

Titulus VIII.

De zelo animarum.

Titulus IX.

De bonis ecclesiae temporalibus.

Titulus X.

De judiciis ecclesiasticis.

Titulus XI.

De sepultura ecclesiastica.

Titulus ultimus.

Transitio ad tertiam partem sive ad πάρεργα.

Pars III. — Appendix.

Imprimi permittitur.

Brixinae d. 2. aprilis 1890.

† **SIMON,**
eppus.

Nilles, Nic., S. J. Selectae Disputationes academicae juris ecclesiastici.

I. De juridica votorum solemnitate.

Accedit: Declaratio apostolica circa solemne votum paupertatis.

II. De libertate clericorum religionem ingrediendi.

Accedunt quaestiones duae: 1. De sumptibus in educationem clericorum factis, utrum sint dioecesi restituendi? — 2. De servitiis per aliquod temporis spatium dioecesi praestandis, an religionem ingressuri ad ea obligari possint?

III. De studio rei kalendariae clericis praescripto et in academiis promovendo.

Accedunt disputationes duae: 1. De mira kalendarii forma non ita pridem a Russis proposita. — 2. De veris rationibus christiani Paschatis rite agendi, cum variis tabellis paschalibus ad usus academicos accommodatis.

— — **Symbolae ad illustrandam historiam ecclesiae orientalis** in terris Coronae s. Stephani maximam partem nunc primum ex variis tabulariis, Romanis, Austriacis, Hungaricis, Transilvanis, Croaticis, Societatis Jesu aliisque fontibus accessu difficilibus erutae ac patrocinantibus almis Hungarica et Rumena literarum Academiis editae.

Volumen I. complectens indices (I—CXX) et operis partem I. (pp. 1—496).

Volumen II. complectens operis partem II. cum appendicibus (pp. 496—1088).